


CAPITA DEORVM

ET

ILLVSTRIVM

HOMINVM

PACIS BELLIQVE ARTIBVS CLARISSIMORVM

NEC NON

HIEROGLYPHICA, ABRAXEA
ET AMVLETA

QVAEDAM,

IN

GEMMIS

ANTIQVA PARTIM, PARTIM RECENTI MANV,
AFFABRE INCISA,

QVAE MAGNO STVDIO COLLEGIT

IO. MARTINVS AB EBERMAYER,
NORIMBERGENSIS.

ENARRAVIT OBSERVATIONIBVSQVE HISTORICIS
ILLVSTRAVIT

ERHARDVS REVSCH.

ANNO cIↄ Iↄcc XXI. 1721

PROSTANT EXEMPLARIA
FRANCOFVRTI ET LIPSIAE.

AD
LECTOREM
PRAEFATIO.

Praeclara omnino ſtudia ſunt eorum, qui venerandae antiquitatis monumenta ſtudioſe aſſervant, aſſervata docte illuſtrant, illuſtrata hilare libenterque in lucem proferunt, ut quam ipſi ex illorum contemplatione domi privatimque ceperunt voluptatem, cum ſumma utilitate coniunctam, publice omnibus utendam fruendamque impertiantur. At quoniam ſinguli, qui eruditae antiquitatis amore tanguntur, non eas quoque artes afferunt, quibus intelligentia harum rerum recluditur: implicatus teneor, quorum laus illuſtrior ſit, illorum, qui diſciplina bonarum artium exculti, iſta λείψανα *non poſſunt non admirari et magnifacere; an horum, qui aliis ſtudiis intenti, honeſta tamen rectaque voluntate, doctrinae avidi, quodam humanitatis ſenſu afficiuntur, ut non modo pretium aliquod illis ſtatuant, ſed inſuper intelligentibus, in ſuos aliorumque uſus depromere permittant, quod latet in theſauris ſuis: qui non oculos tantum paſcere, quod Eucliones faciunt, duri, inculti, agreſtes; ſed animum et pectus erudire ſatagunt. Mihi certe eſt perſuaſum, iſtos Muſarum fautores laudem merere ampliſſimam. Et video, viros*

cordatos idem ſentire. Gratiam itaque apud iuſtos vetuſtarum imaginum aeſtimatores iniit Vir nobil. ornatiſſimusque, IO. MARTINVS AB EBERMATER, *civis apud Norimbergenſes et mercator primi ordinis, quod gemmas, pergraves hiſtoriae teſtes, quas ſumptibus haud modicis conquiſivit, eruditis invidere noluit. Illarum partem, ut explicaret, conceſſerat viro nobiliſſimo excellentiſſimoque,* IO. IACOBO BAIERO, *Profeſſori Altorfino longe celeberrimo, qui iam pridem non minus praeſtantiſſimum naturae artisque ſalutaris myſtam, quam gravem doctrinaque varia inſtructum meliorum literarum aſſertorem, ſe exhibuit. Quam egregie functus ſit iſto munere, iudicium re ipſa comprobatum iudicarunt Actorum Lipſienſium, operis ſplendidiſſimi, Collectores, ſolidae eruditionis cognitores acerrimi. Ideoque nihil vehementius deſideravit theſauri huius poſſeſſor, quae eadem ipſe quoque vota non ſemel poſtmodum feci, quam ut* μουσικωτάτῳ *Baiero per graviſſimas, quibus diſtinetur, occupationes licuiſſet, pro ea, qua pollet, dexteritate telam ſuſceptam perficere. Nam quod ad me attinet, temerarius certe videar, in ea agri parte infirmum hominem exercere, ubi ſe pridem robuſtiſſimae mentes exercuerant: niſi honeſtiſſima laudatiſſimi Ebermayeri voluntas, et nutus virorum gravium, quorum arbitrio me meaque omnia permiſi, me vel invitum perpuliſſent, ut petitis ipſo-*

ipſorum pro virili parte ſatisfacturus, calamum prehenderem, reique periculum facerem. Iam poſtquam itum eſt ad me, quid ſupereſt, niſi ut, ingenii mediocritatem ingenue profeſſus, veniam a Lectoribus petam, ſi interdum Ἀϑηνᾷ αἴλουρον, *exigua quadam ſimilitudine motus, contuli, ſi in ordine conſtituendo aberravi, ſi interpretationes non ubique exactiſſimas dedi, aut ſi quid ſecus vel non ſatis erudite perſcripſi. Praeterea enim, quod, dicente Livio, in rebus antiquis ſi quae ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur, ſatis habendum eſt; intererat, ut, quam celerrime fieri poſſet, gemmarum deſcriptio abſolveretur: unde nec ſecundis illam curis elimare datum erat. Quam autem difficiles explicatus gemmae habeant, et quis in dignoſcendis capitibus labor ſit, viri in antiquitate mediocriter verſati norunt, adeo ut fere de plerisque* προτομαῖς, *quas Graeci vocant, ſeu imaginibus ad pectus usque dimidium factis, et de oris proprietate, cum Arnobiō loquòr, valeat illud Satyrici:* Frontis nulla fides; *itemque illud Manilii:* Nec crede ſeverae frontis opus ſigno. *Meminerint porro, me gemmas ab aliis oblatas, easque nominatione depravata ſubinde obſcuratas, literis qualitercunque illuſtrare conatum eſſe. Atque eadem de cauſſa integrum non erat, antiquas ab novis ſegregare, aut utrasque ſeorſim ſeponere: non enim adeo perfrictae frontis ſumus, ut quaedam ex novitate admi-*

ſta eſſe negemus; imo vel ultro profitemur, eſſe in his gemmas a recenti manu effictas, quae facile ipſo conſpectu ſe produnt. Ideoque neminem fore confidimus, qui vel ex parte nauſeam totius capiat; vel criminetur, quaſi pro re genuina fictam obtrudere improbi et fraudulenti voluerimus. Vt vero et de his enucleate dicere aggrederer, Begeri, viri ſaeculorum memoria digniſſimi, me movit auctoritas, quem quasdam commentariis gemmas explanaſſe noveram, de quarum antiquitate non ſatis erat certus. Accedebat, quod nihil hic ex ingenio fictum, quo nomine Ligorius Italis ſuſpectus eſt, ſed quae recentiora ſunt, ad imitationem veterum eſſe facta conſtaret; quorum artificem, ne dubites, tibi nomino. Eſt is celeberrimus apud Noribergenſes gemmarum ſcalptor, CHRISTOPHORVS DORSCHAEVS, *quem paria facere cum Pyrgotele, Callimacho, Apollonide, Cronio, Dioſcoride, Theodoro aliisque, inter Graecos quondam aut Romanos hac arte celebribus, diligentiamque Io. Mariae Mantuani, Franciſci Nichini Ferrarienſis, Iacobi Taglicarnii, Leonardi Mediolanenſis et reliquorum, vel aequaſſe vel ſuperaſſe, in conſeſſu peritorum iam pridem ex aequo iudicatum eſt. Ab illius quoque daedala manu exſtant in* ταμείῳ *Ebermayeriano capita Summorum Pontificum, omnium item Regum Galliae, et Ducum Venetorum, in chalcedoniis ſat amplae magnitudinis, nitidiſſime*

dissime caelata, quae, qua artis praestantia Dorschaeus excellat, testimonium tribuunt. Taceo, illum ipsum seriem Imperatorum, quae integra ibidem spectatur, scita manu supplevisse. Restat, ut tribus adhuc verbis commemorem, cum aliquo meo compendio, in ordine Imperatorum et Augustarum constituendo, me usum esse Octav. Stradae Vitis Imperatorum, Aeneae Vici item, et Levini Hulsii, Imaginibus Augustarum; quos similesque auctores non paucos rarius nominavi, non quasi ipsorum laudibus inviderem; sed ut hoc loco simul et semel eos appellarem. Ad Gemmas denique Aegyptiacas et Abraxeas dilucidandas, ne et hoc nescias, Kircheri, Macarii, et qui praeterea in his tricis enodandis sagaciter elaborarunt, verba potissimum huc transferre volui, sed ita, ut subinde aliquid de meo adferrem; tum quod ipsorum expositione non acutius quidquam excogitari potest, tum quod horum librorum minima apud nos copia existit. Iam nihil est, quod Te, Lector Benevole, diutius in principio morer. Itaque humanitati Tuae me totum commendo, enixe rogans, ut hos labores qualescunque benigne accipere, praestantique Tuo favore amplecti, ne dedigneris.

Vale.

ORDO

ORDO CLASSIVM.

CAPVT


Sarda.
1.
Sarda.
2.
Sardonyx
3
Achates.
4
Sarda.
5
Chalcedonius.
6
Sarda.
7
Chalcedo-nius.
8
Chalcedo-nius.
9
Chalce-donius.
10
Sarda.
11
Achates.
12
Sarda.
13
14
Acha-tes.
Chalcedonius.
15
Chalcedo-nius.
17
Sarda.
16
Onyx.
18
Sarda alba.
19
Ame-thystus.
20.
Sarda.
21
Sarda.
22
Amethystus
23
Chalcedo-nius.
24.



CAPVT I.

CAPITA DEORVM, ITEMQVE MINISTRORVM SACRORVM.

I. II. VESTA.

uae prima dearum olim colebatur, ante Saturnum et Rheam, ante Iovem ceterosque deos; ut hic quoque prima prodeat, fas erit: ſive ea Saturni mater, ſive filia fuerit. Et filiam quidem fuiſſe, plerique poëtarum canunt. *Hesiodvs Theogon. v. 453. Pindarvs Nem. ια. Ovidivs Faſt. lib. VI v. 285:*

Ex Ope Iunonem memorant Cereremque creatas,
ſemine Saturni tertia Veſta fuit.

Huic nomen *ſanctae* et *virginis* addicunt, ob pudicitiam, quam caſtam ſemper et illibatam ſervavit; adeo ut Veſta pudicitiae ſymbolum haberetur, maxime in numis Auguſtarum. Illi vero ſeniori, Caeli conjugi, *matris* nomen, quod *Virgilivs Georg. lib. I v. 498* tribuit, et in numis occurrit, proprium eſſe perhibent. Veſtam rerum omnium eſſentiam intelligit *Plato in Cratylo p. 401.* Communiter terra eſſe, item ignis, vel terra ignifera, cujus vis ad aras et focos pertineat, et ſimulacri honore carere, creditur, ſecundum illud vatis Sulmonenſis *ibid. v. 298:*

Effigiem nullam Veſta nec ignis habet.

Ita et *Plvtarchvs* aliique tradiderunt. At hodie dubium amplius non eſt, uti Graecos, ita et Romanos Veſtae ſimulacra ſtatuiſſe; quae etiam in numis Caſſiae gentis ſpectantur apud Triumviros Familiarum Romanarum conditores, Vrſinum, Patinum, Vaillantium. Conf. Illuſtriſſimus *Ezech. Spanhemivs de Veſta et Prytanibus Graecorum*

n. 18. 19. cui in litteris quoque maximi nominis viro, quae de Vesta dici possunt, pleraque deberi non diffitemur.

Caput gemmae posteriori incisum matronam ostendit, senio jam confectam. *Artemidorvs Oneirocrit. lib. II c. 49* per vetulam adumbrari dicit. *Virgilivs Aeneid. lib. V v. 744 et lib. VIIII v. 259:*

- - - Canae penetralia Vestae.

Et *Martialis lib. I epigr. 71 canam* vocat.

Altera gemma habet ἄγαλμα fere παρθενικὸν, quale Porphyrius describit apud *Evsebivm Praepar. Evangel. lib. III p. 109.*

Simpvlvm vel simpvvivm huic additum, fictile illud est, quod a Numa in sacris adhibitum, a Vestalibus observabatur. *Ivvenalis Sat. VI v. 342: Aut quis simpuvium ridere Numae - - ausus erat?* A *Festo* describitur *vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur, unde et mulieres, rebus divinis deditae, Simpulatrices dictae.* Conf. *Laz. Baifivs de Vasculis p. m. 99. 100. Constant. Landvs Sel. Num. p. 28.* plura de Simpuvio disputat, quae apud eundem legi poterunt. *Persivs Sat. II:*

Aurum, vasa Numae, Saturniaque impulit aera,
Vestalesque urnas, et Tuscum fictile mutat.

Sed urnae, aquis hauriendis destinatae, fortasse praeter rem hic memorantur.

Velvm aeternitatis symbolum est.

III. IVPITER CAPITOLINVS.

In Capitolio, ad cujus clivum templum ei dedicatum erat, tanquam urbis aeternae custos, stator et conservator optimus maximus colebatur. Simulacrum ejus, quod fictile Tarquinius Priscus sacraverat, eburneo postmodum et aureo permutatum, frequenter in numis exstat; et quidem capite Iovis impressi sunt numismata Petillii ejus, qui cognomine Capitolinus caussam dixit coronae de Capitolio surreptae, et absolutus est ab Augusto. Tangit *Horativs lib. I Satyr. IIII v. 94 seqq.* De Iove autem Capitolino plurima contulit priscae eruditionis sapiens cultor, *Ivst. Rycqvivs de Capitol. Rom. capp. 18. 19. 20.* qui et inter ornamenta commemorat barbam, quae fere *aurea* fuit; ad cujus exemplum Caligula, *aurea barba fulmen tenens conspectus est. Svetonivs in Vita c. 52. Persivs Sat. II v. 26:*

An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente,
triste jaces lucris, evitandumque bidental,
idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Iuppiter?

IIII.

IIII. V. SERAPIS.

Μεγαλοδαίμονα ἀχειροποίητον, uti Iovem Sarapidem dixerunt Aegyptii apud *CLEMENTEM* Alexandrinum *Protrept. pag. 31.* etiam Graecia et Roma noverunt. Ipse de se prodit oraculo, qualis videri voluerit:

> Εἰμὶ θεὸς τοῖοσδε μαθεῖν, οἷον κἀγὼ εἴπω,
> Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
> γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὖατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
> ὄμματα τηλαυγὲς λαμπροῦ φάος ἠελίοιο.

VARRO de L.L. lib. IIII. Principes dei, inquit, *sunt caelum et terra: hi dei iidem, qui in Aegypto Serapis et Isis. CAPELLA lib. II de Sole:*

> *Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osirin.*

Et oraculum Apollinis apud *IVLIANVM* Imperatorem:

> Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς ἥλιός τε Σάραπις.
> *Vnus Iupiter, unus Pluto, unus sol est Sarapis.*

Et Serapis quidem ingenti vociferatione celebrabatur, uti *STRABO lib. XVII* innuit; et *MARTIALIS lib. VIIII epigr. 30:*

> *Heu quae lingua silet! non illam mille catastae*
> *vincebant, nec quae turba Serapin amat.*

MODIVM vel CALATHVM, fertilitatis symbolum, et solenne Aegyptiorum numinum ornamentum, in capite gerit; de quo *RVFFINVS Hist. Eccles. lib. II,* et *MACROBIVS Saturn. lib. I c. 20.* At sub hoc numine Iosephum fuisse cultum Aegyptiis, post *TERTVLLIANVM,* nemo fere ambigit. Ita ille *ad Nationes lib. II. c. 8: Hunc* (Iosephum) *Serapidem ex suggestu, quo caput ejus ornatum, vocaverunt; cujus modialis suggestus figura, frumentationis figuram obsignat.* Praefuit quippe Serapis generationi animalium et nutritioni. *ARISTIDES Hymn. in eund. p. 95:* Προέστηκε δὲ καὶ πάντων ζώων γενέσεως καὶ τροφῆς. Add. *ARTEMIDORVS Oneirocr. lib. V c. 93.* Sed de calathi figura varia consulendus est *L. BEGERVS Thes. Brand. Vol. I p. 153.* Et in gemma nostra fortasse frondes sunt appositae; non enim satis dignosci possunt.

CORONAM RADIATAM (ob quam *MACROBIVS* eum vult esse solem; add. *TACITVS lib. IIII Histor. c. 83. DIODORVS SICVLVS lib. I c. 2,*) itemque CAPILLOS et BARBAM Serapis ipse apud *EVSEBIVM lib. V de Praepar. Evangel.* oraculo celebrat:

> Φαιδρὴ μὲν κατὰ δῶμα θεοῦ καταλάμπεται αὐγή.
> Ἦλθε γὰρ, ἠντιβόλησε μέγας θεὸς εἶδεν ἐμεῖο
> κάρτος ἀμαιμάκετον λαμπηδόνα φλογμοτύραννον,
> βόστρυχον. ἐκ κεφαλῆς νεάτης, χαροποῖσι μετώποις
> ἀμφὶς ἰαινόμενον πλοχμοῖς θ' ἱεροῖσι γενείου.

Signa haec Serapidis, qui uti πολυώνυμος, ita et Panthei figura fingitur, in altera gemma augentur CORNV Ammonis, TRIDENTE Plutonis,

et SERPENTE ſive Apollinis ſive Aeſculapii, qualem conſpicimus apud *LAVR. PIGNORIVM in Expoſitione Menſae Iſiacae p. 3.* Conf. *ABR. GORLAEVS Dactyl. Part. II n. 193. PETR. SEGVINVS Select. Numiſm. p. 2 ſeqq. IAC. DE VVILDE Select. Gemm. antiq. n. 18.*

VI. ISIS.

Inachi filia, Oſiridis mater, conjux et ſoror, Deûm mater, Terra, Iuno, Luna, Ceres, Minerva, Bellona, Venus, Thetis, Diana, Proſerpina, Hecate, Rhamnuſia, *μυριώνυμος*, *Loti florem* vertici impoſitum habet. De LOTO praeter alios legi merentur *EZECH. SPANHEMIVS de Vſu et Praeſt. Num. Vol. I p. 301 ſeqq. CL. SALMASIVS Exercit. Plin. ad Solin. p. 683 ſeqq. et in Homonym. Hyles Iatr.* Conf. dicenda inferius ad gemmam Antonii *c. 3. n. 24.*

Humeri veſte velati Romanum numen indicant. Iſis enim plura Romae habuit templa. *Velum Iſiacum*, de quo *IOS. ANT. GONSALIVS DE SALAS in Comm. ad* Petronium *p. 288. 289,* huc non pertinet. Iſidem Memphiticam etiam quaere in *PIGNORII Menſa Iſiaca p. 86. n. 8.*

VII. VIII. IVNO.

Gravis, ut *SIDONIO* dicitur, *carm. VII,*

Ἥρη τιμήεσσα, πολὺ προὔχουσα θεάων,

Iſidem excipit, Saturni et Opis filia, Iovis et ſoror et conjux dicta, eo quod aër inferior ab igne caleſcat.

Ejus caput exhibent gemmae eleganter comtum κόμῃ πλεκτῇ, tutulo et orbiculis eum in modum exornatum, uti ipſam, accepto a Venere ceſto, ſe compoſuiſſe ſcribit *NONNVS Dionyſ. lib. XXXII, v. 11:*

Καὶ ταχινὴ πάνλευκον ἑὴν ἐπεκόσμεε μορφὴν,
πολλάκι δ' ἰσάζουσα, καθειμένον ἄχρι μετώπου
πλαζομένης ἔστησε μετήλυδα βότρυν ἐθείρης.

Capillorum quippe ſpirae ad malas usque ſunt diſpoſitae. Praeterea eſt inſertum monile pretioſum, gemmis et auro diſtinctum, quale ſe habuiſſe Medea jactat apud *EVRIPIDEM v. 1160.* et alibi. *SENECA A. III v. 572:*

- - - - Eſt et auro textili
monile fulgens; quodque gemmarum nitor
diſtinguit aurum, quo ſolent cingi comae.

VIIII. X. IVNO LVCINA.

Apud Samios ad Imbraſum fluvium ſub vitice nata, ubi et adolevit et Iovi nupſit. *PAVSANIAS lib. VII.* Imago hujus eximie ab iisdem colebatur velata, cum calatho in capite, duobus verubus ſuffulta, cum dimidia luna tum in capite, tum ad pedes. Numos cum hoc ſimulacro exhibent *PETR. SEGVINVS Select. Numiſm. p. 171,*

et

et *EZECH. SPANHEMIVS* ad Callimach. *p. 284.* Non dubitavi, gemmas hasce lunatas Lucinae Iunoni vindicare; quum satis constet ex *CICERONE lib. II de Nat. Deor. LVCIANO de Dea Syr. SERVIO ad Georg. lib. I v. 5,* aliisque, Iunoni et Dianae plurima fuisse communia, nisi eadem plane fuerit diversis nominibus. Ita enim Cicero: *Luna a lucendo nominata; eadem enim Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Quam *GORLAEVS Dactylioth. Part. II n. 540* exhibet, *GRONOVIVS* Lunam simpliciter interpretatur. Et *L. BEGERVS duo sigilla* profert *Th. Brand. Vol. III p. 228* sub nomine *Dianae Luciferae.* Capilli sine ornatu ullo, in nodum sunt contorti, uti et Dianae, quam mox dabimus.

De Iunone Lucina *OVIDIVS Fast. VI v. 39:*

An faciant mensem luces, Lucinaque ab illis
dicar; et a nullo nomina mense traham?

De cultu ejus, qua matres Romanae Calendis Martiis eam in valle Esquilina prosequebantur, Mars apud eundem ita fatur:

Mater amat nuptas; matris me turba frequentant.
Haec nos praecipue tam pia caussa decet.
Ferte deae flores: gaudet florentibus herbis
haec dea: de tenero cingite flore caput.
Dicite, tu lucem nobis Lucina dedisti.
Dicite, tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
ut solvat partus molliter illa suos.

CATVLLVS ad Dianam *carm. XXXII,* eoque seculari:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
tu potens trivia, et notho es
dicta lumine Luna.

XI. CERES.

Μεγάλα θεὸς εὐρυάνασσα,
λευκὸν ἔαρ, λευκὸν δὲ θέρος καὶ χεῖμα φέροισα
ἥξει καὶ φθινόπωρον.

Magna dea, late potens regina,
candidum ver, candidamque aestatem, et hiemem afferens,
veniet, atque vindemiam.

CALLIMACH. hymn. in Cerer. v. 122. Saturni itidem et Rheae seu Opis filia, καρποφόρος καὶ θεσμοφόρος cognominata, ob ingentia, quibus humanum genus mactasse credebatur, beneficia diis deabusque omnibus praelata est Hesiodo, Euripidi, et aliis.

Κάλλιον, ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε·
Κάλλιον, ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρᾶτα
ἀσταχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι,
ἁνίκα Τριπτόλεμος ἀγαθὰν ἐδιδάσκετο τέχναν.
Pulcrius (dictu,) *ut civitatibus gratas leges dederit:*
pulcrius, ut culmum et ſacrôs manipulos primos
ſpicarum abſciderit, et boves calcare immiſerit,
quum Triptolemus bonam (agriculturae) *doceret artem.*

Canit idem *Callimachus v. 19 ſq.*

COMA apte diſpoſita et in nodum religata, laetitiae argumentum eſt, uti αὐχενίης καθειμένα βόστρυχα χαίτης apud *NONNVM Dionyſiac. lib. VI v. 7.* ſignum ſunt triſtitiae. Ideo Iupiter apud *HOMERVM Iliad. Ξ. v. 326:* Δήμητρος καλλιπλοκάμοιο ἀνάσσης, *Cereris pulcricomae reginae,* amore ſe captum fuiſſe, Iunoni fatetur.

SPICARVM *faſciculo,* ſolito Cereris inſigni, caput ornata eſt; unde Philippus *Antholog. lib. VI c. 7* σταχιοστέφανον vocat. Iſtud hic praeterire non poſſum, ruricolas

extremae ſub caſum hiemis jam vere ſereno,

Cereri ſacra feciſſe, ſecundum illud *MARONIS lib. I Georg. v. 348:*

\- - - *Neque ante*
falcem maturis quisquam ſupponat ariſtis,
quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
det motus incompoſitos, et carmina dicat.

Meſſe peracta, primitias ei offerebant, uti teſtatur *OVIDIVS:*

Feſta piae Cereris celebrabant annua matres,
illa, quibus nivea velatae corpora veſte
primitias frugum dant ſpicea ſerta *ſuarum.*

Denique quum non tam corona aut ſerto, quam faſciculo ſpicarum comta videatur dea, neque iſtud tacendum eſſe puto, faſciculos illos dici *Iulos,* uti et hymni, quibus canebant: πλεῖστον οὖλοι ἵει, *plurimos ſpicarum manipulos mitte.* Conf. *EZECH. SPANHEM. in Callimach. p. 649. 650.* De hymno teſtatur vetus Apollonii interpres *ad lib. I.* Ἴουλος δὲ καλεῖται ἡ πρώτη ἐξάνθησις καὶ ἔκφυσις τῶν ἐν τῷ γενείῳ τριχῶν. ὁ μέντοι Ἐρατοσθένης, ὄνομα ᾠδῆς ἐρίθων ἀπέδωκεν ἐν τῷ Ἑρμῇ λέγων οὕτω· Ἡ χερνῆτις ἔριθος, ἐφ᾽ ὑψηλοῦ πυλεῶνος δενδαλίδας τευχοῦσα, καλὰς ᾔειδεν ἰούλους. οὐκ ἔστι δέ φυσι Δίδυμος. ἀλλ᾽ ὕμνος εἰς Δήμητρα, ὡς ὁ οὔπιγγος παρὰ Τροιζηνίοις εἰς Ἄρτεμιν· ἔστι μὲν οὖλος καὶ ἴουλος ἡ ἐκ τῶν δραγμάτων συναγομένη δέσμη. καὶ οὐλὼ ἡ Δημήτηρ.

XII. VENVS ANADYOMENE.

Gemmam hanc a *LEONARDO AVGVSTINO P. I n. 99.* a *CANINO n. 7. GORLAEO Tom. II n. 641.* exhiberi novimus. Auguſtinus Heronem Leandri; Caninus Atalantam; Gronovius nympham quandam marinam

rinam interpretatur. Exſtat ſimilis figura in numis gentis Creperiae apud Familiarum ſcriptores, quam *VAILLANTIVS* Venerem Anadyomenem explicat. In hac ſententiarum varietate, quae cuique patrocinari videntur, e veterum monumentis adſcribam, ut tamen omnibus ſentiendi judicandique libera ſit facultas.

VENEREM ANADYOMENEM *PLINIVS lib. XXXV c. 10* appellat *exeuntem e mari*, qualem Apelles pinxit ad Phrynes exemplum. *ATHENAEVS lib. XIII p. 590. 591.* Huc pertinet *ANTIPATRI SIDONII* in Anadyomenem carmen *lib. IIII Anthol.*

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάττας
Κύπριν, Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος,
ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν
ἐκθλίβει, νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.
Αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη·
οὐκ ἔτι σοὶ μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα.

Quod *AVSONIVS epigr. 104* ita reddidit:

Emerſam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin, Apellei cerne laboris opus.
Vt complexa manu madidos ſalis aequore crines
humidulis ſpumas ſtringit utraque comis.
Iam tibi nos, Cypri, Iuno inquit, et innuba Pallas,
cedimus, et formae praemia deſerimus.

HERONEM *MVSAEVS* ita depingit *v. 56 ſeqq.*

Μαρμαρυγὴν χαρίεσσαν ἀπαστράπτουσα προσώπου,
Οἷά τε λευκοπάρηος ἐπαντέλλουσα σελήνη.
Ἄκρα δὲ χιονέων φοινίσσετο κύκλα παρειῶν,
ὡς ῥόδον ἐκ καλύκων διδυμόχροον - -
- - - - εἷς δέ τις Ἡροῦς
ὀφθαλμὸς γελόων, ἕκατον χαρίτεσσι τεθήλει.

Splendorem gratum emittens facie, qualis alba genas oriens luna. Summi vero nivearum rubebant circuli genarum, ut roſa ex thecis bicolor. - - alteruter vero Herûs oculus ridens centum gratiis pullulabat. Auguſtinus Leandri effigiem hoc habitu reperiri aſſerit: quominus autem eam eſſe crederet, obſtare putat vultum femininum. Si Leandri eſſet, opinari quis poſſet

ἀφροκόμους ῥαδάμιγγας ἔτι στάζοντα θαλάσσης,
ſpumeas ex capillis guttas adhuc ſtillantem maris,

ut idem loquitur Muſaeus, concinente *OVIDIO Epiſt. X v. 103:*

Eque tuis demtos humeris mihi tradis amictus,
et madidam ſiccas aequoris imbre comam.

ATALANTAM graphice deſcribit *AELIANVS Var. Hiſt. lib. XIII c. 1* pluribus verbis: *ἀῤῥενωπὸν δὲ καὶ γοργὸν ἔβλεπε, vultum habebat quodammodo virilem ac ſeverum.* *ξανθὴ δὲ ἦν αὐτῆς ἡ κόμη, flavus erat capillorum color:*

ſed

ſed prolixior eſt locus, quam ut integer adſcribatur. *PHILOSTRATVS junior icone XV:* Ἔσταλται δὲ ἐσθῆτι μὲν ὑπὲρ γόνυ, κρηπῖδα δὲ τοῖν ποδοῖν ἐνῆπται. καὶ αἱ χεῖρες ἐς ὦμον γυμναὶ, διὰ τὸ ἔνεργον εἶναι, τῆς ἐσθῆτος ἐκεῖ ἐς περόνας ξυνεχομένης. τὸ δὲ κάλλος, ἀῤῥενωπὸν ἐκ φύσεως ὄν, ἀνίστησιν ὁ καιρὸς ἐπὶ μᾶλλον. *Amicta vero eſt veſte ad genu pertingente, ſoleis pedes induta. Manus porro ad brachium et humerum usque ſunt nudae, ut ad agendum ſit expedita, veſte ibi ad fibulas contracta. Formam ejus a natura maſculam, temporis ratio magis excitat.*

OVIDIVS Metam. lib. VIII v. 318:

Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem;
crinis erat ſimplex nodum collectus in unum:
ex humero pendens reſonabat eburnea laevo
telorum cuſtos: arcum quoque laeva tenebat.
Talis erat cultus; facies quam dicere vere
virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.

NEREIDVM quinquaginta catalogum dedere *HOMERVS Iliad. Σ. HESIODVS Theogon. v. 240. APOLLODORVS, HYGINVS. Virides Nereidum comae* ex *HORATII lib. III od. 28* notae ſunt. *SENECAE in Hippolyto v. 336* dicuntur *caerulus grex Nereidum.* Omnium optime doctiſſimam Gronovii conjecturam confirmat *CATVLLVS in Argonauticis, carm. LX,* habitum Nereidum deſcribens:

Illaque atque alia viderunt luce marinas
mortales oculi, nudato corpore, nymphas
nutricum tenus exſtantes de gurgite cano.

VIRGILIVS Georg. IIII v. 337 divis marinis tribuit

Caeſariem effuſae nitidam per candida colla.

Nereidum mythologiam, et quicquid de illis recondidit antiquitas, εὐστόχως depromſit, et congeſſit in ſchediaſmate *de Nerio,* illuſtre quondam orbis literati decus, *MICHAEL FRIDERICVS LOCHNERVS,* Archiater Caeſareus, fautor meus etiam poſt fata venerandus, quem bona quidem, ſed immatura morte, ipſis Idibus Octobris anni MDCCXX, vivis exemtum lugent boni omnes, quotquot raras ingenii plane divini dotes recte aeſtimare norunt.

XIII. MINERVA.

Iam galeam Pallas et aegida,
currusque et rabiem parat,

Iovis e cerebro nata ſine matre, uti antiquorum auctoritate docet *SPANHEMIVS ad* Callimach. *p. 643. 644,* bonarum artium bellique praeſes. *NASO Faſt. lib. III v. 5:*

Ipſe vides manibus peragi fera bella Minervae,
num minus ingenuis artibus illa vacat?

Ele-

Elegantiſſima haec gemma

dat galeam capiti, defenditur aegide pectus.

Idem *Metam. VI v. 79.* In illa vero tergeminas CRISTAS obſervavit *BARTHIUS ad* Statii *Thebaid. lib. II v. 242.* Sic pariter Bellonae, teſtante *MARTIANO CAPELLA,*

tergeminae rutilant de vertice criſtae,

et quidem a gallo gallinaceo. Hinc galeae conus dicitur ἀλεκτρυών. Auctor Etymologici M. Καὶ ἀλεκτρυόνα ἔλεγον τὴν θήλειαν ὄρνιν, καὶ τὸν λόφον τῆς περικεφαλαίας. *PAUSANIAS lib. VI cap. 26* memorat, in arce Elidis Minervae fanum fuiſſe, ſignumque ex auro et ebore fabricatum, Phidiae opus, cujus caſſidi inſtiterit gallus gallinaceus, quod (addit ille) haec eſt avis omnium pugnaciſſima. GALEA autem caput tegit, διὰ τὸ εἶναι τῆς σοφίας τὸ ἀκρότατον, ἀθέατον, *quod ſapientiae culmen ſub adſpectum non cadit. CODINUS de Signis Conſtantin. p. 13.*

SPHINX pro cono ſeu apice ſuppoſita eſt criſtae. *STATIUS Thebaid. lib. X v. 653:* *Sphinx galeae cuſtos,*

et *EURIPIDES Electr. act. 2.* de galea Achillis in choro:

Ἐπὶ δὲ χρυσεοτύπῳ κράνει
σφίγγες ὄνυξιν ἀοίδιμον ἄγραν
φέρουσαι.

In deaurata vero galea ſphinges unguibus famoſam praedam portantes. Sphinx alia Thebana erat, alia Aegyptiaca. *LAUR. BEGER. Theſaur. Brand. Vol. I p. 420.* et *Vol. III p. 369. 370.* Add. *QUAERENGUS* ad Pignorii *Menſam Iſiacam p. m. 35.* *KIRCHERUS* Oedip. *Aegypt. Vol. III Synt. I. MOLINETUS in Muſeo S. Geneſievae Tab. II n. 7.* *CORN. LE BRUN Voyage au Levant. p. 199. ſeqq.* Sunt autem ſphinges mera aenigmata, merae fabulae. *OVIDIUS Triſt. lib. IIII eleg. 7.* incredibilibus adnumerat: - - *Credam prius ora Meduſae*

Gorgonis anguineis cincta fuiſſe comis:
Eſſe canes utero ſub virginis - -
Sphingaque et Harpyias, ſerpentipedesque Gigantas.

Ornant inſuper galeam VERITAS, PANES, et FAUNI. De Veritate *PLATO lib. V. de L.L.* Ἀλήθεια δὴ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις. *Veritas profecto tum diis, tum hominibus dux omnium eſt bonorum.* Add. *Io. STOBAEUS Serm. LIX. LX. LXI.* Veritas, mater Fidii, et Honor, ejus parens, tres ſub uno numine culti a Sabinis, et ab iisdem, quum in urbem demigrarent, templo dedicato in collo Quirinali collocati, ſpectantur apud multos antiquitatum promos condos, Apianum, Boiſſardum, Gruterum et alios.

Pectus lorica ſquamata munitum eſt cum AEGIDE, a Cyclopibus fabrefacta, quam deſcribit *VIRGILIUS Aen. VIII:*

Aegidaque horrificam, turbatae Palladis arma,
certatim ſquamis ſerpentum auroque polibant,

connexosque angues, ipsamque in pectore divae
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

VALERIVS FLACCVS *lib. VI v. 174.*

- - Ipsaque Pallas
Aegide terrifica, quam nec dea lassat habendo,
nec pater horrentem colubris, vultuque tremendam
Gorgoneo, nec femineces ostendere crines
tempus adhuc.

C. SOLLIVS SIDONIVS APOLLINARIS *carm. XV* ab init.

Gorgo tenet pectus medium, factura videnti
et truncata moras, nitet insidiosa superbum
effigies, vivitque anima pereunte venustas.
Alta cerastarum spiris caput asperat atrum
congeries, torquet maculosa volumina mordax
crinis, et irati dant sibila tetra capilli.

Gorgo autem in illius pectore collocatur, ob mentis celeritatem.

Restat, ut obscurum hunc typum interpretando explanare satagamus. Quanquam enim

- - Pictoribus atque poëtis
quidlibet audendi semper fuit aequa potestas;

dicere tamen nollem, insulsum viri, qui hanc nobis gemmam dedit, fuisse ingenium. Imo vero recondita latet sapientia, quam fictor mente pressit, ut eruditorum ingenia provocaret. Est istaec gemma, ut neque hoc clam sit, ad πρωτότυπον alterius antiquioris reficta, qualem aeri incisam me alibi vidisse non recordor. Quod si itaque arcanum illius sensum eruere velimus, hariolari sat erit, quum certi quid promere sit denegatum. SPHINGIS interpretatio duplex est: vel enim de scientia, vel de ignorantia, conficta creditur. Vt sit reconditae sapientiae symbolum, clare evolvit FRANC. BACO VERVLAMIVS *de Sap. Vet. cap. 28.* ideoque et κελαινή, *tenebricosa*, LYCOPHRONI dicitur *v. 7.* et in lucis consecratur, auctore SYNESIO. Nec aliam ob caussam Minervae sacrata erat. Firmat nostram hanc conjecturam *Io.* GOROP. BECANVS *Origg. Antverp. lib. II p. 145.* sphingem Palladis galeae ideo additam esse, scribens, quod sapientiae religionisque vim potestatemque explicaret. Dum enim veterum Theologia faciem pulcrarum modestarumque virginum sphingi tribuit, et reliquum corpus leoninum addit, unguibus tamen uncatis et contractis, non ad vim explicatis, castitatem illi virgineam sanctitatemque tribuens, sed eam, quae, si laederetur, robur et celeritatem leontinam ad vindictam haberet. Idem alibi *p. 976.* asserit, Palladem esse veritatem. Iam Panum et Faunorum specie seu sapientiae doctores, seu personas ad scenam et dramati-

cam

cam poësin adhibitas agnoscamus, eorum certe sub larvis occultata est vera illa sapientia, et sapiens veritas, quam Socrates de caelo in vitam humanam, Philemon autem in scenam deduxit, quorum ideo imagines humero sunt affixae. Vtriusque certe placita apertae sunt veritatis, ejus scilicet, quae de Deo recte sentire docet. Ὥσπερ γὰρ τῷ μέτρῳ καταληπτὰ τὰ μετρούμενα, οὑτωσὶ δὲ καὶ τῷ νοῆσαι τὸν Θεὸν μετρεῖται καὶ καταλαμβάνεται ἡ ἀλήθεια. *Sicut enim ea, in quae cadit dimensio, mensura comprehenduntur ; ita etiam eo, quod Deum cogitemus, venit in dimensionem et comprehenditur veritas.* CLEMENS Alexandrinus *Protrept. p. 45.* Caeterum Socratis philosophi imago in memoriam redigit istam philosophiae definitionem, veteribus non incognitam, quae ad rem praesentem apte convenire, eamque accommodate declarare videtur: Φιλοσοφία, ἥ φασιν οἱ πρεσβύτεροι, πολυχρόνιός ἐστι συμβουλὴ σοφίας, ἀΐδιον μνηστευομένη ἔρωτα. Porro ut Philemonem fuisse veritatis amantem, efficiam, ex fragmentis, quae ab eo supersunt sententiarum de moribus plena, unum adscribo, quod pluseulis licet versibus constans, hic tamen legi meretur:

Εἴ τις δὲ θυσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
ταύρων τι πλῆθος, ἢ ἐρίφων, ἢ νὴ Δία
ἑτέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα,
χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας, ἤτοι πορφυρᾶς,
ἢ δι' ἐλέφαντος, ἢ σμαράγδου ζώδια,
εὔνουν νομίζει τὸν θεὸν καθεστάναι,
πλανᾶτ' ἐκεῖνος καὶ φρένας κούφας ἔχει.
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,
μὴ παρθένους φθείροντα καὶ μοιχώμενον,
κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν,
τἀλλότρια βλέποντα, κἀπιθυμοῦντα
ἤτοι γυναικὸς πολυτελοῦς, ἢ δώματος,
ἢ κτήσεως, παιδός τε, παιδίσκης θ' ἁπλῶς,
ἵππων, βοῶν, τὸ σύνολον, ἢ κτηνῶν, τί δή,
μηδὲ βελόνης ἐν ἅμμ' ἐπιθυμήσῃ, Πάμφιλε.
Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών,
ὃς ἔργοις δικαίοις ἥδεται, οὐκ ἀδίκοις.
Πονοῦντα δ' ἐᾷ τὸν ἴδιον ὑψῶσαι βίον,
τὴν γῆν ἀροῦντα νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν.
Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν,
μὴ λαμπρὸς ὢν χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
Βροντῆς ἀκούσας, μηδαμῶς πόῤῥω φύγης,
μηδὲν συνειδὼς αὐτὸς σαυτῷ δέσποτα.

Si sacra faciens, Pamphile, deo quispiam,
hoedosque mactans, vel boves quam plurimos,

 chla-

chlamydeve, quae sit purpurea vel aurea,
ebore vel ullo, vel smaragdo denique,
sibi reddidisse benevolum numen putat,
errat profecto, mente praeditus levi.
Vir namque frugi temperare sic sibi
debet, alienus ut sit haud tantummodo
ab adulterio, et ab inferendo virgini
stupro, a latrocinando, ab improbo lucri
amore, suasor esse qui caedis solet:
sed ut nec alius concupiscat conjugem,
vel bona, vel aedes, vel servulum, aut ancillulam,
equos, boves, jumenta, vel quaepiam alia;
imo nec alius concupisces fibulam.
Te namque cernit, adstat qui tibi Deus,
qui justa facta, non iniqua, amplectitur,
et comparare quemque vitae commoda
suo labore, terram arando, non vetat.
Cole aequitatem, victimam gratam Deo;
magisque corde quam chlamyde sis splendidus.
Non ad tonitrus fugeris unquam sonum,
si nullius sis conscius tibi mali.

Hos versus quum inter Comicorum Graecorum sententias *p. 377.* ex Iustino, Clemente Alexandrino et Eusebio recensuisset *H. STEPHANI,* continuo subjungit: *Si qui sunt inter ethnicorum versus, qui aliquid Christiana pietate dignum habeant, hi certe non immerito primum sibi inter eos locum vindicarint.* Sed ad gemmae expositionem revertor.

Si cum CEBETE in Tabula, sphinx amentiae et ignorantiae symbolum placeat, dixeris, Panum et Faunorum libidinosissimum genus, ea vitae vitia designare, quae virtutum nomine quotidie vendi solent, quando *prudentiam malitia, et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbia in animis extollendis, et despicientia in contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis, et justitiam acerbitas, et religionem superstitio, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam timiditas, et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, et oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi.* Quae *TULLII* verba ex *cap. XXIII Partit. Orat.* fuse illustrat *Io. CHRYSOSTOMUS in Act. Apost. Hom. 48. p. m. 811. 812. 813.* Istum nihilominus ignorantiae fumum dispellit veritas sapientissima, quam cultores ejus, quales Socrates atque Philemon, etiam conviciis impetiti, et cum vitae periculo, libere eloquuntur; alter quidem aperte, alter in scena sub personae habitu tutior. Nam, ut est apud *PINDARUM Pyth. III,* εἰ δὲ νόῳ τις

ἔχει

ἔχει θνατῶν ἀλαθείας ὁδὸν, χρὴ πρὸς μακάρων τυγχάνοντ' εὖ πασχέμεν. *Si mente quis habet mortalium veritatis viam, decet* illum *a beatis assecutum* quamcunque sortem *bene ferre.* Quo minus sub Faunorum schemate animum adverterem ad Socratis obtrectatores, Thrasymachum, Polium Calliamque, oratores, et Aristophanem Comicum, quorum virulenta lingua virum, Apollinis oraculo sapientissimum, enecavit; praeter alia obesse videbatur Philemonis vultus, quem incommodi quidpiam vel ab illis ipsis, vel ab aliis pertulisse, compertum non habeo; idcirco tamen asseverare nollem, non impetitum fuisse ab osoribus veritatis: nam et Sophoclem, Sophilli filium, periculum ideo incurrisse, testatur idem Clemens *l.c.* Καὶ παρακεκινδυνευμένως ἐπὶ τῆς σκηνῆς, τὴν ἀλήθειαν τοῖς θεαταῖς παρεισήγαγεν. *Non sine periculo veritatem auditoribus introduxit in scenam.* Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. PALLAS.

Vltima harum gemmarum ne cristam quidem in cono gerit, qua priores singulae superbiunt. *Homerus Iliad. γ.* Κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν ἵππουριν. *Galeam affabre factam imposuit cristatam ex setis equinis. Theocritus:*

Ἐν δ' αὐτοῖς ἱέρων προτέρους ἴσος ἡρώεσσι
ζώννυται, ἱππεῖαι δὲ κόρυν σκεπάουσιν ἔθειραι.

Virgilius de Mezentio *lib. X:*

Cristaque hirsutus equina.

Statius: *Capiti intremit aerea cassis,*
ter nivea scandente juba.

Silius lib. VIII:

Horridus et squamis et equina Curio crista.

Et de Marcello idem:

Circumstant rapidi juvenes, aptantque frementi
sanguineas de more jubas.

Conf. *Lipsius de Militia Rom. dial. 5. lib. III. Car. Paschalius de Coron. p. 720. Iac. de VVilde Sel. Numism. n. 19.*

XVIIII. PALLAS.

Caput thorace tenus expressum, alataque galea armatum, qualem alias victoria gestat, ob celeritatem eventuum bellicorum, apud *Iac. de VVilde loc. cit. n. 18. Angelus Causeus in Museo Romano,* alas huic deae datas censet, vel propter acrem minimeque retrahendum ad res impetum, vel quod ea aërem significet. Atque alata quoque Pallas occurrit in numis Thuriorum, annotante *Laur. Begero Thes. Brand. Vol. I p. 49.*

Pro cono et crista draco est, cum cauda equina intorta, de quibus *Gronovius ad* L. Augustini *gemmam 71,* cui nostra haec fere similis est.

Draco Minervae ſacer ex Athenienſium inſtituto, quem arcis cuſtodem placentis mellitis honorabant. *PLVTARCHVS de Iſide et Oſiride.* Inde *ARISTOPHANES Theſmophor.* οἰκουρὸν ὄφιν vocat, quam *HESYCHIVS* interpretatur τὴν τῆς πολιάδος φύλακα δράκοντα, καὶ οἱ μὲν ἕνα φασίν· οἱ δὲ δύο ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ ἐρεχθέος, τοῦτον δὲ φύλακα τῆς ἀκροπόλεως φασί· ᾧ καὶ μελιττούταν παρατίθεσθαι.

Humerum quoque tectum habet capite Satyri vel Marſiae, uti *GRONOVIVS* ὁ πάνυ hariolatur; niſi clypeum cum Gorgone dicere malimus. *CLAVDIANVS de Raptu Proſerp. lib. II v. 38.*

Potuitque videri
Pallas, ſi clypeum ferret; ſi ſpicula, Phoebe.

XX. APOLLO.

Iovis et Latonae filius, cum Diana uno partu editus in inſula Delo, mens animae mundi creditur Platonicis; citharoedorum, ſagittariorum, medicinae et vatum ac poëſeos praeſes. Homeri ſcholiaſtes *ad Iliad. α.* Τέσσαρες τέχναι ἀνατιθένται τῷ Ἀπόλλωνι· μουσικὴ τοξικὴ, ἰατρικὴ, μαντική. de quibus erudite commentatus eſt *HIERON. ALEANDER in Tabulae Heliacae expoſit. pag. 18. 19. et 47. 48.*

Ille ἀεὶ καλὸς, καὶ ἀεὶ νεὸς, juvenili facie ac χρυσοκόμη ſeu decoro inſignis eſt capillitio. Flavum caput ei tribuit *OVIDIVS Metam. lib. XI v. 166.* propter radios; vetuſtiores tamen artifices atrum ſemper capillum Apollini decoris ergo apposuerunt, uti teſtatur *ATHENAEVS lib. XIII c. 8. p. m. 604.* Crines, qui ſunt ad frontem, in circulum voluti; qui ad cervicem, in tergum diffuſi ſunt; uti Narciſſum deſcribit *CALLISTRATVS. OVIDIVS de A. A. lib. III:*

Alterius crines humero jactentur utroque;
talis es aſſumta, Phoebe canore, lyra.

SENECA Hippolyto v. 801:

Illum (Phoebum) *caeſaries, neſcia colligi*
perfundens humeros, ornat et integit.

PETRONIVS p. 383.

\- *Modo crinibus nitebas,*
Phoebo pulchrior, et ſorore Phoebe.

ubi *S. A. GABBEMA* videndus. *ALCMAEO* apud Ciceronem *Acad. Quaeſt. lib. III:*

Intendit crinitus Apollo
arcum auratum Luna innixus,
Diana facem jacit a laeva.

Vtplurimum cum *prima lanugine* fingitur, licet orientis populi barbatum crederent, quum haec perfecta viri forma ſit. *LVCIANVS de Dea Syr. CALLIMACHVS hymn. in Apollinem v. 36.*

\- - Οὔποτε Φοίβου
θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.

Nun-

Nunquam Phoebi teneris vel tantillum quidem lanuginis increvit genis. Add. *IAC. DE VVILDE Select. Num. n. 131.*

LAVRO caput cinctum eſt. Laurus enim futuri praeſcia, eidem ſacra erat poſt Daphnes transformationem, qua divinatrice et conjecturali virga, quae *MARTIANI CAPELLAE* verba ſunt, volucres ac fulgurum jactus, ac ipſius meatus caeli, commonſtrabat. *AVCTOR* Γεωπονικῶν *lib. XI* Καὶ τὸ μὲν δένδρον ἀπὸ τῆς παρθένου δάφνην ὠνόμασεν ὁμωνύμως. λαβὼν δὲ ἀπὸ τοῦ φυτοῦ πτόρθον, ἐστεφανώσατο, καὶ μαντικῆς ἔκτοτε σύμβολον ἐγένετο τὸ φυτόν. *VIRGILIVS Eclog. III:*

Phoebo ſua ſemper apud me
munera ſunt lauri.

Add. *OVIDIVS Metam. lib. I v. 557.* Eodem pertinet illud *ARISTOPHANIS in Pluto A. I Sc. 1. v. 39:*

Τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;
Quid ergo per coronas Phoebus garriit?

et *Scen. 2 v. 1561.* πυθικὴν σείσας δάφνην. *Laurum excutiens Pythicam.*

XXI. XXII. DIANA.

Phoebi ſoror, nata Iovis, perpetuam a patre virginitatem exoptans, ſilvas coluit, virginitatis ſervantiſſima, venationum praeſes et viarum, parturientium item et armenti: unde ταυροπόλον ſeu ταυρόπαν dici, probat *EVSTHATIVS.* Add. *LVC. HOLSTENIVS ad* Stephanum *de Vrbibus p. 315.*

LVNA CORNVTA, in capite exſtans, Dianam caeleſtem indicat; ea enim triplex eſſe dicitur, caeleſtis, terreſtris et inferna; quarum munia et nomina continentur tritis verſiculis:

Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana,
ima, ſuperna, feras, ſceptro, fulgore, ſagitta.

Huc facit, quod Dianam non aliam, quam Lunam eſſe velint, uti docet *PH. CLVVERIVS German. antiqu. p. 197.* et *Luciferam,* φωσφόρον dictam *EVRIPIDI in Iphigenia in Tauris.*

In comtum Lacaenae more comam religata

nodum eſt CAESARIES. *OVIDIVS de Arte lib. III:*

Altera ſuccinctae religatur more Dianae,
ut ſolet, attonitas quum petit illa feras.

At quando remiſſo arcu *otia nervus agit,* comam habet diſſolutam. In altera gemma crinis accuratius complicatus, et capiti duplici ordine, in fronte et in vertice, circumpoſitus, ῥοδοειδής, cujusmodi ornatus in viris κρώβυλος, in feminis κόρυμβος, in pueris σκορπίος dicebatur, notante Illuſtr. *GISB. CVPERO* ex Thucydidis ſcholiaſte *in Apoth. Hom. p. 185.* Praeterea

ut pateant AVRES, ORA ROTVNDA *volunt.*

Arcus

ARCVS denique adeſt et CORYTVS; unde *pharetrata Diana* eſt *STATIO Thebaid. lib. I* et *SIDONIO Carm. VII v. 30.* utpote cui, tanquam lunae, non minus ac Apollini ſeu ſoli, arcum et ſagittas dabant. *PHORNVTVS de N. D. c. 32:* Ἐχομένως τοίνυν, ὦ τέκνον, Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν, Ἄρτεμις δὲ ἡ σελήνη. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τοξότας ἀμφοτέρους παρήγαγον, τὴν ὡσανεὶ ἄφεσιν πόρρω τῶν ἀκτίνων αἰνιττόμενοι. *Conſequenter quidem, o fili, Apollinem eſſe ſolem, Dianam vero lunam exiſtimato. Nam hac de cauſſa vetuſtas utriſque ſagittas tribuit, quaſi indicare velit radiorum utriusque in longum projectionem.* Arcum vero nunc *corneum*, cornu enim arcuum olim materies fuit; nunc *aureum* tradunt *HOMERVS* ac ceteri poëtae. *CALLIMACHVS hymn. in Dianam v. 110:* χρύσεα μέν τοι ἔντεα. *Aurea quidem tibi arma:* hic idem et *argenteum* dicit *v. 119.* *VIRGILIVS* de Camilla *Aen. XI v. 652:*

Aureus ex humero ſonat arcus et arma Dianae.

et *v. 868,* Diana ad Aruntem:

Tune etiam telis moriere Dianae?
Dixit, et aurata volucrem Threïſſa ſagittam
depromſit pharetra, cornuque infenſa tetendit.

Arcus, ut et hoc denique addam, Cyclopum opus eſt. *CALLIMACHVS loc. cit. v. 9. 10:*

ἐμοὶ κύκλωπες ὀϊστοὺς
αὐτίκα τεχνήσονται, ἐμοὶ δ' εὐκαμπὲς ἄεμμα.
Mihi Cyclopes ſagittas
confeſtim fabricabunt, mihi etiam flexilem arcum.


Add. *v. 81 et 86:*

Κύκλωπες, ἤ (leg. καὶ) μοί τε κυδώνιον εἰ δ' ἄγε τόξον,
ἠδ' ἰοὺς, κοίλην τε κατακληῖδα βελέμνων
τεύξατε. - - Οἱ δ' ἐτέλεσσαν, ἄφαρ δ' ὡπλίσσαο, δαῖμον.

Cyclopes, mihi aliquem Cydonium agedum arcum, et ſagittas, cavumque clauſtrum ſagittarum, fabricate. - - At illi perfecerunt, ſtatimque armata es, dea.

XXIII. XXIIII. L V N V S.

Non Carrenorum tantum deus eſt, quem femineo nomine ac ſexu nuncupare, piaculum cenſuerunt, *SPARTIANVS in Caracalla cap. 7.* ſed et Comanorum, aliorumque populorum, quorum numos in indice conſignavit *Io. HARDVINVS Num. antiq. populorum et urb. illuſtrat.* add. *Io. VAILLANT in Numis Coloniar. P. I pag. 167. P. II p. 17. 26. 30. 45. 138* et *146.* itemque Aegyptiorum, qui ex Luno et bove femina Apin conceptum crediderunt, cui ideo luna falcata apponitur. *PLVTARCHVS Sympoſiac. lib. VIII quaeſt. 1:* Αἰγύπτιοι τόν τε Ἆπιν οὕτως λοχεύεσθαί φασιν ἐπαφῇ τῆς σελήνης, καὶ ὅλως ἄῤῥενι θεῷ πρὸς γυναῖκα


Cyanus.
25
Turcois.
26
Chalce. donius.
27
Sarda alba.
28
Sarda.
29
Sarda.
30
Sarda
31
Achates.
32
Jaspis.
33
Achates.
34
Chalce. donius?
35
Onyx.
36
Sarda.
37
Sarda.
38
Sarda.
39
Chalcedo. nius?
40
Sarda.
41
Ame. thystus.
42
Sarda.
43
Chalcedo. nius?
44
Sarda.
45
Sarda.
46
Achates.
47
Chalcedo. nius?
48
Ame. thystus.
49
Sarda alba.
50
Sarda.
51
Sarda.
52
Sarda.
53
Sarda.
54

ναῖκα θνητὴν ἀπολείπουσιν ὁμιλίαν. Aegyptii Apin ſic concipi ajunt lunae contactu, omninoque mari deo cum mortali femina concedunt conſuetudinem. Imo et Palmyrenos Lunum coluiſſe, judicant *SPONIVS* et *HALLEIVS*, in omni antiquitate verſatiſſimi, quorum ille *Miſcell. diſſ. III p. 62. 63* marmor exhibet cum ſignis Agliboli et Malachbeli, atque Malachbelum, qui lunam creſcentem humeris habet affixam, Lunum ſeu Lunam eſſe perhibet. Hallejus vero Iaribolum, cujus dei in iisdem monumentis facta eſt mentio, derivat ab *jerach bol*, deumque Lunum eſſe cenſet *TH. SMITH Annott. in Monum. Palmyr. p. 53.* Iam notum eſt e Petronio, Macrobio, Apulejo, Iulio Firmico et aliis, quorum loca annotarunt *VOSSIVS*, *MEVRSIVS* et *SELDENVS*, veteres crediaiſſe deos utriusque ſexus participes. *CASAVBONVS* ad Spartianum, deum Lunum et *μῆνα STRABONIS* habuit pro eodem numine, *SALMASIO* ideo vapulans: at pro Caſaubono ſtant numi et *PATINVS* atque *VAILLANTIVS*, quos conſulere licet. Fortaſſe *μὴν* ille Strabonis cum Attide, qui *μηνοτυράννου, menſium moderatoris*, epitheto notatur in inſcriptionibus apud *REINESIVM Claſſ. I n. 40.* quandam habet cognationem; utpote in cujus myſtico ornatu lunulam ad pectus adfixam numerat *LAVR. PIGNORIVS in Matris Deûm et Attidis initiis;* et in inſcriptione apud illuſtr. *CVPERVM in Harpocr. p. 106* ATTINI ARAM LVNAM ARGENT. POSVIT P. MARIVS. Reineſius vero Attida cum Macrobio et aliis ſolem interpretatur. Caeterum Attis juvenis pingitur, excellentiſſimo ore, et ſpecie inter virginem ac puerum eximia, caput tectus pileo phrygio, hoc eſt, acuminato, et in frontem inclinato. E veteribus, Ovidio, Catullo, Pauſania, Diodoro, Euſebio, Arnobio, Auguſtino aliisque, variam Atyos fabulam, praeter laudatos jam auctores, enuclearunt *NATALIS COMES*, *VOSSIVS*, *SALMASIVS* ad Solinum *p. 37. SPANHEMIVS in praefat.* ad Iulianum, pluresque alii.

Caput alterius gemmae mitratum, adſpiciens cornu copiae, quod tenet, vel pro Mida juvene, quem ſenem e numo produxit *IAC. SPONIVS in Miſcell. p. 30*, vel pro deo Luno habet *IAC. GRONOVIVS* in Gorlaei *Dactyl. P. I n. 165.* Attidi quoque, non minus ac matri Deûm apud *BOISSARDVM P. III n. 133* cornu copiae adjungitur.

XXV. XXVI. MERCVRIVS.

Iovis et Majae filius, *commune profundis et ſuperis numen*, uti *CLAVDIANVS* vocat, mercatorum et furum deus, animas caduceo ab inferis revocare creditus, ſive ſolem, ſive eloquentiam innuit.

En, vide, verba ſunt *APVLEII in Apologia, ut in capite criſpatus capillus ſub imo pilei umbraculo appareat?* PETASVS ſeu GALERVS, uti quibusdam vocatur pileolus ille rotundus, libertatis inſigne, ex al-

tera parte albus, ex altera niger memoratur *ALBRICO de Deorum Imagg.* *CLAVDIANVS de Rapt. Proserp. lib. I v. 78:*

Cyllenius adstitit ales
somniferam quatiens virgam, tectusque galero.

STATIVS Thebaid. lib. I v. 305:

Obnubitque comas et temperat astra galero.

Sub petaso TORVLVS ille Plautinus, judice *LAVR. PIGNORIO l. c. p. 9. 10.* effictus videtur in vetere numo, cujus ectypon refert gemma nostra.

Caput ALATVM ostendunt numi et gemmae. *SIDONIVS carm. VII:*

Tegeticus Arcas
nunc plantis, nunc fronte volat.

ISIDORVS lib. VIII c. 11: Ideo fingitur habere pennas, quia citius verba discurrunt. Vnde et velox et errans inducitur: alas enim ejus in capite et in pedibus, significare volucrem fieri per aëra sermonem. Apta hinc tralatione poëta dixit *verba alata.* Conf. *CODINVS de Signis Constantinopoleos.*

CADVCEVM seu *virgam MARTIANVS CAPELLA* tricolorem facit, auream in summo, in medio glaucam, in imo nigram. Vnde *APOLLODORVS* χρυσῆν vocat. *HORATIVS lib. I Od. 10:*

Tu pia laetis animas reponis
sedibus, virgaque levem coërces
aurea turbam, superis deorum
gratus et imis.

Et *MVSAEO* χρυσόῤῥαπις Ἑρμῆς est. Accepit eam ab Apolline, ex *HOMERI* asserto:

Ὄλβου καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον,

cujus descriptionem accuratissimam ex *IVL. CAES. CAPACII Histor. Neapolit. lib. I c. 14* quin subjungam, temperare mihi nequeo. Ita autem ille: Trium foliorum virga erat, τριπέτηλος, propterea quod solis radius, calorem, lucem, rerumque habet incrementum. Divitiarum praeterea procreatrix, cum Plutus in terrae viscerum mineris vigeat solis virtute, qua procreantur. In caduceo praeterea dracones marem et feminam constituebant mystae, quo symbolo hominum genituram Aegyptii significare voluerunt, quatuor deos homini nascenti adesse contendentes, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην, daemonem, fortunam, amorem, necessitatem, quorum duo priores lunam et solem denotabant; solem, quod caloris auctor et genitor, et custos, ideoque Δαίμων· lunam, ut corporibus praesidentem, quae fortuitorum varietate jactari arbitrabantur. Dracones mutuo se accipientes osculo, Ἔρωτα· Nodus, quo circumplexi erant, Necessitatis vinculum explicarunt, quam melior lex ablegavit. Hucusque Capacius; cui addi meretur *RAPH. TRICHETVS in epistola de Charonda ad* Petr. Seguin. *p. 192.* Ad *VIRGILII* imitationem *Aen. lib. IIII v. 242,* vires ejus describit *STATIVS loc. cit.*

Tum

Tum dextrae virgam inſeruit, qua pellere dulces
aut ſuadere iterum ſomnos, qua nigra ſubire
tartara, et exangues animare aſſueverat umbras.

XXVII. MERCVRIVS.

Iuvenilem Mercurii formoſitatem laudat *GALENVS in Suaſoria:* Νεανίσκος ἐστιν ὡραῖος, οὐκ ἐπίκτητον οὐδὲ κομμωτικὸν ἔχων κάλλος, ἀλλ᾽ εὐθὺς ὥστε συνεμφαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν δ᾽ αὐτοῦ. ἐστὶ δὲ φαιδρὸς μὲν τὰς ὄψεις. *Adoleſcens eſt primae lanuginis, non adſcititia neque fucata indutus pulcritudine, ſed in qua animi virtus ſtatim compareat. Eſt autem hilari vultu.*

CHLAMYDE indutus eſt, de qua loquitur *APVLEIVS Metamorph. lib. X: Adeſt luculentus puer nudus, niſi quod ephebica chlamyde ſiniſtrum tegebat humerum: flavis crinibus usquequaque conſpicuus: et inter comas ejus aureae pinnulae cognatione ſimili ſociatae prominebant, quem caduceum et virgula Mercurium indicabat.* Vtrumque hunc locum *L. BEGERO* debeo *Theſ. Brand. Vol. III p. 232. 233.* Sed et *PRICAEI notas in* Apuleii *Apologiam p. 150* inſpici fas erit, ubi veſtis circa humeros ſubſtringendae rationem, auctorum teſtimoniis nixam, ex veteris gemmae ectypo aperte tradidit.

XXVIII. AESCVLAPIVS.

Apollini editus Epidauri vel ab Arſinoë Meſſenia, vel a Coronide, et a Chirone educatus. De eo *PINDARVS Pyth. III. PAVSANIAS lib. II* et alibi notabiliora tradiderunt. Iungendus eſt *Io. HENR. MEIBOMIVS ad* Hippocratis *Iusjur. cap. 5.*

CALLISTRATVS inter ſtatuas *n. 10* Aeſculapium ita deſcribit, ut gemmae ſimul lucem foeneret: Πρόσωπον δέ, inquit, σοι θεασαμένῳ θουλοῦται τὴν αἴσθησιν. οὐ γὰρ εἰς κάλλος ἐπίθετον ἐσχημάτισται, ἀλλὰ παιὰν καὶ ἵλεων ἀνακινοῦν ὄμμα. βάθος ἄφραστον ὑπαστράπτει σεμνότητος, αἰδοῖ μιγείσης. πλοκάμων δὲ ἕλικες, ῥεόμενοι χάρισιν, οἱ μὲν εἰς νῶτα τεθηλότες ἄφετοι κέχυνται, οἱ δὲ ὑπὲρ μετώπου πρὸς τὰς ὀφρῦς ἐπιμένοντες τοῖς ὄμμασιν εἱλοῦνται. οἷον δὲ ἐκ τῆς ζωτικῆς αἰτίας καὶ αὐτοὶ καταρδόμενοι, εἰς τὴν τῶν βοστρύχων καμπὴν συνελίττονται. *Vultus autem, ſi intuearis, ſenſum obnoxium ſibi facit. Non enim adſcititio decore ornatus eſt, ſed medicum et gratioſum flectit oculum, ſummaque et ineffabilis majeſtas verecundia temperata ſublucet. Cinnorum autem volumina, Gratiis ſcatentia, partim quidem in tergo vegetantes libere diffunduntur, partim fronti imminentes, et ad ſupercilia pertinentes, circa oculos repunt. Ipſi vero, quaſi e vitali ſcatebra irrigati, in flexum cincinnorum complicantur* etc.

BARBA prolixa decoratur ob multarum rerum uſum atque experientiam, quae in medico requiritur. In *Priapeis carm. 36:*

Intonſa ſemper Aeſculapio barba eſt.

LACTANTIVS lib. II c. 4: Dionyſius auream barbam detrahens Aeſculapio, incongruens et iniquum eſſe ait, cum Apollo pater ejus imberbis eſſet adhuc ac levis, priorem filium, quam patrem, barbatum videri. Phliaſios tamen imberbem coluiſſe, et apud Sicyonios ſimulacrum ejus imberbe extitiſſe ex ebore et auro, annotat *PAVSANIAS lib. II c. 10. et 13.* itemque *LVCIANVS in Iove Tragoedo. OVIDIVS* et *STATIVS lib. III Silv. 4 juvenem Phoebeium* vocant, qualis etiam a *LAVR. PIGNORIO* exhibetur. Conf. Illuſtr. *CVPERVS in Harpocr. p. 78.*

Hunc modo ſerpentem, baculum qui nexibus ambit
perſpice,

et Aeſculapium ſtatim agnoſces, qui Iovi usque adeo ſimilis, ut perſaepe nonniſi a ſymbolis internoſci ambo poſſint, uti recte cenſet *BERN. MONTFAVCON* in regio opere, quod inſcripſit: *l'Antiquité expliquée et repreſentée en figures. Tom. I Part. II lib. II cap. 1 et 2.*

DRACO vel anguis, ſanitatis et vigilantiae teſſera eſt, ex mente *THEODORETI Serm. 7,* quod *morborum malignitatem deſerant aegrotantes ope medici, ut ſuam veterem pellem ſerpentes.* Sub illius ſpecie Epidauri et Romae colebatur, ad quam hiſtoriam, ignotam nemini, *Q. SERENVS SAMMONICVS* alludit:

Qui quondam, placidi tectus ſub pelle draconis,
Tarpejas arces, atque inclyta tecta petiſti.

De BACVLO *OVIDIVS Metam. lib. XV v. 655:*

Baculumque tenens agreſte ſiniſtra,
caeſariem longae dextra deducere barbae.

Etenim, ſecundum *FESTVM, Aeſculapius bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. APVLEIVS Metamorph. lib. I: Diceres, dei medici baculo, quem ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhaerere.* Quae de Aeſculapio ejusque ſymbolis dici poterunt, in *exercitationibus,* quas parabat, *Aſclepiadeis,* et in ſchediaſmate de *Feſto ῥάβδου ἀναλήψεως,* plena quod dicitur manu admetiri conabatur laudatus antea, nec unquam ſatis laudandus *M. F. LOCHNERVS,* de quo viro optimo vere praedicare poſſumus, quod de Camerario Voſſius, tantis praeconiis eum extollere et optimum et doctiſſimum quemque, usque adeo, ut qui eum non maximi faciat, is certiſſimo indicio vel inter indoctos et improbos referri mereatur.

XXVIIII. SALVS.

Patri addimus filiam ex Minerva, Hygeiam, quam Latini Salutem dixere. *ORPHEVS in hymn. Aeſculapii σύλλεκτρον ἀμεμφῆ, conjugem inculpatam,* vocat; et Critias apud *ATHENAEVM lib. X p. 433* τερπνοτάτην θεῶν θνητοῖς Ὑγίειαν. Conf. *I. H. MEIBOMIVS cit. loc. cap. 6.*

CON-

CONSTANT. LANDVS Sel. Numiſm. p. 15. ſq. *ORPHEVS in hymno Cereris*, inter caetera ab ea precatur ὁμοῦ δ' ὑγίειαν ἄνασσαν, *ſalutem reginam.* *PLAVTVS Moſtellar. A. 2 ſc. 1. v. 4.*

Nec ſalus nobis ſaluti jam eſſe, ſi cupiat, poteſt.

OVIDIVS Faſtor. lib. III v.880:

Ianus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
et Romana Salus, araque Pacis erit.

CAPVT hoc ALATVM eſt, *capillis* flammae in modum contortis, et infra alas diffluentibus; ad igneam celeritatem connotandam. *ORPHEVS* καλλιπλόκαμον dicit:

Εἰρήνην τ' ἐρατὴν, καλλιπλόκαμον θ' ὑγίειαν.

PAVSANIAS in Corinthiacis Hygiae numen velatum undique deſcribit, partim comis, partim babyloniae veſtis laciniis.

SERPENS denique capillis innexus et vertici impoſitus haeret. *SCHOLIASTES ARISTOPHANIS* in Pluto, cenſet, draconem Saluti et Aeſculapio additum, quod uterque Deus praeſtare crederetur, ut hominum corpora, infirmitatis pelle depoſita, in priſtinum vigorem revireſcerent. Add. *MACROBIVS Saturn. lib. I c. 20.* *BEGERVS Theſaur. Brand. Vol. I pag. 68.* Nobil. *SANDRARTIVS Academ. Teuton. Tom. II P. 3. p. 62* ſimilem fere gemmam exhibuit, quam ex uno eodemque πρωτοτύπῳ expreſſam ſuſpicatur Cl. *BEGERVS p. 55*, ex qua Perſeus alatus apud *LICETVM* in Gemmis Sigillaribus.

XXX. HERCVLES.

Alcmenae filius ex Iove, ſapientiae quaerendae cauſſa diverſas orbis partes adiit, inde *mundi luſtrator, hominumque domator*, Apuleio dictus. Qualis ipſe fuerit, et quis ejus habitus, quae forma, ex Hieronymo et Dicaearcho docet *CLEMENS* Alexandrinus in προτρεπτικῷ ſcribens: Ἱερώνυμος δὲ ὁ Φιλόσοφος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ ὑφηγεῖται τοῦ σώματος, μικρὸν, Φριξότριχα, ῥωστικόν. Δικαίαρχος δὲ σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπὸν, ὑποχαροπὸν, τετανότριχα. *Hieronymus autem Philoſophus, ipſius quoque corporis narrat habitum, parvum, criſpo capillo, bona firmaque valetudine. Dicaearchus autem gracilem, nervoſum, nigrum, naſo aquilino, oculis ſubcaeſiis, fuſo capillo.* Alii tamen procerae ſtaturae fuiſſe contendunt.

Caput, quod hic damus, nullo ornatum ſymbolo, Herculis eſſe agnoſcitur, tum e breviore capillitio, βοστρύχοις Φυσικῶς ἐνουλισμένοις, iisque fronti imminentibus, quos προκόττας, antias, propendulos, anteventulos et capronas dici, *HADR. IVNIVS* docet *de Coma cap. 1.* tum e vultu barbato, gravitatem ſeveram ſpirante, ut Iphiclus vereretur ὄπιδα προτέρην πολιοῖο γενείου, *adſpectum ſenilem canae barbae*, ut *MOSCH. idyll. 4* loquitur. Ἦν δὲ καὶ θεωρηθεὶς Φοβερὸς,

ὅτι

ὅτι παῖς Διός ἦν. τετραπηχυαῖον μὲν γὰρ εἶχε τὸ σῶμα. πυρὸς δὲ ἐξ ὀμμάτων ἔλαμπεν αἴγλην. Adhaec visu terribilis erat, nempe Iovis filius, quique cubitum corporis quatuor erat altitudine. Igneum ex oculis splendorem effundebat. Ita *APOLLODORVS Bibliothecae lib. II p. 84* eum adhuc puerum describit. Non plane dissimilis huic nostrae imago est apud *LEON. AVGVSTINVM Gemm. Part. I n. 6, MAFFEIVM* et *BEGERVM* in numismate Maeonum.

XXXI. XXXII. XXXIII. HERCVLES.

Quem barbatum vidimus, nunc etiam imberbem et *αἰολόμορφον, varium facie,* quo nomine *ORPHEVS in hymn.* eum appellat, contueri liceat. Gemmarum altera, quae lauro coronatum exhibet, similitudine quadam accedit ad illam *AVGVSTINI ibid. n. 4.* si tamen is vere Hercules sit. Iuvenis est et laureatus; quatenus nempe Hercules est sol,

ὃς περὶ κρατὶ φορεῖς ἠῶ καὶ νύκτα μέλαιναν,
δώδεκ᾽ ἀπ᾽ ἀντολιῶν ἄχρι δυσμῶν ἆθλα διέρπων.
Matutam capiti gestans, noctemque crepuscam,
sex bis ad occasum absolvens certamina ab ortu.

Vberius hoc explanavit elegantiorum literarum studiosissimus *G. I. VOSSIVS Theol. Gentil. lib. II c. 15.*

Altera gemma si Herculem habet, quod asseverare non dubitavit is, qui eam nobis obtulit, pellis leonina sub mento in nodum collecta est. De exuviis leoninis unicum Porphyrii locum adscribo ex *EVSEBII de Praeparat. Evangel. lib. III c. 3: Ῥόπαλον δὲ αὐτῷ καὶ λεοντῆν περιέθεσαν· τὸ μὲν τῆς ἀνωμαλίας μήνυμα· τὸ δὲ, τῆς κατὰ τὸ ζώδιον ἐμφανιστικὸν ἰσχύος.*

Sin *et dignos Baccho, dignos et Apolline crines* judicaveris, fortasse non Hercules est, sed Bacchus, pedes ex nebride in nodum collectos ante pectus habens; quem morem tetigit *CLAVDIANVS de Rapt. Proserp. lib. I:*

Lenisque simul procedit Iacchus,
crinali florens hedera, quem Parthica velat
tigris, et auratos in nodum colligit ungues.

Conf. *LAVR. BEGERVS Thes. Brand. Vol. I p. 26. 27. 29.*

XXXIIII. ACHELOVS.

Herculi colluctatorem (Lactantii vox est,) jungo. Herculis nempe noxium fluvii impetum coërcentis, eumque in plures rivulos diducentis, prudentia factum est, ut universae Acarnanum regioni Achelous esset laetissimus, gratamque fertilitatem largiretur. Vnde nata fabula, quam apud *OVIDIVM Metam. lib. VIIII, HYGINVM,* Sophoclis atque Lycophronis interpretes Graecos, et caeteros leges. Plura quoque de eo videas apud *CASP. BARTHIVM in* Statii *Thebaid. lib. II p. 650.*

p. 650, 651, HVG. GROTIVM *de I. B. et P. lib. II c. 3 §. 16,* IAC. PALMERIVM *Graeciae Ant. lib. III,* et post omnes de Sirenum hoc parente diligentissime commentatus est ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, *M. F.* LOCHNERVS, deliciae heu! quondam et amor eruditorum, in *Schediasmate de Sirenibus,* quod ἀνέκδοτον adhuc paucis ante b. obitum hebdomadibus vir nunquam otiosus perfecerat, qui dum vixit, id unice egit, ut publice privatimque omnibus esset utilis, gravis nemini.

In hac gemma βούκερανος, *cum bovino capite,* apparet VTROQVE *deformis* CORNV, uti SOPHOCLES *Trachin. v. 13* et STATIVS *Thebaid. VII* describunt, qui fere uno truncatus cornu in monumentis antiquioribus visitur. PIGNORIVS tamen *Mensae Isiacae p. 30.* nostro similem e gemma protulit. Add. OL. WORMIVS de *Cornu Danic.* NASO modo citatus *Epist. XV:*

Vt ferus Alcides Acheloia cornua fregit,
dum petit amplexus, Deianira, tuos.

Et *Epist. VIIII:*

Cornua flens legit rapidis Achelous in undis,
truncaque limosa tempora mersit aqua.

XXXV. P A N.

Nemoris bellique potens, quem lucis ad ortus
antra tenent,

ut ait VALERIVS FLACCVS *Argonaut. lib. III v. 48.* totius naturae anima, in mundo tanquam in corpore, vel domo ac sede, habitans, *hortorum vinearumque hispidus ille custos,* montium item, apium et alvearium custos,. HOMERO dicitur Mercurii et Penelopes filius, quem alii Iove, Aethere, aut Demogorgone satum appellant. Quum universi naturam hoc Panis figmento includere vellent veteres; ita eum finxere, ut nihil ex universo deesse videretur, unde τερατωπὸς ἰδέσθαι, *monstrosus adspectu* est. Nos illa tantum symbola decerpimus, quae gemmae illustrandae inserviunt. Eam vero, ut neque hoc reticeam, jam olim CAVSAEVS in *Museo Romano* proposuit.

CORNVA duo eminent, quibus lunae cornua, vel lucis et radiorum demissionem significari volunt. Vnde, sicut et Bacchus, χρυσοκέρειος cognominatur et δίκερως. LVCIANVS *in Deor. Concil.* Ὁ μὲν κέρατα ἔχων, καὶ ὅσον ἐξ ἡμισείας ἐς τὸ κάτω αἰγὶ ἐοικὼς, καὶ γένειον βαθὺ καθειμένος, ὀλίγον τράγου διαφέρων ἐστίν. ORPHEO *in hymno* dicitur ἀληθὴς Ζεὺς ὁ κεράστης, *verus Iupiter corniger.* SILIVS ITALICVS *lib. XIII v. 332:*

As

Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte,
ſtant aures, imoque cadit barba hispida mento.

Apud *STATIVM* in arbore Atedii, Pholoë nympha Panis *cornua improba vitat.*

Vertex capitis cum occipite COMA tegitur, et mentum BARBA veſtitur, quae radios ſiderum, ſolis maxime atque lunae, e longinquo operantes ſignificabant, ac in univerſum lucis naturam et ſplendorem, quo ſol et ſuperiora colluſtrat et inferiora. *CALLIMACHVS hymn. in Dianam v. 90* γενειήτην, *barbatum,* memorat. Et *HOMERVS hymn. in Pana:*

Δεῖσε γὰρ, ὡς ἴδεν ὄψιν ἀμείλιχον ἠϋγένειον.
Metuit enim, ut vidit faciem implacabilem hirſutam.

NASO iram ſpirat, ventos puta. *THEOCRITVS:*

Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

PHILOSTRATO Iconum lib. II n. 11 Pan dormiens deſcribitur ἀνεμένος τε καὶ πρᾶος τὴν ῥῖνα, καὶ τὸ ἐπίχολον αὐτῆς λεαίνων τῷ ὕπνῳ, *remiſſus ac mitis naſum, ſuamque iracundiam ſomno mitigans.*

Ante faciem eſt FISTVLA, *dulce ſonans calamis* quinque, tribus majoribus, et duobus brevioribus; qualis etiam eſt in gemma Theſauri Brandenburgici, *Vol. I p. 23.* Alias eſt *ſeptem compacta cicutis;* qua de re videndus eſt *CASP. BARTHOLINVS de Tibiis veterum lib. III c. 6. SIDONIVS carm. I Panes cicuticines* vocat, et *PHORNVTVS* συρίκτην. *VIRGILIVS Eclog. II v. 32:*

Pan primus calamos cera conjungere plures
inſtituit.

Fabulam de Syringe, ex cujus in arundinem mutatae calamis fiſtulam compegit, nota eſt, et pluribus verſibus deſcribitur ab *OVIDIO Metam. lib. I v. 705 ſqq.* Fiſtula haec ad caeli harmoniam refertur, in qua inſunt ſeptem toni, totidemque vocum diſcrimina, quae ex ſolis motu hominibus innotuerunt; niſi malimus ad ſeptem ſtellarum errantium motum referre.

PEDVM denique recurvum, anni circuitum denotat, vel ſolis potentiam, quam in omnia exercet. *SILIVS:*

Paſtorale deo baculum.

XXXVI. XXXVII. PAN.

Viſitur non calvus, ſed ἀγλαέθειρος, *pulchricomus,* ex *HOMERI* elogio. Praeterea φαιδρὸν αὐτῷ τὸ εἶδος, καὶ τῆς ῥινὸς οὐδὲν χολῶδες, *laeta ipſi facies, nihilque naſus habet iracundum,* uti loquitur *PHILOSTRATVS Iconum lib. II n. 12.* Priori capiti non plane diſſimile eſt, quod *GORLAEVS Tom. II n. 506* et reliqui exhibent, adjectis intellectu obſcuris literis ΛΟΥΚΤΕΙ, quae in noſtra abſunt. Abſunt quoque auriculae aſini, ex quibus conjicit *SANDRARTIVS Academiae Teuton.*

Vol. II

Vol. II Sect. III p. 56, Lucii illius philoſophi imaginem eſſe, qui lepidam aſini metamorphoſin in literas retulerit. Ad hanc vero illius conjecturam, quam et Gronovio approbatam video, ut accederem, a me impetrare nondum potui. In eam potius devenio ſententiam, ſub Panis effigie larvam ſcenicam eſſe, quae ad ludos Cereales pertineat; quales in numis gentis Vibiae cernuntur; omnes autem artifices ſcenici Baccho ſacri, uti ex *PLVTARCHI Quaeſt. Rom. 105* conſtat: deinde in ſcenam prodiiſſe Satyros, Silenos, Faunos, ex *HORATII* epiſtola *ad Piſon. v. 221. 244* et aliunde notum eſt; adhaec collum non habet, quod nunquam hominum aut deorum capitibus deeſſe, *ALBERTVS RVBENIVS* ad Ducis Croyiaci Numiſmata *Tab V num. 17* jam ante me obſervavit; denique *aures capripedum Satyrorum acutae*, quas *HORATIVS lib. II Od. 19* vocat, univerſo huic generi communes ſunt. Vnde nec pro Mida decernere ſuſtineo, cujus, voto aureo ſoluti, aures humanae in aſininas ſunt mutatae, quam fabulam narrat *OVIDIVS Metamorph. lib. XI v. 174 ſqq.*

Nec Delius aures
humanam ſtolidas patitur retinere figuram;
ſed trahit in ſpatium, villisque albentibus implet;
inſtabilesque imo facit, et dat poſſe moveri.
Caetera ſunt hominis: partem damnatur in unam;
induiturque aures lente gradientis aſelli.
Ille quidem celat, turpique onerata pudore
tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed, ſolitus longos ferro reſecare capillos,
viderat hoc famulus.

Altera gemma, quam, utpote larvam, priori jungo, aſininas aures habet, quales Baccha apud *CAVSEVM in Deorum Simulacris tab. III*, ſed loco incongruo et ita affixas, ut cornua e maxillis enata videri poſſint. Caetera caput bene comatum eſt, et decenti barba conſpicuum. *CONSTANT. LANDVS p. 89*, ubi ex numo ſimilem faciem exhibet, deſcribit barbatam ac galeatam vultu torvo.

XXXVIII. F A V N V S.

Facies eſt ſenilis, macilenta, rugoſa; oculi depreſſi, naſus gibbus et prominens, cum ingenti tubere inter ſupercilia. Recalvaſter denique eſt, niſi quod capilli a vertice ad frontem depexi, ut comatus videatur. Hermoneus, comoediae novae perſona, eſſe videtur, ἀναφαλαντίας, εὐπώγων, ἀνατέταται τὰς ὀφρῦς, τὸ βλέμμα δριμύς, *recalvaſter, barbatus, ſupercilia attollit, aſpectu aſper. POLLVX lib. IIII ſegm. 144.* cum quo *IVL. CAES. SCALIGER Poëtices lib. I c. 14.* conjungendus, et *ISAAC. CASAVBONVS de Poëſi Satyr. lib. I c. 4. IOSEPH.*

SCALIGER quondam Faunos ſemper fuiſſe calvos aſſeruerat, *in commentario ad Priapea carm. 36.*: contra quem *EZECH. SPANHEMIVS in notis ad* Iuliani *Caeſares p. 341.* comatos omnino fuiſſe, atque in dicto carmine, non *cruentos*, ſed *comatos* legendum eſſe, evincit. Verſus ipſos, quum non tantum illuſtrent, quae de Fauno, ſed et quae de aliis diis adhuc diximus, adſcribo:

Notas habemus quisque corporis formas.
Phoebus comoſus: Hercules lacertoſus:
trahitque Bacchus virginis tener formam:
Minerva flavo lumine eſt: Venus paeto:
frontem comatos (cruentos) *Arcadas vides Faunos:*
habet decenteis nuncius deûm plantas:
tutela Lemni dispares movet greſſus:
intonſa ſemper Aeſculapio barba eſt:
nemo eſt feroci pectoroſior Marte.

Conſona ſunt, quae habet *MINVTIVS FELIX in Octavio p. m. 105.* Si quis in gemma faciem rubentem ſe vidiſſe crederet, nae, is acutum cerneret. Illam Pani fuiſſe teſtatur *SERVIVS ad* Virgilii *Eclog. X v. 26*:

Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipſi
ſanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Imo et Iupiter, et Bacchus, et Sol, et reliquorum deorum ſimulacra minio pingi ſolita, docent *Io. BRODAEVS Miſcell. lib. II c. 13.* apud Gruterum in *Theſaur. Crit. Part. II.* et ampliſſimus *CVPERVS in Harpocr. p. 10.*

RVGAE ſunt a nimio vini potu: vinolentus enim Bacchi chorus eſt; nam vinum *νεύρων βλαπτικὸν καὶ τῶν λοιπῶν αἰσθητηρίων, nervos et ſenſoria alia laedit*, docente *DIOSCORIDE lib. V c. 6*, qui et ibidem addit: *μέθη δὲ πᾶσα, καὶ μάλιστα ἡ συνεχὴς, ἐπιβλαβής· τά τε γὰρ νεῦρα πολιορκούμενα καθ' ἑκάστην ἐνδίδωσι. Noxia omnis ebrietas, praeſertim continuata: cedunt enim nervi, quotidiana veluti obſidione laborantes.* Sed et ſtrenuus veneris uſus cutem laxat, ut

veniant rugae, quae tibi corpus arent.

Nec aliunde OCVLI DEPRESSI, quorum aciem tanquam ſuffuſione quadam conturbat et vinum et venus. De vino *ADRIANVS TVRNEBVS* copioſius id adſtruit, quem in libello *de Vino* videſis. Notum eſt epigramma Graecum:

Οἶνος, καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἐρωὴ,
ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς αἴδην.
Ad ſtyga, vina, venus, repetitaque balnea ſaepe,
deducunt multo nos breviore via.

Sed haec hactenus. Iſtud tacendum hic non eſt, quem Faunum Latini, eum Graecos Pana vocaſſe, teſte *ISIDORO lib. II Origin. c. 20.*

Atque

Atque Panes et Faunos eosdem censeri, tangit quoque *RVTILIVS NVMATIANVS in Itiner. lib. I v. 229:*

Praesidet exigui formatus imagine saxi,
qui pastorali nomina fronte gerit.
Multa licet priscum nomen deleverit aetas,
hoc Inui castrum fama fuisse putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maenala silvis,
sive sinus patrios incola Faunus init.

Sed et *SERVIVS ad Aen. lib. VI v. 775* docet, Inuum, Panem, Incubum, Faunum, eundem plane esse. *LAVR. BEGERVS Thesaur. Brand. Vol. I p. 19. 20.* insuper addit, nec Silenos et Satyros alios esse quam Panas et Faunos; quam sententiam repetit ac tuetur *Vol. III p. 248.* Vt adeo mirum non sit, Fauno cornua tribui, uti et Pani. *OVIDIVS Fastor. lib. II v. 268:*

Fauni sacra bicornis eunt.

lib. III v. 312: *Quatiens cornua Faunus.*

et *Heroid. epist. IIII v. 49:* *Faunique bicornes.*

XXXVIIII. SILENVS.

Phryx Tertulliano dicitur, in Laconum promontorio Malea, vel Nysae in India natus, Bacchi nutritor, *custos famulusque dei Silenus alumni*, uti *HORATIVS in Arte v. 239* canit. Satyrorum senissimus, quos comites et discipulos habebat. Plato affirmat, eum e Cimmeriis a Mida advocatum, ut philosophiae arcana sibi traderet, essetque ipsius magister et deus. Sileni certe philosophiam confirmant tum ea, quae Theopompus narrat apud *AELIANVM Hist. Var. lib. III c. 18*, tum quae *VIRGILIVS Eclog. VI* ipsi tribuit, disserenti de creatione mundi et similibus. Baccho autem adjungitur, cum quo multa etiam templa habuit communia, quod sapientiae doctores sint veluti custodes furoris divini, quo rerum caelestium contemplatione abripimur. Sed de Silenis, (non unus enim fuit, quando *NONNVS* σειληνῶν φάλαγγα meminit *lib. XIII v. 45.* eosque a Satyris diversos pronunciat,) dubia adhuc et sub judice lis est, utrum purum figmentum sint, an homines daemonesve? in quam quaestionem inquirit *L. BEGERVS Thes. Brand. Vol. I p. 17. 18.*

Silenum Socrates dicitur vultu referre. Is autem CAPITE mutilo et calvo erat; CAPILLI in hac gemma fere a vertebra colli incipiunt, ex *BERN. MONTFAVCONII* descriptione, qui in *Antiquit. Tom. I Part. II lib. I c. 24* ex Maffaeo gemmam exhibuit. *NONNVS Dionys. lib. XIX* circa fin.

Ἴκελον εἶδος ἔχεις καὶ ἐν ὕδασιν· οὐ νέμεσις δὲ
σειληνὸν κομόωντα βοοκραίροισι μετώποις
ταυρείην κερόεσσαν ἔχειν ποταμηΐδα φωνήν.

AVRES ACVTAE, et SVPERCILIA HIRSVTA, ſuperbiam atque ſeveritatem indicant. Naso quoque ſimo eſt et compreſſo ſeu camuro. *Lvcianvs in deorum concilio:* Ὁ δὲ Φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα, ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος. Naſus autem camurus, caput calvum, frons lata, hominem vinoſum et impudentem notant. MENTVM habet breve, BARBA promiſſa tectum, quod docendi munus notat. *Nonnvs lib. XIIII v. 131* de Satyris:

Τοῖς μὲν ἐπὶ κροτάφοις διδυμάονες ἀμφὶ μετώπῳ
ὀξυτενεῖς γλωχῖνες ἐμηκύναντο κεραίης·
ψεδνὴ δ' ὀκρυόεντι καρήατα φύετο χαίτη
ἀκροφανὴς σκολιοῖσιν ἐπ' ἀνδράσιν· οὔατα δ' ἄμφω
νισσομένων πτερόεντες ἀνεῤῥίπιζον ἀῆται,
ἰθυτενῆ λασίοισιν ἐπικτυπέοντα γενείοις
ἐκταδόν.

XXXX. XXXXI. XXXXII. FLORA.

Mille venit variis florum dea nexa coronis,

quam a Sabinis Romulus inter caeteros deos deasque colendam accepit. *Varro lib. VI de LL.* ex quo loco et altero Ennii, *Ovzelivs* ad Minucium Felicem *p. 233* probat, tantum abfuiſſe, ut inter propudioſa numina collocaretur, ut potius Romulo antiquior fuerit Florae cultus, et flamines ei dati. Conf. *Raph. fabrettvs Inſcript. c. 15 p. 742.* Fabulam cecinit *Ovidivs Faſt. lib. V v. 183 ſqq.* Illa Chloris Zephyri habebatur conjux: inde Gloſſarium vetus emendare voluit *Io. Mevrsivs* in *Exerc. Criticis*, et pro *Clores*, ἰάπυξ ἄνεμος, reponere: *Chloris*; quia, *Gellio lib. II c. 22* docente, *Corus* vel *Caurus* ſit Iapyx. Sed haec obiter. Caeterum Flora et Venus frequenter pro una eademque habentur, uti probat *H. Aleander* in *Tab. Heliac. p. 70. 71.*

COMA ornata eſt *teſtudine Cyllenea,* quo cultu etiam conſpicitur apud *Vrsinvm* in gente Servilia *p. 242.* Inter gemmas Gorlaeanas una eſt, quam ex florum ornatu Florae vindicat *Begervs* in *Contemplatione gemmarum quarundam Dactyl. Gorlaean. p. 35. 36.* quum Cl. *Gronovivs* Baccho addixiſſet. Eſt et in numo gentis Claudiae apud *Vaillant. tab. 40.* Sed gemmae noſtrae ab iſtis abeunt.

XXXXIII. TEMPVS.

Quo nihil antiquius, Saturni ſub fabula deſcripſerunt veteres. Is quippe Deorum ſator, princeps ac pater, totiusque poſteritatis imago, Vrani ſeu Caeli et Telluris ſeu Hecates aut Veſtae filius natu minimus, Adamum vel Noachum referre dicitur: niſi totam fabulam vel de Saturni ſtella, vel de ſole explicare, aut, cum Minutio Felice, Cretae regem adſerere malimus.

In

In hac gemma CAPITE NUDO seu *aperto* est, quum, quo Saturnus regnabat tempore, justitia et veritas nuda, simplex et aperta, omnibus esset cognita. Veritatis autem deus a Romanis habitus est, teste *Pictorio* Vill. *Theol. Mythol. cap. 2.* ex *Plutarchi Quaest. Rom. XI et XII.* *Festus* Pauli Diaconi in voce Saturnia: *Saturnii quoque dicebantur, qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi arx dicata ei deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum supplicant* apertis *capitibus.* Add. *Macrobius lib I Saturn. cap. 10.* circa fin. Qui sacrificantium capita retegebant, *lucem facere* dicebantur. *Martianus Capella de Nupt. Philol. lib. I* *Fulgentius Mythol. lib. I c. 2*, et *Albricus de Deor. imagg.* velato eum capite fingunt; qua de re alibi.

Capitis CAESARIES cana est. Idem *Capella: Ipsius autem canities pruinosis nivibus candicabat.*

FRONTE RELICINA, uti Apulejus loquitur, deformatum an finxerint antiqui, me non legisse memini. Unde temporis magis quam Saturni iconem dare voluisse artifex videtur.

In MENTO NIGRI semper PILI sunt, testante *Orpheo*; quod *Proclus* in *Comment. in Hesiodea* interpretatur de cura illius vitae, quae deum habet propositum, quod tunc homines semper ad majorem vigorem tendant, et appropinquent ad id, quod reipsa est, ac a primo ortu retrocedant, cum quo senecta et interitus sunt conjuncta. Vid. *Ioach. Camerarius Decur. XI probl. 8.* et *Cuperus l. c. p. 103.*

HARPEN a matre accepit Tellure. *Apollodorus lib. I:* Καὶ δίδωσιν ἀδαμαντίνην ἅρπην Κρόνῳ. *Hesiodus* Θεογονίας *v. 174:* Ἐνέθηκε δὲ χειρὶ ἅρπην καρχαρόδοντα, *indidit vero manui falcem asperis dentibus*, quam Telchines, Cretenses fabri, fabricarunt. *Eustathius* ad Dionysium *de Situ orbis.* *Sidonius Apollinaris carm. XV v. 61.*

Falciferi Cronon ire senis per summa polorum.

Ea falx hic foenaria est, quae in numis Memmiae gentis et Serviliae apud *Fulv. Ursinum, Patinum* et *Io. Vaillant.* messoria exprimitur. Quod alterum argumentum est, temporis non Saturni effigiem hac gemma designari. *Arnobius adv. gentes lib. VI: Saturnus* (fingitur) *cum obunca falce, custos ut ruris, aut aliquis ramorum luxuriantium tonsor.* *Virgilius Georg. II:*

Rusticus et curvo Saturni dente relictam
persequitur vitem. et *Aeneid. VII:*
Vitisator curvam servans sub imagine falcem
Saturnusque senex.

Iuvenalis Sat. XIII v. 39: - - *Priusquam*
sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens.

Add. *Isidorus Origg. lib. VIII.* *Macrobius lib. I Saturn. c. 8.* aliique.

XXXXIIII. IRA.

Irae deformitatem graphice depingit *SENECA lib. II de Ira c. 35*, ubi eam Furiis comparat. Locus prolixior eſt, quam ut adſcribi debeat. Parum itaque intererit, imaginem hanc ſeu irae ſeu Eumenidum alicujus eſſe dicamus. Furiae autem divinis honoribus et a Romanis et a Graecis afficiebantur. *CICERO lib. III de Nat. Deor. Sin haec dea eſt, cur non Eumenides? quae ſi deae ſunt, quarum et Athenis fanum eſt; et apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae. Furiae deae ſunt ſpeculatrices, credo, et vindices facinorum et ſcelerum.* Atque harum unam eſſe ut credam, me inducunt ὀφιοπλόκαμοι, quo epitheto eas *ORPHEVS* mactat; atque tales Aeſchylus primus exhibuit, teſte *PAVSANIA* in *Atticis*. Sunt illae noctis et Erebi filiae, ſeu Iovis et Perſephones, ſemper virgines, Alecto, Megaera, Tiſiphone. Plane talis eſt in gemma, qualis *OVIDIVS Metam. lib. IIII v. 453. 473 et 490* deſcribit Tiſiphonen:

Nexaque vipereis diſtendens brachia nodis,
caeſariem excuſſit: motae ſonuere colubrae.
Parsque jacens humeris; pars circum tempora lapſae
ſibila dant, ſaniemque vomunt, linguasque coruſcant.

Add. idem *Heroid. Epiſt. II v. 119. VIRGILIVS Aen. lib. VII v. 327. 341. 415. 447. SENECA in Medea v. 14. Hercul. Furent. v. 92. CORNVTVS* Θεωρίας *cap. 10.*

De ALIS eſt illud *VIRGILII ibid. v. 476:*

Alecto in Teucros ſtygiis ſe concitat alis.

Et *SENECAE in Hercule Oet. v. 1003* de Megaera:

Quaenam iſta torquens angue vipereo comam
temporibus atras ſqualidis pinnas quatit?

Si cui haec diſpliceant, quid vetat, quo minus Meduſam exhiberi credamus? Alato certe capite, forte quod ex capite ejus deſecto Pegaſus alatus repente proſiliit, conſpicitur in numo gentis Coſſutiae. Illius mythologiam fuſe perſequitur *NATALIS COMES lib. VII cap. 11 et 12*, et ex *AESCHYLO* docet, Gorgones habuiſſe alas.

Πέλας δ' ἀδελφαὶ τῶνδε τρεῖς κατάπτεροι
δρακοντόμαλλοι Γοργόνες βροτοστυγεῖς,
ἃς θνητὸς οὐδεὶς εἰσιδὼν ἕξει πνοάς.
Sunt tres ſorores his volucres non procul,
ſerpentibus dirisque comtae Gorgones,
quas intuens nemo diu ſpiraverit.

XXXXV. CLAVDIA VESTALIS.

Inſigne pietatis exemplum, Appii Claudii Audacis ſive filia, ut volunt *CICERO* et *VALERIVS MAXIMVS lib. V c. 14*; ſive ſoror, ut

SVE-

SVETONIVS tradit in *vita Tiberii cap. 2.* Hanc eam ipſam eſſe, cujus pudicitiam teſtatam fecit mater deûm, *HERODIANVS lib. I c. 11* aſſerit. *SIDONIVS APOLLINARIS Carm. 24:*

> *Qualis nec Phrygiae dicata Veſtae,*
> *quae contra ſatis Albulam tumentem*
> *duxit virgineo ratem capillo.*

At *TVLLIVS* in *Orat. pro Coelio c. 14* hanc ab illa ſejungit, *Nonne te,* inquiens, *ſi noſtrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domeſticae laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? non virgo illa Veſtalis Claudia, quae patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebis de curru detrahi paſſa non eſt?* Add. *GRONOVIVS Vol. III lit. q.* Cum igne aeterno eſt in numo gentis Claudiae apud *VRSINVM* et alios.

XXXXVI. XXXXVII. AVRELIA QVIRINA VESTALIS.

Hujus effigiem ex numo dedit *GVIL. CHOVL de Relig. Ant. Rom. p. 38.* edit. Gall. et *IVSTVS RYCQVIVS de Capitol. Rom. c. 19. p. 246.*

Caput velatum eſt, uti ipſius Veſtae. VELVM perpetui voti et ſanctimoniae ſymbolum, quod, cum ſacrificarent, capiti obducebant, ne quis adſpectu turbaret. Iſtud velum *ſuffibulum* dicebatur. *FESTVS POMPEIVS lib. 17: Suffibulum, veſtimentum album erat, praetextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales virgines, cum ſacrificant, ſemper habere ſolent, idque fibula comprehenditur:* quam in rem lex ſcripta erat in ſacrario deae Ope Conſivae: *Hoc praeter virgines veſtales ac ſacerdotem publicum introire nefas eſto; is cum introeat, ſuffibulum habeto.* Veſtalem cum ſuffibulo ex P. Raſcaſii gemma opportune profert *IAC. GVTHERIVS* de *Veteri Iure Pont. lib. I c. 29.* *OVIDIVS* de Silvia Rhea, Romuli matre, *Faſt. lib. III v. 30:*

> *Ignibus Iliacis aderam, cum lapſa capillis*
> *decidit ante ſacros lanea vitta comas.*

Pro *lanea* alii libri habent *laurea*; quam lectionem gemmarum fictor ſecutus eſſe videtur, dum comam ſub velo laurea praecinxit. Sed diſplicet ea lectio; quum certum ſit, poëtam loqui de ſacerdotii inſigni, quod erat infula, quae plerumque tortilis de albo et cocco; ut partem pro toto poſuerit. Ab infula enim vittae dependent. *DIONYSIVS HALICARN.* in Oppiae ſeu Opimiae hiſtoria ϛέμμα vocat *lib. VIII p. 556,* uti et *SVIDAS.* Quas infulas *LIVIVS* dixit *lib. 31.* *POLYBIO lib. 16* ſunt ϛέμματα. Conf. *SALMASIVS ad* Solin. *p. 262. 263.*

Altera quidem gemma coronam ſpiceam habet, qualis et in numo *GVIL. CHOVLII l. c.*

Imagini FAX *aeterni ignis,* quem Veſtales ſervabant, adjicitur.

STA-

STATIVS lib. I silv. 1. v. 35:

An tacita vigilet face Troicus ignis,
atque exploratas jam laudet Vesta ministras?

De igne aeterno multa Lipsius et alii. Sed praeter Vestales, etiam Cereris sacerdotes gestasse faces, liquet ex *IVVENALIS Sat. XV v. 141:*

Quis enim bonus, et face dignus
arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos.

Ea autem sacerdos femina fuit: a solis enim matronis Cereri sacra fiebant, testibus *ARISTOPHANE* θεσμοφορ. *p. 829. LIVIO* et *VALERIO lib. I c. 1.*

XXXXVIII. VIRGO VESTALIS.

In hac gemma, praeter capitis ornatum, nihil notatu dignum est. Illum illustrat *PRVDENTIVS lib. II contra Symmachum v. 1104:*

Perfundunt quia colla comis bene, vel quia cingunt
tempora taeniolis, *et licia crinibus addunt.*

Ista taeniola vocabatur RICA vel RICVLA. *FESTVS:* Ricae *et* riculae *vocantur parva ricinia, ad usum capitis facta. Granius quidem ait,* esse muliebre cingulum capitis, *quo pro vitta Flaminica redimiatur.* Conf. dicenda ad cap. *VI* num. Quae de Vestalium tonsura ex *PLINII lib. XVI cap. 44*, de capillis item sparsis, de vitta, taenia, infula, suffibulo, fusius dici possent, ab aliis jam occupata video. Numerum denique Vestalium, quorum quatuor, sex, vel septem, fuisse memorantur, alii itidem accurate perquisiverunt. Vnicum tamen Graeci scriptoris, qui sub Constantio et Constante Impp. vixit, locum adjicere licebit ex veteri orbis descriptione, a *IAC. GOTHOFREDO* edita, ubi septenarium numerum confirmat, *c. 43* scribens: Εἰσὶ δὲ ἐν αὐτῇ Ῥώμῃ καὶ παρθένοι ἑπτὰ εὐγενεῖς, καὶ ἐνδοξώταται, αἳ τὰ ἱερὰ τῶν θεῶν ὑπὲρ σωτηρίας τῆς πόλεως κατὰ τὸ τῶν παλαιῶν ἔθος διατελοῦσι, καὶ καλοῦνται παρθένοι Ἑστίας. *Romae autem sunt septem virgines honesto loco natae, ingenuae ac summo in honore positae, quae sacra deorum pro salute civitatis, more veterum, operantur, virgines Vestales vocatae.* Sed legi meretur *LIPSIVS c. 5.* et quam ὁ πάνυ *GRAEVIVS* notam ibi subjecit; itemque *ALEXANDER AB ALEXANDRO Genial. Dier. lib. V c. 12. CHOVLIVS* inconsiderate Alexandrum secutus, viginti numerat Vestales: sed uterque *GELLII* loco *lib. I c. 12* deceptus, ubi dicitur, viginti e populo lectas, et ex eo numero sortitionem factam.

XXXXVIIII. L. BACCHANTES.

Ἧκε, ὦ παραπλὴξ, μὴ θύρσῳ σκηριπτόμενος, μὴ κιττῷ ἀναδούμενος. ῥίψον τὴν μίτραν, ῥίψον τὴν νεβρίδα, σωφρόνησον. Ita Clemens bacchantes

tes ad mentem revocare ſaniorem dum ſtudet, omnem eorum apparatum exponit. Capita autem puerorum oculis laſcivientibus et ornatu capillorum puellari, juventae venuſtiſſimae mollitiem indicantia, eſſe Bacchantium, coronae ex HEDERA et corymbis notant. Vti enim Liber pater omnium primus capiti ſuo coronam ex hedera impoſuiſſe fertur; in cujus commenti cauſſas inquirunt *HIER. ALEANDER* ad *Tab. Heliacam p. 21. 22.* et *LAVR. BEGERVS Th. Brand.* ita et comites ejus illo coronarum genere laetabantur. *NONNVS lib. XIIII v. 214:*

> Αἱ δὲ κατηρεφέες πλοκάμους ἑλικώδεϊ κισσῷ,
> ἄλλαι ἐμιτρώθησαν ἐχιδναίοισι κορύμβοις.

et *v. 341:* Ἡ δὲ διεσφήκωτο κόμην εὐώδεϊ κισσῷ.

CATVLLVS: Vbi capita Maenades vi jaciunt hederigerae.

Quid, quod et orgia celebrantes *Bacchi* fuerint nominati, uti ex Suida et Etymologico docet *IO. MEVRSIVS* in *mantiſſa ad libr. de Luxu Romanorum c. 3.*

LI. BACCHA.

Αἱ Σεμέλης τῆς κεραυνίας ἀδελφαὶ αἱ Μαινάδες, δύσαγνον κρεανομίαν μυούμεναι, quarum nomina Nonnus modo laudatus indicat; ſed ea huc referre nihil attinet. In gemma femina eſt ſucculento corpore, facie truci, capillis hedera revinctis, et per humeros ſparſis. Idem *NONNVS ibid. v. 343:*

> Ἑτέρη δὲ κατ᾽ αὐχένος ἄμμορα δεσμῶν
> μηκεδανῆς μεθέηκε καθήμενα βόστρυχα χαίτης
> Μαιναλὶς ἀκρήδεμνος· ἐπ᾽ ἀμφοτέρων δὲ οἱ ὤμων
> ἀπλεκέας πλοκαμῖδας ἀνεῤῥίπιζεν ἀήτης.

OVIDIVS Faſt. lib. VI v. 514:

> *Thyades effuſis per ſua colla comis.*

Et Ariadne apud eundem *Heroidum epiſt. X:*

> *Aut ego diffuſis erravi ſola capillis,*
> *qualis ab Ogygio concita Baccha deo.*

Vtrum NEBRIDE ſeu pelle maculis variis diſtincta, ſolenni Baccharum et bacchantium geſtamine, ornata ſit, an alio fluxo veſtitu? diſtinguere ſatis non licuit. *SIDONIVS APOLLINARIS carm. XI v. 119:*

> *Hic diſtincta latus maculoſa nebride Thyas.*

Conf. *TACITVS lib. XI cap. 31.*

LII. LIII. LIIII. SACERDOTES.


Tres *vittati de more ſenes.* Communis enim omnium flaminum et ſacerdotum erat lex, ab Ebraeis petita, *Levit. X, 6.* ut capite ve-

lato ſacra peragerent. Iſtud autem toga oblevabant. *H. KIPPINGIVS Antiqq. Rom. lib. I cap. 12 n. 18.* *OCTAV. FERRARIVS de Re Veſt. lib. I c. 10.* *M. ZVER. BOXHORNIVS* ad Plutarchi *Quaeſt. Rom. X.* Imo precaturi deos pleroſque, velato erant capite. *BARNABAS BRISSONIVS Formul. lib. I p. m. 36.* *IVVENALIS Sat. VI v. 390:*

Stetit ante aram, nec turpe putavit
pro cithara velare caput.

Praeterea et ſacerdotes et ſacrificantes OLIVAE utplurimum fronde coronabantur, plane uti gemmarum tertia praemonſtrat. *CAR. PASCHALIVS Coronar. lib IIII c. 13.* Et *Io. SAVBERTVS de Sacrificiis c. 10.* Delphicos et flamines lauro; ſpicea fratres arvales; pinea Gallos; Mimallones hederacea; taxea ſacrorum infernalium antiſtites; imo et aurea ſe ornaſſe docet. *IAC. GVTHERIVS loc. cit.* Pontifices laurea corona redimitos, velato capite ſacrificaſſe dicit; ut Pontificis hanc eſſe imaginem, non immerito dixeris; qualem et ex Onuphrio idem depinxit. Sed et Dianae ſacerdos *δάφνην ἐστεμμένος*, laureatus, dicitur *ACHILLI TATIO lib. VII p. 448.* Erant etiam inter *καθάρσια* ſeu *piacula, δάφνης πέταλα, καὶ ταινίαι ἐρίῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμέναι, rami lauri, et ſerta ex lana et purpura facta*, quorum Clemens alicubi meminit.

COMA denique ſordida in illis obſervanda, de qua idem *CLEMENS Admon. ad gent. p. 58:* *Ἰδέτω τις ὑμῶν τοὺς παρὰ τοῖς ἰδώλοις λατρεύοντας, κόμῃ ῥυπῶντας, ἐσθῆτι πιναρᾷ καὶ κατεῤῥυγυίᾳ καθυβρισμένους, λουτρῶν μὲν παντάπασιν ἀπειράτους, ταῖς δὲ τῶν ὀνύχων ἀκμαῖς ἐκτεθηριωμένους. Videat veſtrûm aliquis eos, qui adorant ſimulachra, ſordida coma, veſte ſenta et lacera deformatos, a lavacris quidem omnino abſtinentes, excreſcentibus autem unguibus efferatos* etc.


Chalcedonius?
55
ΑΧΙΛΛΕΥΣ
Achates.
56
Sarda.
57
Sarda.
58
Sarda.
59
Achates.
60
Sarda.
61
Sarda.
62
Chalcedonius.
63
Sarda.
64
Sarda.
65
Chalcedonius?
66
Chalcedonius?
67
Sarda.
68
Sarda alba.
69
Sarda.
70
Sarda.
71
Sarda.
72
Chalcedonius?
73
Sarda.
74
Sarda.
75
Amethystus.
76
Chalcedonius?
77
Sarda.
78
Sarda.
79
Lapis nephriticus?
80
Sarda.
81
Sarda.
82
Achates.
83

[illegible]

CAPVT II
CAPITA HEROVM.

LV. ACHILLES.

A matre Thetide, quae invita Peleo Aeaci nupſerat, filiorum ſeptimus in ignem conjicitur, ſed patris interventu ſervatus, Chironi educandus traditur, qui eum viſceribus leonum aliarumque ferarum medullis aluit, uti probat *BARTHIVS* ad Statii *Achill. lib. II v. 385. 386.* Ad Trojam novennis quum abduceretur, ſtatura jam erat ingens, et puer admodum aequus vertice matri. *DICTYS CRETENSIS lib. I c. 14: Hic* (Achilles) *in primis adoleſcentiae annis procerus, decora facie, ſtudio rerum bellicarum omnes jam tum virtute et gloria ſuperabat. Neque tamen aberat ab eo vis quaedam inconſulta, et effera morum impatientia. HORATIVS in Arte Poët. v. 120:*

Honoratum ſi forte reponis Achillem;
impiger, iracundus, inexorabilis, acer;
jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Γυναικοπρόσωπος, uti *HOMERO* dicitur *Iliad. A.* hic fingitur, ut tamen in vultu, ἀκρόχολον eum fuiſſe, recte appareat. *PAPINIVS Achill. lib. I v. 161* de eo, a venatu leaenae reverſo:

Dulcis adhuc viſu, niveo natat ignis in ore
purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro,
necdum prima nova lanugine vertitur aetas,
tranquillaeque faces oculis, et plurima vultu
mater ineſt.

Mollibus eſt OCVLIS. *OVIDIVS Triſt. lib. II v. 411:*

Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem.

CASSIODORO cap. 2 de Orthogr. LABIIS deformis fuiſſe dicitur, adſtipulante *HEPHAESTIONE lib. VII* apud *PHOTIVM Cod. 190.* Διότι δὲ ἓν αὐτοῦ χειλέων κατακαυθείη, Ἀχιλλεὺς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὠνομάσθη. *Quia labrum ipſius alterum aduſtum erat, propterea eum pater Achillem appellavit.* Add. Iſaacus Tzetzes ad Lycophronem.

Denſam COMAM ei tribuit *PHILOSTRATVS in Heroicis;* flavam, idem et *HOMERVS Iliad. ψ v. 141;* criſpam, DARES; unde *Achilleas comas* pro pulcherrimis dixit *MARTIALIS lib. XII Epigr. 84,* annotante *FRANC. IVNIO de Pictura Vet. lib. III c. 9.* Quae alii ſparſim in Achille laudarunt, paucis omnia complexus eſt *ISAACIVS PORPHYROGENNETVS* in *Characteribus Graecorum et Trojanorum,* quem libellum primus edidit *IANVS RVTGERSIVS Var. Lect. lib. V c. 20,* ubi Achillis character hic ponitur: Ὁ Ἀχιλλεὺς, εὔστηθος, μέγας τὸν ὄγκον

τοῦ σώματος, μακρόσκελος, σπανὸς, ξανθὸς, εὐπρόσωπος, οἰνοπαὴς, γοργοὺς ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς, πολύθριξ, μακρόῤῥιν, τοὺς πόδας ὀξὺς, καὶ τοῖς ἅλμασι δόκιμος, δεινὸς πολεμιστὴς, εὐχαρὴς, φιλήδονος, μεγαλόψυχος, καὶ καλλίφωνος· ταῦτα τούτου τὰ ἰδιώματα τὰ μὲν τὴν τοῦ δραστηρίαν ἐνέργειαν τεκμαιρόμενα· τὰ δὲ τοῦ φυσικοῦ θυμοῦ καὶ προαιρετικοῦ· τὴν ὀξύτατα δ᾽ αὖ τούτου διάπυρος. *Achilles, lato pectore, magna corporis mole, longis cruribus, venerabilis, flavus, ſpecioſus, colore vineo, oculis terribilis atque acer, piloſus, longo naſo, pernicibus pedibus, formidabilis bellator, gratioſus, voluptarius, magnanimus, pulchra voce. Hae proprietates ſunt ejus, quarum aliae ſingularem ejus in agendo efficaciam, aliae naturalis ejus animi vim ac voluntatis deſignant, quae in eo igneae velocitatis erat.*

Arma, in quibus et GALEA, ei fabricavit Vulcanus. *HOMERUS Iliad.* Σ circa fin.

Τεῦξε δὲ οἱ κόρυθα βριαρὴν κροτάφοις ἀραρυῖαν,
καλὴν, δαιδαλέην, ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκε.

Fecit etiam ei galeam fortem, temporibus aptatam, pulchram, variegatam; ſupraque auream criſtam poſuit. Et *Iliad.* T.

Ἡ δ᾽ ἀστὴρ ὡς ἀπέλαμπεν
ἵππουρις τρυφάλεια· περισσείοντο δ᾽ ἔθειραι
χρύσεαι, ἃς Ἥφαιστος ἵει λόφον ἀμφὶ θαμειάς.

Haec autem ut ſtella lucebat criſtata galea. Circum autem movebantur jubae aureae, quas Vulcanus poſuerat conum circum frequentes.

Fortunatum Achillem praedicat Alexander, quod ſuae virtutis Homerum praeconem invenerit. Sed longe feliciorem judicamus, quod *CAROLUM DRELINCURTIUM* nactus ſit laudum ſuarum reparatorem, in libello exiguae quidem molis, ſed inexhauſtae eruditionis, cui titulum fecit: *Achilles Homericus.* Achillis quoque effigie Daretem Phrygium, in uſum Delphini editum, illuſtravit Lud. Smids, in *Scena Troica Tab. I n. 3.*

LVI. ARIADNE.

Minois Cretenſis et Paſiphaës filia, Theſeo evadendi ex labyrintho conſilium dans, ſibi matrimonium pacta eſt. Sed a Theſeo relicta, nunc *Bacchi conjux redimita corona*
praeradiat ſtellis ſigna minora ſuis,
quae *OVIDII* verba ſunt *Heroid. Epiſt. VI v. 115.* Nam Bacchus aſſumtam in torum Liberam dixit,

Gemmasque novam transformat in ignes.
Aurea per ſtellas nunc micat illa novem.

Conf. idem *NASO Faſt. lib. III a v. 459-515.* Eam inter ſidera relatam cecinere Aratus et alii. *MANILIUS lib. V.*

Tollentur ab undis
clara Ariadneae quondam monumenta coronae.

NON-

NONNVS Dionyſ. lib. KE *v. 150:*

Καὶ στέφανον περίκυκλον ἐσαθρήσεις Ἀριάδνης,
σύνδρομον ἠελίοιο συναντέλλοντα σελήνῃ,
ἵμερον ἀγγέλλοντα Φιλοστεφάνου Διονύσου.

HYGINVS Poët. Aſtronom. lib. II c. 5 idem confirmat, ſcribens: *Dicitur enim in inſula Dia quum Ariadne Libero nuberet, hanc primum coronam muneri a Venere et Horis accepiſſe, quum omnes dii in ejus nuptiis dona conferrent. - - Dicitur etiam a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis* etc. Radii in gemma comparent ſeptem tantum, cum novem corona ſtellis radiet, ut audivimus: id vero fictori eſt condonandum.

LVII. AVENTINVS.

Valeant auctoritate ſua apud nos periti antiquitatis aeſtimatores, in hac imagine Herculis filium agnoſcentes, qui *ſatus Hercule pulchro pulcher Aventinus* a Poëta *Aen. lib. VII v. 666* pugnam initurus deſcribitur:

Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis,
terribili impexum ſeta, cum dentibus albis,
indutus capiti: ſic regia tecta ſubibat
horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Eſt et inter Latinos ſeu Albanos reges Aventinus Silvius, Romuli abavus, qui monti, quo ſepultus, nomen impoſuiſſe, et ab hoc monte Herculis ſuboles demum illud idem accepiſſe fertur; aliis in alia omnia abeuntibus, qui ab Aventino Herculis colli nomen haeſiſſe cenſent. Nimirum quum Italiae iſtaec loca Herculem adiiſſe, pro certo habitum fuerit veteribus; ab ejus filio, quem tamen omnis Marone anterior ignorat antiquitas, originem nominis colli Romanae urbis antiquiorem dare Virgilius voluit, jure poëtico.

LVIII. BYZAS.

Inclytus virtute heros, Byzantii conditor memoratur: qui quum ante expeditionem Argonautarum vixiſſe crederetur, anſam dedit aliis ea de re dubitandi. *DIODORVS SICVLVS lib. IIII* eum tempore Argonautarum ibi regnaſſe, aſſerit. At rectius fortaſſe Byzantii origines ad Olympiadem XXX, et Tulli Hoſtilii tempora referuntur ab Euſebio, quo certe tempore, vel paulo ante, vixiſſe Byzantem, veroſimile eſt. Conf. *SCALIGER Animadv.* in Euſeb. *p. 81.* *GEORGIVS CEDRENVS* in *Compendio Annalium* ſcribit, hanc urbem Manaſſis, regis Iudae, tempore initia ſumſiſſe a Byza, rege Thraciae. Auctor Etymologici Magni Byzen fuiſſe ait τοῦ ςτόλου ἡγεμόνα, *ducem exercitus:* is vero ſua habet ex *STEPHANO de Vrbibus,* ſcribente: Ἐκτίσθη ἀπὸ Βύζαντος τοῦ Κεροέσσης (Etymologicon habet

Κρεούσης, male,) τῆς Ἰοῦς θυγατρὸς, καὶ Ποσειδῶνος· ἢ ὅτι τοῦ ϛόλου Βύζας ἦν ἡγεμών. *Condita est a Byzante, Ceroëssae, quae Ius filia fuit, et Neptuni filio. Vel nomen habet ex eo, quod Byzas exercitus dux fuerit* etc. Megarensium nimirum, id quod docet *HESYCHIVS* Milesius *in Rebus Patriae Constantinopoleos*, a *Io. MEVRSIO* editis, qui Byzantis memoriam, fere obliteratam, educationem a nympha Byze, adolescentiam, urbem conditam et septem turres sonoras, delubra varia, resque gestas, contra Haemum, Strombum, Odrysen; Phidaliam porro conjugem, statuam a Calliade positam, et alia conservavit. Statuae inscriptum erat:

Τὸν κρατερὸν Βύζαντα, καὶ ἱμερτὴν Φιδάλειαν,
εἰν ἑνὶ κοσμήσας ἄνθετο Καλλιάδης.
Fortem Byzantem, et amabilem Phidaliam,
simul exornans posuit Calliades.

Add. Chronicon Paschale *Olymp. 243 p. 265. EVSTATHIVS* in Dionysii περιήγησιν, *GEORGIVS CODINVS* de *Origg. Constantin.* itemque *GYLLIVS* de *Bosp. Thrac. lib. II c. 3. CLAVDIANVS lib. II in Eutropium v. 83:*

Hoc Byzas Constantinusque videbunt.

Ad quem locum *C. BARTHIVS* eruditissime commentatus est. Numi cum Byzae imagine meminit R. P. *HARDVINVS* in *Num. Vrb. et popul. p. 105.*

Quod ad faciei lineamenta attinet, aliter ea Gallaeus exhibuit, nasi spatio paulatim velut per fastigium crescente usque ad imam partem, ita ut haec notabili tandem excessu promineat: aliter Caninus, naso scilicet circa mediam partem plane non sic versus faciem reducto, sed ferme protuberante, aut certe rectum ductum servante: uti annotat ὁ πάνυ *Io. FRID. GRONOVIVS Antiqq. Graec. Tom. II n. 29.*

LVIIII. CYNAEGIRVS.

Fide Vrsini et Gallaei, Cynaegirus hic ille est, cujus fama bello Atheniensium cum Dario, ductu Miltiadis gesto, feroci facto enituit, quod ex *HERODOTI lib. VI c. 114. IVSTINI lib. II c. 9. SVETONII Iulio Caesare c. 68. VALERII MAXIMI lib. III c. 2 n. 22. AMMIANI MARCELLINI lib. XXIIII c. 6* satis est notum. Quae tum de facto ipso, tum de nomine disputat eruditissimus *GRONOVIVS*, videri possunt in *Thes. Antiqq. Graec. T. II n. 55.*

GALEAE rudis forma gregarium omnino militem indicat. At ob togam humeris suffixam suspicari quis posset, voluisse quendam de gente Acilia sub nomine Cynaegiri celebrare Cynaegirum Romanum, Plutarcho, Valerio Maximo et Suetonio memoratum, C. puta Acilium, qui navali ad Massiliam praelio, Graecum illum imitatus,

tatus, in navem hoſtium inſiliens, hos umbone avertit. Graeci enim heroas ſuos fere ſine veſtibus fingunt. *PLINIVS Hiſt. Nat. lib. XXXIIII c. 5.* Sed videant alii in his literis magis exercitati.

LX. CYZICVS.

Aenei et Aenippes Euſori filius, e patria Theſſalia ejectus, urbem in Aſiae Cherroneſo de ſuo nomine exſtruxit, potentiamque firmavit conjugio Clites, filiae Meropis, regis Dolionum (Dolopes vocat *ORPHEVS v. 500.* male, ſi reliquos veterum conſulas; licet utraque gens, et Dolionum et Dolopum, a Theſſalis orta fuerit;) benignus, et hoſpitalis erga Argonautas, ab illis ignaris pugna nocturna interficitur. *CONON narratione 41* apud *PHOTIVM* in *Biblioth. p. 450.*

VVLTVM explicat *APOLLONIVS Argonaut. lib.* A:

Ἰσόν που κἀκείνῳ ἐπισταχύεσκον ἴουλοι
οὐδένυπω παίδεσσιν ἀγαλλόμενος μεμόρητο·
Ἀλλ᾽ ἔτι οἱ κατὰ δώματ᾽ ἀκήρατος ἦεν ἄκοιτις
ὠδίνων, μέροπος περκωσίου ἐκγεγαυῖα
Κλείτη ἐυπλόκαμος.

Quae forte fugere Angelum Caninum, ut Antiochi Cyziceni eſſe vultum judicaret. Numum gemmae ſimilem cum juvenili vultu et nomine ΚΥΖΙΚΟϹ, profert *P. SEGVINVS Select. Num. cap. 2.*

DIADEMA erat redimiculum ſive faſcia ex panno linteove pretioſiſſimo, quo reges caput redimire ſoliti, ut docet *BARN. BRISSONIVS de Reg. Perſar. Iure lib. I. CAR. PASCHALIVS de Coronis lib. VIIII cap. 3 usque 7. IO. BAPT. CASALIVS de Veter. Aegypt. Rit. c. 26. ANDR. CIRINVS de Vrbe Roma c. 40. SENECAE in Thyeſte v. 346* vocatur *frontis nota regiae,* et *v. 531 regia capitis nota;* et *v. 544 impoſita capiti vincula;* qua voce et *STATIVS lib. XII v. 90* utitur, ubi Creon Menoeti inferias celebrans, *regimen dextrae frontisque ſuperbae vincula* in rogum injecit. Num *VALERIO FLACCO lib. III v. 342* memorata *dilecta cingula regni,* eaque cum galea in rogum Cyzici injecta, diadema fuerunt? Vbi Clite conjux

Fatur et haec: Primis conjux ereptus in annis
cuncta trahis; nec dum ſuboles, nec gaudia de te
ulla mihi.

De faſciae tum regalis tum ſacerdotalis ſignificatione argute diſſerit *IO. GOROP. BECANVS Origg. Antverp. lib. II p. 44. 45.*

LXI. DIDO.

Illa ego ſum Dido vultu, quam conſpicis, hoſpes,
aſſimilata modis pulchraque mirificis.

AVSO-

AVSONIVS lib. I Epigr. III ex Anthologiae *lib. IIII:*

Ἀρχέτυπον Διδοῦς ἐρικυδέος, ὦ ξένε, λεύσσεις,
εἰκόνα θεσπεσίῳ κάλλεϊ λαμπομένην.

Eam non poëtae tantum pulcherrimam mulierumque praestantissimam, sed et *IVSTINVS lib. XVIII c. 4 insignis formae virginem* celebrat. *Elissa* verum nomen fuit, id est, Dei mulier, heroina Tyria, quae fratrem Pygmalionem, mariti Sichaei occisorem, auroque inhiantem, fugiens Carthaginem condidit, LXV vel XCVII annos, ut volunt, ante Romam conditam. *AVSONIVS Epitaph. Heroum XXX:*

Infelix Dido, nulli bene nupta marito,
hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Add. *OVIDIVS Fastor. lib. III v.545. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro dea culta est. IVSTINVS.*

LAVRV coronata est, ut regina. *HORATIVS lib. II od.2:*

Populumque falsis
dedocet uti
vocibus, regnum et diadema tutum
deferens uni, propriamque laurum,
quisquis ingentes oculo irretorto
spectat acervos.

LXII. DIOMEDES.

Tydei filius, qui Hermione uxore ducta, a Pallade in deorum numerum relatus et immortalis factus est. De eo plura congessit *BECANVS loc.cit.lib.VIIII p.970sqq.* Gallaeus et Faber hanc, quam cernis, effigiem pro Diomede venditarunt; refragante Gronovio. Certe Diomedis descriptio huic imagini parum respondet. Ea ex Protesilao expressa, in *PHILOSTRATI Heroicis cap. 4 n. 4* legitur: Τὸν Διομήδη δὲ βεβηκότα τε ἀναγράφει, καὶ χαροπὸν, καὶ οὔπω μέλανα, καὶ ὀρθὸν τὴν ῥῖνα, καὶ οὔλη δὲ ἡ κόμη, καὶ σὺν αὐχμῷ. *Diomedem vero quadratum depingit ac fuscum, neque nigrum tamen, et rectum nares, crispa vero ei coma et squaloris haud expers. ISAACIVS PORPHYROGENNETVS* hic iterum audiendus: Ὁ Διομήδης, τὴν ἡλικίαν τετράγωνος, ἰσχυρὸς, ξανθὸς, εὔσχημος, μελίχρους, εὐπρόσωπος, καὶ ὑπόσιμος, ξανθοπώγων, οἰνωπαὴς τοὺς ὀφθαλμοὺς, σώφρων, καὶ βραχυτράχηλος. *Diomedes, statura quadrata, robustus, flavus, decorus, colore melleo, formosus, subsimus, barba rutila, oculis vineis, temperans, brevi collo.* Duplicem Diomedis, Palladium auferentis, imaginem, alteram e Fabretto, e Begero alteram, junctim exhibet illustr. *SPANHEMIVS notis ad* Callimachum *p. 757. AVSONIVS* epitaphium ei hoc posuit, *n. 6:*

Con-

Conditus hic, genitore bono melior Diomedes,
crimen ob uxoris pulſus dotalibus agris
Argyripam, claroſque viris qui condidit Arpos;
clarior urbe nova, patriae quam ſede vetuſta.

De GALEA polita admodum, ut ſpeculi inſtar ſolis radios excipiens fulgorem funderet, *HOMERVS Iliad.* E:

Δαῖς οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.
Lucebat ei e galea et ex ſcuto indefeſſus ignis.

CRISTA in vertice non eſt, quum *criſta procul galeae comantes,* magnos utique duces deceant. Homerus vero Vlyſſi pariter ac Diomedi, hoſtici ſpeculatoribus, galeas tribuit ſimplices, nulloque ornatu decoras.

LXIII. EVRYDICE.

Naiadum una eſt, Nerei et Doridos filia, quae Orpheo in manum convenit,

in quam calcata venenum
vipera diffudit, creſcenteſque abſtulit annos.

Fabula de Eurydice, ab inferis paene reducta, ex *VIRGILII Georg. lib. IIII,* et *OVIDII Metamorph. lib. X,* caeteriſque poëtis notiſſima eſt. *PLATO* autem *in Convivio* ſeu de amore *p. m. 318* rem aliter enarrat: Ὀρφέα δὲ τὸν Οἰάγρου ἀτελῆ ἀπέπεμψαν ἐξ ᾅδου, φάσμα δείξαντες τῆς γυναικὸς, ἐφ' ἣν ἑκὼν ἧκεν, αὐτὴν δὲ οὐ δόντες. *Orpheum vero, Oeagri filium, voti impotem ex inferis emiſerunt: neque enim feminam, cujus gratia deſcenderat, reſtituere, ſed illius phantaſma monſtrarunt* etc. Praeter capillorum nodos tum in vertice, tum a cervice, nihil in hac gemma quidquam memorabile eſt. Plures, quae hoc nomine inſignitae mihi innotuerunt, ut hic afferam, nihil attinet.

LXIIII. EVRYPYLVS.

Non unum hujus nominis heroa memorant Homerus, Apollonius Rhodius, Pauſanias, Apollodorus, alii. E quibus hic conſpicitur Eurypylus Aſtyoches, Priami ſororis, ac Telephi filius, poſt Memnona formoſiſſimus, qui in flore aetatis a Pyrrho, Achillis filio, interficitur. Ita tradunt *PHILOSTRATVS* junior, *icon. X.* et vetus interpres Iuvenalis, ad *Sat. VI v. 654; HYGINVS* autem pluresque alii, iſtius caedem Neoptolemo tribuunt, nullo quidem inter ipſos diſſenſu; Pyrrhus enim binominis, idem fuit ac Neoptolemus, annotante *SERVIO* ad Virgilii *Eclog. VI v. 72. HOMERVS Odyſſ.* Λ. *v. 519:*

Ἀλλ' οἷον τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ
Ἥρω' Εὐρύπυλον, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
Κήτειοι κτείνοντο, γυναίων εἵνεκα δώρων.
Κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.

Sed qualem Telephidem proſtravit ferro heroa Eurypylum: multi vero circa illum ſocii Ceteji interfecti ſunt muliebria propter dona. Illum vero pulcherrimum vidi poſt Memnona divinum. Quae verba STRABONI duplici aenigmate involuta videntur, quorum primum de Cetejis εὐστόχως ſolvit illuſtr. EZECHIEL SPANHEMIUS, de *Uſu et Praeſtant. Num. diſſ. V p. 479* ſqq. et edit. nov. *diſſert. VIII p. 505* ſqq. oſtendens, Ceteios fuiſſe Pergamenos, et ab his numum, e theſauro Chriſtinae Reginae Sueciae prolatum, cum Eurypyli Herois, ſuique conditoris filii imagine percuſſum, non a Salaminiis, uti aliis, obſcuro literarum numi Medicaei ductu ſeductis, viſum fuerat; id quod invictis argumentis, et cl. Seb. Bianchi inſuper auctoritate, Περγαμήνων, in ipſo illo numo Medicaeo legentis, probat. Alterum aenigma, ut haec ὡς ἐν παρόδῳ addam, apertum ſatis erit, ſi *muliebria dona* intelligamus ipſam Helenam, propter quam totum iſtud bellum eſt conflatum. Ea quippe a Venere Paridi habenda dum conceditur, muliebre donum argute dici poteſt. In Eurypylo Pergamenos, Hadriani favorem aucupantes, Antinoi fere effigiem expreſſiſſe, Begerus non ineleganter conjicit. LUD. SMIDS *Scenae Troicae*, Dictyi Cret. praemiſſae, *n. 20.* Subjungere hic liceat ejus atque Pyrrhi deſcriptionem ex PHILOSTRATO, qui, quoniam corporis formam indicare non poterat, in armis enim viſebantur, utriusque ſpeciem armati exhibet. Μεγάλοι γε μὴν, καὶ ὑπὲρ τοὺς ἄλλους· Ἡλικία τε ἀμφοῖν ἴση· τάς τε τῶν ὀφθαλμῶν βολὰς ἐνεργοὶ, καὶ οὐ μέλλοντες. γοργὸν γὰρ τὸ ὄμμα ὑπὸ τῆς κόρυθος ἑκάστῳ, καὶ συναπονεύοντες ταῖς τῶν λόφων κινήσεσι, καὶ ὁ θυμὸς ἐπιπρέπει σφίσι, σιγῇ τε μενέα πνείουσιν ἐοίκασι. *Proceri ſunt valde, atque ſuper caeteros eminent: aetate inter ſe pares, oculorumque radii ſtrenuos eos produnt minimeque cunctantes. Acres enim utrique ſub caſſide oculi ſunt, et una cum criſtis agitatis nutantes, decetque ipſos ira, ſuntque robur tacite ſpirantibus ſimiles.*

LXV. HECTOR.

Priami filius, Trojanorum *manus* ob inſignem fortitudinem, uti ob prudentiam Aeneas *mens* appellabatur. PHILOSTRATUS *Heroic. cap. 13.* SENECA in *Troadum choro v. 124:*

Columen patriae, mora fatorum,
tu praeſidium Phrygibus feſſis,
tu murus eras: humerisque tuis
ſtetit illa decem fulta per annos.
Tecum cecidit, ſummusque dies
Hectoris idem patriaeque fuit.

Ejus caput nudum exhibet numus S. Genevievae in *Muſei*, a CL. MOLINETO exſtructi, *Tab. 22 n. 7.* Is e coma agnoſcendus. Ἐντόρειος enim κόμη, ἡ περικεχυμένη dicta Euſtathio ad *Iliad.* χ *v. 401.* Vid. MEURSIUS ad Lycophronem *p. 297.* Iſaacius Tzetzes, Graecus Lycophronis

phronis interpres, comas iſtas exponit *τὰς τὰ ὄπισθεν καθειμένα ἐχούσας, τὰ δὲ ἔμπροσθεν κεκαρμένα.* De eo *PHILOSTRATVS Heroic. c. 12* ſequentia memoriae prodidit: *Comam alere, utut ei rei operam navarent reges regumque liberi, ſe quidem indignum propter illum ipſum* (Paridem) *arbitrabatur.* Τὰ δὲ ὦτα καταγεὼς ἦν, *Athletico porro erat habitu, non ex lucta, (hujus enim nec barbaris ulla erat cognitio,) ſed cum tauris certabat, cumque hujusmodi congredi feris bellicoſum cenſebat. - - Statua autem, quae Ilii erecta eſt, juvenem Hectora, et adoleſcente aetate refert. At Proteſilaus ea ipſa etiam magis venuſtum fuiſſe ait, magisque procerum. Deceſſiſſe vero triceſimo circiter aetatis anno, non fugientem utique, nec manus remittentem: haec enim per calumniam de Hectore ab Homero eſſe dicta: ſed ſtrenue dimicantem, Trojanorumque ſolum extra moenia ſubſiſtentem, poſt longam demum pugnam cecidiſſe.* Idem paulo ante dixerat, Hectorem ipſo obtutu terruiſſe hoſtes; unde Andromache apud *SENECAM Troad. v. 448* in eo *vultus flammeum jubar* celebrat. Et poſtquam occubuit, *ſqualentem barbam, et concretos ſanguine crines,* Virgilius memorat. *ISAACIVS l. c.* Ὁ Ἕκτωρ, ὁ τοῦ Πριάμου καὶ τῆς Ἑκάβης υἱὸς, ὁ πάντων οἶμαι τῶν Τρώων καὶ τῶν Ἑλλήνων στρατηγικώτερός τε καὶ ἀνδρειότερος, καὶ ταῖς τῶν ὅπλων μεταχειρίσεσι περιδέξιος· ὁ τῷ ποιητῇ θρυλλούμενος· οὗτος κορυθαιόλός τε καὶ Φλογὶ εἴκελος, καὶ λεοντώδης ταῖς περὶ μάχην ὁρμαῖς, μελάγχρους ἦν, πάνυ μακρὸς, εὔογκος, δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ τοῦ σώματος, εὔριν, οὐλόθριξ, εὐπώγων, ψελλὸς, ἑτερόφθαλμος, εὐγενὴς, φοβερὸς πολεμιστὴς, ἐν πολέμῳ βαρύφωνος. *Hector, Priami et Hecubae filius, omnium et Trojanorum et Graecorum bellicoſiſſimus, et fortiſſimus, et tractandorum armorum ſcientia dexterrimus; is, quem Homerus celebravit. Hic bellicoſus, ac inſtar flammae, ac ad pugnam impetu leonino, colore nigricante fuit, procerus admodum, magna corporis mole, validoque robore, pulchro naſo, capillo criſpo, pulchra barba, blaeſus, luſcus, generoſus, formidabilis bellator, in bello grave vociferans.*

LXVI. HECTOR, ANDROMACHE, ASTYANAX.

Andromache, Eetionis regis Thebarum Ciliciae filia, mortuo Hectore, Pyrrho data, mira fuit in Hectorem fide, quam *NASO* celebrat *Triſt. lib. V eleg. 14:*

Cernis, ut Admeti cantetur, ut Hectoris uxor,
auſaque in accenſos Iphias ire rogos?

Et de *Arte lib. III v. 519:*

Nunquam ego te, Andromache, nec te, Tecmeſſa, rogarem,
ut mea de vobis altera amica foret.

Cui *EVRIPIDES* in *Troadibus v. 640 — 668* jungi poterit. Andromaches characterem denuo ex *ISAACIO* adjicio: Ἡ Ἀνδρομάχη, ἡ τοῦ Ἕκτορος σύνευνος διμοῖρα, λεπτὴ, εὔστολος, εὔριν, εὐόφθαλμος, εὔ-

οφρυς, οὐλόθριξ, ὑπόξανθος, ὀπισθόκομος, μακροπρόσωπος, εὐτράχηλος, εὔχαρις, γοργὴ τὴν διάνοιαν, γελασίνας ἔχουσα τὰς παρειάς. *Andromache uxor Hectoris, utramque experta fortunam, tenuis, ornatu pulchro, pulchro naſo, venuſtis oculis, ſupercilio pulchro, capillo criſpo, ſubflavo ac reflexo, facie longa, cervice pulchra, gratioſa, acri ſenſu, ridentibus genis.* Add. *SMIDS l. cit. n. 22.*

De Aſtyanacte mater apud *SENECAM Troad. v. 464:*

Nimiumque patri ſimilis; hos vultus meus
habebat Hector: talis inceſſu fuit,
habituque talis. ſic tulit fortes manus.
Sic celſus humeris, fronte ſic torva minax,
cervice fuſam diſſipans lata comam.

Quae habet ex *VIRGILII lib. III Aen. v. 489:*

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Aſtyanax vero ab Vlyſſe quaeſitus, inventus et e muris praecipitatus interiit. *AVSONIVS Epitaph. XV:*

Flos Aſiae, tantaque unus de gente ſuperſtes,
parvulus, Argivis, ſed jam de patre timendus,
hic jaceo, Aſtyanax, Scaeis dejectus ab altis.
Pro dolor! Iliaci Neptunia moenia muri
viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

LXVII. HIPPOLYTA.

Martis et Otrerae filia, Amazonum circa Thermodoontem fluvium habitantium regina, a Theſeo triumphata, conjux aſſumitur. Ab Hercule balteo Martis ſpoliata aut plane interfecta dicitur. *Q. SMYRNAEVS* a Pentheſilea ſorore, jaculo ex improviſo interemtam aſſerit. Vid. *TH. MVNKERVS* ad Hygini *cap. 30. OVIDIVS Heroid. Epiſt. XXI:*

Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
ſicut ab Hippolyte praeda relata tibi eſt.

COMA in nodum collecta, more Amazonibus ſolenni, quem indicat *SENECA in Hippolyto:*

Qualis relictis frigidi Ponti plagis
egit catervas, Atticum pulſans ſolum
Tanaitis, aut Maeotis, et nodo comas
coëgit.

Reliquum ejus habitum illuſtrant iſta *STATII, Thebaid. lib. XII v. 535* de eadem canentis:

Hanc

Hanc patriae ritus fregiſſe ſeveros
Atthides obliquae ſecum mirantur operto
murmure, quod nitidi crines, quod pectora palla
tota latent.

LXVIII. LXVIIII. HYACINTHVS.

Oebali regis Laconiae filius. Alii Amyclae natum aſſerunt. *PAVSANIAS in Lacon. lib. III init.* μειράκιον ὡραῖον καὶ καλὸν, *adoleſcentem forma pariter ac aetate florentem,* et *NICANDER* in *Theriacis* πρωθήβην, *prima lanugine florentem,* appellant. Ab Apolline, diſco projecto, interiit, et in florem ſui nominis mutatur. Icon a *PHILOSTRATO* deſcripta, ſiniſtram tantum corporis partem purpurea tegebat laena. Καὶ αὐχὴν ἀνεστηκὼς τὸ μέτριον· ἡ κόμη τε οὐκ ἄγροικος, οὐδὲ ἐν αὐχμῷ ἀνεστηκυῖα, ἀλλ᾽ ἐπικρεμαμένη τῷ μετώπῳ, συναπονεύουσα δὲ ταῖς τοῦ ἰούλου ἀρχαῖς. *Cervix moderate erecta: coma vero minime agreſtis, neque cum ſqualore arrigens, ſed ſuſpenſa fronti, atque ad lanuginis usque pertingens initia.* At in gemmis noſtris ipſam quoque cervicem tegit capillus.

DIADEMATE ornatur, ut regis filius. Nam et regum filii interdum reges nominabantur. De Ariadne, Paſiphaës reginae filia:

Magnum reginae ſed enim miſeratus amorem.

Et de Hyacintho *VIRGILIVS Eclog. III v. 106:*

Flores inſcripti nomina regum.

Conf. *CLAVD. SALMASIVS Plinian. Exercit. p. 860.* Diadema vero, ut hoc obiter addam, et deorum inſigne fuit. Ita *PLINIVS lib. XXXIIII c. 8 Apollinem diadematum* appellat.

LAVRI ramum ab Apolline habet, cui erat in deliciis.

LXX. HYLAS.

Cui non dictus Hylas puer? tener ille, pulcher atque candidus, uti poëtae eum celebrant, Theodamantis filius, Herculis et Nympharum deliciae, qui puer adhuc in fonte periiſſe traditur. *HOMERVS* πάρθενον vocavit, annotante *APOLLONII RHODII* interprete Graeco ad *lib. I Argonaut.* Miſſa illa diſputatione de ſcriptura nominis, quamvis in vetuſtis *PHILOSTRATI* Codicibus Ὕλλας ſcriptum legatur, in eorum magis ſententiam propendeo, qui non Hylam, ſed Hyllum, facie juvenili exhiberi, et in gemma ſequenti ſenem conſpici aſſerunt. De Hyla *OVIDIVS de Art. Am. lib. II v. 110:*

Naïadumque tener crimine raptus Hylas.

Add. *AVSONIVS Epigr. 93 et 94,* quorum illud adſcribo:

Aſpice, quam blandae necis ambitione fruatur,
letifera experiens gaudia, pulcher Hylas!
Oſcula et infeſtos inter moriturus amores,
ancipites patitur Naiadas Eumenidas.

LXXI. HYLLVS.

Et huic, quem hic vides, vultui, et illi, quem *n. LXX* modo dedimus, in gemmis ΥΛΛΟΥ nomen adſcriptum eſt. Vnum fuiſſe eundemque, et ibi quidem facie juvenili, hic ſenis habitu, pronunciat *Gronovivs* in tabulis Antiquitatis Graecae. Hyllum, Herculis ex Melite filium, ſuſpicatur eum deſignari, quem *Scylax*, *Svidas* aliique, Hyllinorum in Illyrico coloniam duxiſſe teſtantur. Etymologicum M. voce Ὑλήων· Ὑλλεῖς, ἔθνος Κελτικόν. ἀπὸ Ὕλλου βασιλέως αὐτῶν, υἱοῦ Μελίττης καὶ Ἡρακλέους. Hujus quippe neptis Lanaſſa ex filio Cleode, regiae Epiri familiae nuptiis innexa legitur. Praefuit Hyllus Dorienſibus, in Peloponneſum redeuntibus, qui cum Echemo ſingulari certamine congreſſus occubuit; cadaver vero Apollinis oraculo ad Megarenſes translatum. *Pavsanias in Atticis c. 35* tradit, Hylli, terrae filii, cadaver apud Lydas fuiſſe repertum; a quo regionis fluvius, et Herculis filius ex Omphale, nomen acceperint. *Philostratvs* Herculis filii oſſa apud Phryges reperta ait. Vnde ſuſpicor, utrumque verba facere de uno eodemque Illo ſeu Ilo, περὶ Ἴλλου, Trois filio, Phryge, qui cum exercitu Pelopem ejecit, urbique a ſe conditae Ilii nomen indidit, cujus meminere *Pavsanias Corinth. c. 22* et *Apollodorvs lib. III p. 179.* Quam conjecturam noſtram alii, quibus volupe eſt, argumentis vel confirmabunt vel rejicient.

Caeterum caput FASCIA ſeu diademate cinctum, regem arguit. Capillus brevior fronti imminet, reliquus in cervicem demiſſus propendet, more illorum temporum.

LXXII. LACEDAEMON.

Quae de hujus ſtirpe a *Pavsania* aliisque memoriae ſunt prodita, ea *Henr. Valesivs* ad Harpocrationem, et *Caninvs* repraeſentarunt, noſtraeque diligentiae nihil fecerunt reliqui. Virum hic ſpectas et barba et coma venerandum, quales fere Lacedaemonii veteres, Acarnanes item et Graeci apud *Stephanvm de Vrbibus*, voce Ἀκαρνανία, deſcribuntur; cujus moris originem ad Leonidam regem refert *Philostratvs in Vita Apollonii lib. VIII c. 7.* add. *Tiraqvellvs* ad Alexandr. ab Alexandro *Gen. Dier. lib. V c. 18. p. 241.* Cur vero hoc cultu incederent, interrogatus a nonnemine Lyſander, reſpondit: Ὅτι πάντων κάλλιστος, καὶ ἀδαπανώτατος ἀνδρὶ ὁ ἴδιος κόσμος. *Plvtarchvs Apophthegm. Lacon. p. 230.* Omnia hic apparent perantiqua, ſcribit Gronovius, ſive antiquam frontis auſteritatem reſpicias, ſive galeae ſimplicitatem, forte ab hoc inventore per Peloponneſum progreſſae, teſtante etiam Plinio *lib. VII c. 56*, galeam Lacedaemonios reperiſſe, cui deinceps diſcriminis vel ornamenti

cauſſa

caussa aut formam mutaverint, aut aliud quid addiderint alii: unde Argolicam galeam memorat Hyginus *fab. 173*, quam acceperit Diores, et Boeoticam, Aelianus *Var. Hist. lib. III c. 24.* Haec GRONOVIVS.

LXXIII. NIOBE.

Tantali et Diones filia, Amphionis Thebani conjux, plurium liberorum mater. Vid. MVNKERVS ad Hygin. Foecunditate superbiens, Latonam ejusque liberos contemtui habet; unde dea poenas repetens, orbam fecit: ipsa autem in Sipylo diriguit,

Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης.

Conf. *AVSONIVM Heroum Epitaph. n. 27. 28.*

Digna dea facies, OVIDIVS *Metam. lib. VI v. 182*, *tuto superba fert caput fastu gravi*, SENECA *Oedip. v. 614*, plurimis πλεγμάτων spiris involutum; quarum una firmat ἀνάθεμα seu triangularem feminarum super verticem ornatum, cui facies, torvum videns, alata, desinens in cornu, juncta est. Ori annulus inditus, ex quo pretiosa in frontem pendet gemma, margaritas tres pro appendice habens. Quae omnia ex schemate accuratius dignosces. Facies illa cujus sit, dicere non habeo. Fortasse larva est. Plutum Rhodii alatum coluerunt, uti ex Philostrato docet GISB. CVPERVS *Apoth. Hom. p. 176.* Eum LVCIANVS in *Timone* alatum facit, quum discedendum est: Ὁπόταν δὲ ἀπαλλάττεσθαι δέῃ, πτηνὸν ὄψει, πολὺ τῶν ὀρνέων ὠκύτερον. *Sed quum discedendum est, alatum videbis, avibus longe celeriorem.*

LXXIIII. OENEVS.

Triga illustrium virorum, opinionum inter se dissimilitudine certant, cuinam heroum hoc, quod vides, caput sit vindicandum? IO. FABER, Vrsini commentator, *Aenum* seu *Oenum*, Gunei Homerici fratrem, qui urbem in Thessalia cognominem condiderit, esse auguratur. FVLVIVS VRSINVS *Oeneum* esse regem Calydoniae, Meleagri, Tydei, et Dejanirae partu, Bacchi hospitio, Dianae ira famam adeptum, autumat; cui accedunt GALLAEVS et GRONOVIVS *Thes. Antiq. Graec. T. I* qui nomen ejus, a quo Oenoe, regionis Argivae pars, nomen sortita sit, et ampla fabularum portio provenerit, longo caussarum nexu clarissimum dicit. BEGERVS denique, Aenum Vlyssis socium asserit *Thes. Brand. Vol. III p. 55*, ubi duo profert numismata, simili capite insignita, et ex literis AINI additis evincere conatur, numos ab Aeniis Thraciae populis esse percussos; non ab Aenianibus, quorum numi nihil simile habeant, maxime cum nomen AINIANΩN in his pleno literarum cursu sit descriptum. Caprum in adversa ad Ithacam respicere, quam et Aeni patriam hario-

hariolatur. Opinionis autem suae basin ponit in verbis *SERVII* ad Virgilii *Aen. lib. III v. 18*, ubi, quum poëta, caussae serviens, Aeneam dixerit conditorem Aeni Thraciae, addit: *Quanquam Homerus dicat, inde auxilia ad Trojam venisse; ergo jam fuerat. Euphorion et Callimachus hoc dicunt etiam, quod Aenum dicatur a socio Vlyssis illic sepulto, eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda.* Atque haec quidem sententia magnam, fateor, veri speciem prae se fert: at Fabri tamen opinionem non protinus evertit. Vapulat quidem Faber et Gronovio, quod de Aeno et de Thessalia cogitaverit, quum Oenei caput esse Vrsinus scripserit; Oeneus vero Calydoniae rex in Aetolia regnarit: et Begero, quod Gunei frater non Oeneus, sed Aenus vocatus sit; quod Aeni urbem Stephanus a Thessalia distinguat; quod pileus Vlyssis socium ostendat; quod imago evincat, numos in Thracia esse percussos: (nec leve robur *BEGERI* sententiae addit, quod Vlysses similiter, uti hic Aenus, in numis in signum peregrinationis pileatus prostat:) defendi tamen is adhuc potest. *STEPHANI de Vrbibus* locus, quem ille tangit, et quem unicum, (in eo siquidem praecipua Begeri contra Fabrum vis consistere videtur,) nunc tantum attingere placet, ex aliis compilatus, non unius menti est suspectus *HOLSTENIO*. Quum itaque Aeni urbs, a Gunei fratre condita, ubi terrarum sita sit, dici nequeat, eam diversam non esse suspicari quis posset ab Aenia, quam paulo ante copiose idem enarraverat. Populi enim Aenianes, urbem Perrhaeborum incolentes, *HERODOTO lib. VII c. 185* dicuntur Ἐνιῆνες, uti *L. HOLSTENIVS* annotat. At hi ipsi sunt, qui Guneum ad Trojam comitabantur. *HOMERVS Iliad.* B. *v. 750:*

Τῷ δ' Ἐνιῆνες ἕποντο μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί.
Eum Enienes sequebantur bellicosique Peraebi.

Neque ideo L. Holstenii emendatio in subsidium advocanda est, qui verba ordinalia, δευτέρα, τρίτη, τετάρτη, πέμπτη, ad sequentia locorum vocabula, mutata distinctione, referenda censet; unde nova oriretur pugna, quando sic Stephanus Aeni Thraciae sive origines sive incrementa ad Aenum Gunei, Servius autem ad Aenum Vlyssis socium referret. Deinde Aenia nunc Thessalis, nunc Aetolis annumeratur, uti ipse Begerus docet *p. 52*. Haec nugari jam libuit, non ut inter rei antiquariae oracula improbo ausu judex sederem; ipse enim in eruditorum judicio omnia pono; sed ut cogitandi ansam aliis darem, si cui fortasse adeo felici esse liceret, ut numismata Αἰνιανῶν et Αἰνιῶν, quorum *Io. HARDVINVS* in *Numis Populorum et Vrb. p. 22* meminit, inspiciendi litisque exin dijudicandae facultatem nancisceretur. Interim in tanta contentione, licet argumenta pro Oeneo non firmiora, imo fere debiliora reliquis videantur, contra eum tamen decernere, eumve dejicere de possessione vel quasi, non sum ausus.

LXXV.

LXXV. LXXVI. O M P H A L E.

Et Omphalen, Iardanis filiam, Tmoli uxorem, Lydorum reginam et Iolen, ſpoliis Herculis ſuperbiiſſe legimus, numique oſtentant. Numos Maeonum cum Hercule et Omphale, conſpicua illius clava leonisque pelle, exhibet *BEGERUS Theſ. Brand. Vol. I p. 500* et *Theſ. Palat. p. 274* De Omphale *OVIDIUS Faſt. lib. II v. 325:*

Ipſa capit clavamque gravem, ſpoliumque leonis.

Et in *Heroidum Epiſt. VIIII v. 103:*

Se quoque nympha tuis ornavit Iärdanis armis,
et tulit e capto nota tropaea viro.

Et *v. 111* Dejanira Herculi iſtam animi mollitiem objicit, vehementerque exprobrat:

Pro pudor! hirſuti coſtas exuta leonis
aſpera texerunt vellera molle latus.
Falleris, et neſcis: non ſunt ſpolia iſta leonis,
ſed tua; tuque feri victor es, illa tui.
Femina tela tulit Lernaeis atra venenis,
ferre gravem lana vix ſatis apta colum:
inſtruxitque manum clava domitrice ferarum:
vidit et in ſpeculo conjugis arma ſui.

SENECA in *Herc. Fur. act. II v. 65:*

Fortem vocemus, cujus ex humeris leo
donum puellae factus.

LXXVII. O R I T H Y I A.

Orithyia, ſeu, ut alii volunt, Otreria vel Otriria, Hippolytae ſive ſoror ſive mater, Amazonum regina, cui praeter ſingularem belli ſcientiam, eximia ſervatae in omne aevum virginitatis admiratio fuit. Pentheſileae, bello Trojano inclytae, locum fecit.

De GALEA teſtatur *STRABO lib. XI,* Amazones δορὰς δὲ θηρίων ποιεῖσθαι, κράνη τε, καὶ σκεπάσματα, καὶ διαζώματα, *e ferarum pellibus galeas aliaque tegumenta et baltea facere.* Figura Amazonum galeas non abſimiles fuiſſe illi, quae in gemma eſt, antiquitatis monumenta, a *P. PETITO de Amazonibus* diſſertatione collecta, ſatis, opinor, evincunt. Amazonis denique, Bacchum fugientis, et navi conſtructa ex Epheſia ditione transfretantis, imaginem ſpectaſſe in *LUD. SMIDS Scena Troica n. 17.* non poenitebit.

LXXVIII. PALAMEDES.

Fando aliquid ſi forte tuas pervenit ad aures
Belidae nomen Palamedis, et inclyta fama
gloria: quem falſa ſub proditione Pelasgi
inſontem, infando indicio, quia bella vetabat,
demiſere neci: nunc caſſum lumine lugent.

VIRGILIVS *Aen. lib. II v. 81.* Periit autem Nauplii ex Heſione filius, Neptuni ex Amymone nepos, ſapientiſſimus, numerorum, literarum, aleae, pluriumque artium inventor, falſa Vlyſſis criminatione, et divis adſcriptus eſt. Add. LIL. GREG. GYRALDVS *de Poëtarum Hiſt. dial. 2.* Filii mortem pater Nauplius, accenſo in ſaxis Caphareis igne, ut in ſcopulos pertraheret, naufragioque perderet Graeciae claſſem, ultus eſt.

Οὗτος δ' ἔφευρε τεῦχος Ἀργείῳ στρατῷ,
σταθμὴν τ' ἀριθμῶν καὶ μέτρων εὑρήματα
κἀκεῖν' ἔτευξε.

Quae SOPHOCLIS verba integra legi poſſunt apud Scaligerum *ad lib. IIII* Manilii, qui verſus Sophocleos imitatus eundem laudat:

Qui primus numeros rebus, qui nomina (momina) *ſummis*
impoſuit, certumque modum, propriasque figuras.

PHILOSTRATVS *Heroic. cap. 10,* ubi plura de eo congeſſit, inter caetera, qualis fuerit, ample deſcribit: Γένεια μὲν γὰρ αὐτῷ ἁπαλὰ ἐκφύεσθαι, καὶ ξὺν ἐπαγγελίᾳ βοστρύχων· τὴν κόμην δὲ, ἐν χρῷ εἶναι, τὰς δὲ ὀφρῦς ἐλευθέρας τε καὶ ὀρθὰς, καὶ ξυμβαλλούσας πρὸς τὴν ῥῖνα, τετράγωνόν τε οὖσαν, καὶ εὖ βεβηκυῖαν. τὸν δὲ τῶν ὀφθαλμῶν νοῦν ἐν μὲν ταῖς μάχαις ἄτρεπτόν τε φαίνεσθαι καὶ γοργὸν, ἐν δὲ τῇ ἡσυχίᾳ φιλέταιρόν τε καὶ εὐπροσήγορον τὰς βουλάς. λέγεται δὲ καὶ μεγίστοις ἀνθρώπων ὀφθαλμοῖς χρήσασθαι. *Etenim barbam quidem teneram ipſi progerminaſſe, et quae cincinnos promitteret: comam vero ad cutem abraſam, ſupercilia libera, atque erecta, et circa naſum conjuncta, qui ipſe quadratus ei fuerit, beneque compactus. Oculorum autem indolem in bello quidem ſtabilem viſam atque acrem, in pace vero amabilem, et affatu in conferendis conſiliis jucundam. Dicitur item mortalium maximos habuiſſe oculos.* ISAACIVS *l. c.* Ὁ Παλαμήδης, μακρὸς, λεπτὸς, λευκὸς, μακρόψις, εὔρινος, ἁπλόθριξ, μελάνθριξ, μικρόφθαλμος, οἰνοπαὴς, λαρυγγᾶς, ἤτοι λαυραγόρας, φρόνιμος, εὐπαίδευτος, πολύβουλος, μεγαλόψυχος· ᾧ δὴ πρώτως τὸ ταυλίζειν, ἤτοι κυβεύειν ἐξεύρηται. *Palamedes, procerus, gracilis, candidus, longa facie, pulchro naſo, capillo ſimplici, nigro, exiguis oculis, colore niveo, blaterator, hoc eſt, procaci lingua, prudens, bene eruditus, multi conſilii, magnanimus, qui primus tabulam, ſive ludum aleae invenit* etc. Gemma noſtra imberbem beneque coma-

comatum ſiſtit, uti et nobil. *SANDRARTIVS Acad. Teuton. Tom. II Part. 3 p. 26* habet.

LXXVIIII. LXXX. PERGAMVS.

In numis a *FVLVIO VRSINO* publicatis, ΠΕΡΓΑΜΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ diadematus, ſenili vultu et barba decore prolixa apparet; qualem et ex gemma dedit, quem modo laudavimus, *SANDRARTIVS.* Memoria quidem Pergami ab ultimis Trojae temporibus celebratur; nemo tamen eruditorum ad Pergami arcis conditorem vultum pertinere affirmavit; ſed omnes in conditore Aſiaticae urbis cognominis ſubſtitere. Hujus memoriam Pergameni in numis colebant, ut ſimul tamen ad Trojana Pergama, ſi quis exſtiterit eorum iſto nomine auctor, reſpicerent. Pergamus enim crevit coloniis e Graecia eo deductis a Telepho, Aeſculapio et Pergamo. *ARISTIDES Tom. II Orat. de Concord. p. 304 et 309* coloniam a Pergamo ex Epiro adductam dicit eſſe ſecundam, omniumque celebratiſſimam. *Καὶ γίγνεται, τοῖς μὲν χρόνοις ἄυτη δευτέρα τὶς ἀποικία δεῦρο ἐκ τῆς Ἑλλάδος μετὰ τὴν ἐξ Ἀρκαδίας τῶν ἅμα Τηλέφῳ, τῇ δὲ ἀξίᾳ καὶ δυνάμει πολὺ πρεσβυτάτη πασῶν ἀποικιῶν. Et quanquam temporis ratione ſecunda haec eſt colonia, e Graecia poſt illam deducta, quam ex Arcadia Telephus cum ſuis deduxit, dignitate tamen et potentia omnium eſt celebratiſſima.* Pergamus ille Pyrrhi filius erat natu minimus, Achillis nepos, qui cum matre Andromache poſt Heleni vitrici mortem Aſiam petiit, ibique urbem ſuo nomine conſtituit. *PAVSANIAS lib. 1 c. 11:* *Πέργαμος δὲ διαβὰς ἐς τὴν Ἀσίαν, Ἄρειον δυναστεύοντα ἐν τῇ Τευθρανίᾳ κτείνει, μονομαχήσοντά οἱ περὶ τῆς ἀρχῆς· καὶ τῇ πόλει τὸ ὄνομα ἔδωκε τὸ νῦν ἀπ' αὐτοῦ, καὶ Ἀνδρομάχης (ἠκολούθει γὰρ) ὧν καὶ νῦν ἐστιν ἡρῷον ἐν τῇ πόλει· At Pergamus quum in Aſiam trajeciſſet* (ex Epiro,) *Arium in Teuthrania* (Pergamenorum autem regionem olim Teuthraniam appellatam eſſe, ſuperius jam docuerat,) *dominantem, ſingulari de imperio certamine dimicans, occidit: et urbibus, quod etiam nunc manet, ex ſuo et Andromaches nomine cognomentum dedit: Andromache enim filium ſecuta eſt: et ibidem utriusque adhuc exſtat heroicum monumentum.*

In ſene illo obſervare jubent periti CAPILLORVM cultum, qui in fronte et circum tempora aequaliter detonſi, reliqua parte cervici ad humeros usque pertinent.

Seni huic junximus vultum Pergami aetate florentis imberbem, cum galea, praeter ſetam equinam, nullo alio ornatu conſpicuam in capite: capilli etiam breviores ſunt, Myſorum more, uti volunt antiquarii. Hunc a priori diverſum non eſſe, periti harum rerum aeſtimatores ex lineamentorum ſimilitudine judicant.

LXXXI. PHAEDRA.

Notus amor Phaedrae, nota eſt injuria Theſei,
devovit natum credulus ille ſuum.

OVIDIVS Faſtor. lib. VI v. 737. Phaedra enim, Minois filia, ſua inceſti amoris crimina Hippolyto privigno apud maritum impegit: ille diris a patre devotus phocae praeda factus eſt; ipſa vero laqueo impurum ſpiritum praecluſit.

In gemma Amazonum ritu *nodo comas coëgit emiſitque.*

Cervix monili vacua; nec niveus lapis
deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis ſparſus Aſſyrio vacet:
ſic temere jactae colla perfundant comae
humerosque ſummos; curſibus motae citis
ventos ſequantur.

Quem *SENECAE* locum ex *Hippolyti Act. II v. 391.* artificem habuiſſe ante oculos, nullus dubito; ita ut ſimul in ſubſidium vocaret, quae apud eundem in ea cecidiſſe conqueritur nutrix. Ita enim *turgidae* illi *genae, tenerque nitidi corporis decor, oculi ferunt ſigna phoebeae facis, atque gentile et patrium micant.*

LXXXII. PRIAMVS.

Laomedontis filius, nomen habet ex eo, quod puer ab Hercule captus, auro redemtus fuerit; fortunae ludibrium, ex rege fortunato factus omnium infeliciſſimus. Vrbem, quam ſplendidiſſime ornaverat, regnum, cujus fines longe lateque protulerat, quodque 50 filiorum ſubole firmatum, quadraginta annos ſapienter rexerat, quum ſuorum cladem miſerrimus vidiſſet, cum ipſa vita amiſit, in ſanguine filii prope aram Iovis Hercei a Pyrrho occiſus.

Ille tot regum parens
caret ſepulchro Priamus, et flamma indiget,
ardente Troja.

ISAACIVS PORPHYROGENNETVS characterem ejus dedit: Ὁ Πρίαμος ὁ βασιλεύσας τῆς Τροίας, εὐμήκης τὴν ἡλικίαν, μέγας τὸν ὄγκον τοῦ σώματος, καλὸς τὸ πρόσωπον, πυῤῥὸς τὴν τρίχα, γέρων, ὑπογλαύκος, μακρόῤῥιν, εὐόφθαλμος, πολύθριξ, καὶ σύνοφρυς. *Priamus Trojanorum rex, ſtaturae juſtae, magna corporis mole, formoſus, capillo rufo, ſenex, ſubcaeſius, naſo longo, venuſtis oculis, capillitio denſo, coëuntibus ſuperciliis. HOMERO Iliad. Ω. v. 299,* et ſaepius, dicitur θεοειδὴς, item ἰσόθεος, *Iliad. Γ v. 310,* qui et *Iliad.* X *v. 74* πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον, *canum caput,*

caput, canamque barbam deturpatam canibus tradidit. Ei epitaphium duplex poſuit *AVSONIVS n. 23. 24.*

LXXXIII. T O M V S.

Absque numis ſi eſſet, hujus ſive regis ſive herois vultum et fortaſſe etiam nomen ignoraremus. Tabularum Graeciae antiquae promus condus feliciſſimus ex *FVLVIO VRSINO* et *MORELLO* tres Tomi imagines profert, ſed eas tum inter ſe diverſas, tum a noſtra plane abeuntes. *DAVID HOESCHELIVS* ſimilem numum cum Tomi effigie et nomine, TOMOC KTICTHC, vidit apud M. Velſerum, reip. Auguſtanae duumvirum doctiſſimum, eruditorum patronum optimum, in cujus altera area erat Hercules, cum voce TOMEITΩN. typum autem non exhibuit. Vid. notae ipſius in *PHOTII Biblioth. p. 962.* vel *ad p. 721* ex *edit. A. Schotti.* Noſtra haec imago ad Sandrartianam proxime accedit, populo, ut videtur, coronata, cujus ſerti ratio originem Tomi ab Hercule deducendam docet, vel praemium eſſe luctae, in Herculis honorem depugnatae. Sed in tam profundo veterum ſilentio nihil certi de hoc heroe affirmari poteſt. Neque de urbis nomine, a quonam hoc illa habeat, conſentiunt. Legi meretur *A. MORELLVS,* unus ex antiquariorum Germanorum triumviris, in *Specim. Rei Num. ant. p. 244. 245.* Vrbs ipſa Abſyrti caede, et Ovidii exilio fuit nobilitata. Vid. ejus *lib. III Triſt. eleg. 9:*


Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo
membra ſoror (Medea) *fratris conſecuiſſe ſui.*

CAPVT III

CAPITA REGVM ET ILLVSTRIVM ROMANORVM.

LXXXIIII. ROMVLVS.

P*Raebuit intrepido mammas lupa foeta Quirino.* SIDONIVS APOLLINARIS *carm. II v. 119.* Huic regi primo ac deo ſuo peculiari, ſtatuam in capitolio togatam Romani poſuerunt, *ASCONIO* teſte: et gens Memmia in numiſmate ejus vultum ſaepe percuſſit. Atque ab his fere hodienum habemus Romuli imagines, aeri inciſas; non tamen omnes aeque accuratas, quarum plures cenſet Theſauri Graeci conditor, cujus verba ut et hic legantur, operae erit pretium: Quum per Memmios, inquit, ſit elegantiſſimo numiſmate excuſus, placuit tanto attentius ei ſimulando operam dare, quanto licentius a vera ejus facie deviarunt hodiernae chartae. Perperam caelatores numorum Croyanorum auctis in immenſum laureae foliis, cirros barbae ab mento et aure dependentes demum infra os incipiunt; perperam frontis ſupra naſum exſtans tuber affingunt, et hinc editio poſterior Flori. Ab his quum caverit Fulvius Vrſinus in Familiis Romanis, quatuor aut ſummum quinque foliorum paria modo exhibens; Gallaeus in Antverpiana editione Illuſtrium Imaginum non cavit, immenſa licentia iſtud ſertum jactans, etiam initia lanuginis dependentis ordine recto, qui ori reſpondet, concipiens. Patinus multiplicatis male foliorum paribus ad ſeptena, tres lanuginis intortae cirros recte altius attollens tres ori exaequat; ſed non frontem, non oculos, non naſum cura debita dignatus fuit; atque omnes, ſive gratiam, ſive indolis acumen et laetum decus monſtrantem venuſtatem, ſive majeſtatem quoque perdunt; ne dicam Chinenſi et ingrato tractu ſetas barbae demittentem Flori editionem. Sed et Torrentium in notis ad Suetonii Domitianum cap. 10, dum voluit accuratus eſſe, ut eſt in multis, omnino artificis fruſtrata fuit manus, tranquilli ſegnisque ingenii notis refertum vultum caelans. Nec ab hoc fuco immunis eſt diſſertationum ad Iuliani Caeſares pagina XIV, ne de aliis dicam, quinque tantum in barba ſpiras agnoſcens, et tempora inter oculi canthum ac crines hiante immenſum ſpatio aperiens. Aliter illum vidit Roma in funere Druſi, quod imaginum pompa illuſtre praeter Aeneam etiam conditorem urbis Romulum ſpectandum dediſſe teſtatur Tacitus lib. 4 Annal. 9. Aliter unicus ille Memmianus numus, quem exhibere exactiſſime conatus fui; cujus certe ſupremam partem pro vera firmat Plutarchus, dum Romulo et lauro redi-


Sarda. 84
Sarda. 85
Sarda. 86
Sarda alba. 87
Sarda. 88
Sarda. 89
Sarda. 90
Sarda. 91
Achates. 92
Sarda. 93
Chrÿsolithus? 94
Sarda. 95
Sarda. 96
Sarda. 97
Sarda. 98
Chalcedo-nius 99
Sarda 100
Sarda 101
Sarda. 102
Sarda alba. 103
Amethy-stus. 104
Sarda. 105
Amethy-stus. 106
Achates. 107
Amethy-stus. 108
Chalcedonius. 109

redimitum caput tribuit, et comatum. *Δάφνη δὲ ἐστέψατο τὴν κεφαλὴν κομῶσαν.* In isto igitur vultus hujus apparatu plane persevero, testorque contemplari quaedam Aegyptiaca, partim Syriaca, et perspicacissimae mentis ostentantisque magnificentiae, tum ardentis vehementiae in suscipiendis ac perficiendis rebus indicia, quae miror, cur Sponius maluerit in illis pestiferis humanae libertatis oppressoribus, Caesaribus Romanis spectare, quam in singularibus Dei donis, in quibus vel eximie praestare hunc Romulum censeo. Haec *GRONOVIVS.* Spectatur etiam Romuli caput diadematum in numo M. Terentii Varronis Luculli, Consulis circa A. V. C. DCLXXX, quem *HVB. GOLZIVS* exhibet *in Fastis,* et *ERYCIVS PVTEANVS* in *Syntagm. de Familiis Regum Rom.* At reges diademate ornatos non fuisse, tum aliunde, tum ex *IVSTINI lib. XXXXIII c. 5* constat. Poëtae tamen, uti bene observavit *EZECH. SPANHEMIVS de Vsu et Praest. Num. Vol. I diss. 8. p. 545,* Atreo, Thyestae, Quirino, diadema tribuere, praeter rei veritatem. *IVVENALIS Sat. VIII v. 259:*

Ancilla natus trabeam, diadema Quirini.

Plura vid. apud *ANDR. CIRINVM* de Vrbe Roma.

LXXXV. LXXXVI. TIT. TATIVS.

Raptum Sabinarum ulturus, manus cum Romulo conserit; mox Hersiliae interventu, quae prima ad T. Tatium viam carpsit, pacem init, communicata a Romulo re summa in nova urbe. Caput hoc ex numismate vulgavit *FVLVIVS VRSINVS.* Exstat et vetus monumentum, quod *STEPH. VINANDO PIGHIO* atque *L. BEGERO* in *Spicileg. p. 151* debemus, ubi Tatius togatus cum Romulo sagato foedus firmat, pacem utrinque conciliante Hersilia. De hac pace legatur, si placet, *OVIDIVS Fast. lib. VI v. 93,* et *Metam. lib. XIIII v. 803.* Begeri de Tatii SENIO conjecturam auctoritate *VIRGILII Aen. VIII v. 637* firmo, ubi in clypeo Aeneae Vulcanus, venturi non inscius aevi, ostendit

subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.

Ita et *OVIDIVS Fast. VI v. 49: Adde senem Tatium.*

Quae de Sabini habitu pacifico ibidem subjicit *BEGERVS,* fidem accipiunt ab istis, quae *PAVLVS MERVLA in Comm.* ad *ENNII Annal. lib. I v. 236* scribit: *Addit* (Hersilia,) *Tatium potius decere, quam Romulum, ut ad pacem veniat, et summam rem servet.* Caput Tatii in numis feriit L. Titurius Sabinus.

LXXXVII.

LXXXVII. LXXXVIII. NUMA POMPILIUS.

Quaeritur interea, qui tantae pondera molis
ſuſtineat, tantoque queat ſuccedere regi.
Deſtinat imperio clarum praenuntia veri,
fama Numam. non ille ſatis cognoſſe Sabinae
gentis habet ritus: animo majora capaci
concipit, et quae ſit rerum natura, requirit.
Hujus amor curae, patria Curibusque relictis,
fecit, ut Herculei penetraret ad hoſpitis urbem.

OVIDIUS Metamorph. lib. XV ab init. Numa quippe alter a Romulo Romanorum rex placidus, juſtitia et pietate inſignis, Pythagorae cujusdam Spartiatae inſtitutis formatus, Tatii gener,

quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.

Idem *NASO Faſt. lib. VI v. 259*, et *VIRGILIUS Aen. lib. VI v. 809:*

Noſco crines, incanaque menta,
regis Romani, primus qui legibus urbem
fundabit, Curibus parvis, et paupere terra
miſſus in imperium magnum.

ubi interpretes notant, Numam ab aetate prima canum fuiſſe. *OVIDIUS l. cit. v. 263:*

Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtae,
tunc erat intonſi regia magna Numae.

DIADEMATE ornatus eſt, praeter morem iſtorum temporum, uti jam annotavimus.

LXXXVIIII. ANCUS MARCIUS.

Sequitur jactantior Ancus,
nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.

Numae ex filia nepos, quem ingenium inter Numam et Tullium geſſiſſe medium, *LIVIUS* perhibet. De eodem *LUCRETIUS lib. III v. 1039:*

Lumina ſis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.

Imagines autem regum, (non enim alienum erit, et illud hoc loco addere,) reſtitutae ſunt, data a Senatu facultate, ut conſulares praeclara majorum ſuorum facta, additis nonnunquam vultibus eorum, in numis exprimerent, uti loquitur *HUB. GOLZIUS in praef. Faſtis* praemiſſa; qui et ibidem pergit: Hinc L. Titurius Sabinus in numis ſuis propter Sabini cognomen, caput T. Tatii Sabini, regis Sabinorum ſignavit, vel in parte averſa Sabinarum raptum; non-

nun-

nunquam etiam virginem Tarpejam, quae prodita arce Tarpeja, a milite Sabino clypeis obruta periit. Similiter et C. Memmius Quirinus, propter Quirini cognomen, caput dei Quirini, quod et Romuli, ſuis numis impreſſit: uti Pompeji et Pomponii, Numae Pompilii, Pomponis filii caput et effigiem, quod utraque forſan gens ad hunc ſuam originem referret. Simili quoque ratione L. Hoſtilius Mancinus Conſul anno ab V. C. 608 et L. Marcius Philippus Conſul A. V. 697 capita regum Tulli Hoſtilii et Anci Marcii in numis ſuis publicarunt. C. autem Marcius Cenſorinus, Anci Marcii et Numae Pompilii capita, ſimul uno in numo cum portu Oſtienſi in parte altera; M. vero Tullius Decula Conſul anni 672, Servii Tullii vultum et imaginem expreſſit. Hactenus *GOLZIVS.*

De LITVO *FESTVS: Lituus appellatus eſt, quod litis ſit teſtis. Eſt enim genus buccinae incurvae, quo qui cecinerit, dicitur liticen.* Et *GELLIVS lib. V c. 8: Lituus eſt virga brevis, in parte, qua robuſtior eſt, incurva, qua augures utuntur:* ubi etiam, utrum lituus auguralis a tuba, an haec ab illo dictus ſit? quaerit, et virgam auguralem a tubae ſimilitudine lituum vocari decernit.

Quid lituus ille, ad cervicem Anci poſitus, qui alias ad augures pertinet? Romulus quidem ob vaticinii peritiam *OVIDIO Faſt. lib. VI v. 375* dicitur

Lituo pulcher trabeaque Quirinus.

Is enim baculo adunco ſine nodo, quum urbem conditurus regionem deſcriberet, primus uſus eſt, uti habet *CICERO lib. I de Divinat.* Vnde *Quirinalis lituus VIRGILIO Aen. VII v. 187.* Ille autem poſt Romae incendium a Gallis factum integer in ruinis eſt inventus, uti narrat *PLVTARCHVS in Camillo p. 145:* Σκευωρούμενοι δὲ καὶ καθαίροντες τὸ χωρίον, ἐντυγχάνουσι τῷ μαντικῷ ξύλῳ τοῦ Ῥωμύλου κατὰ τέφρας πολλῆς καὶ βαθείας καταδεδυκότι· Τοῦτο δ᾽ ἔστι μὲν ἐπικαμπὲς ἐκ θατέρου πέρατος, καλεῖται δὲ λίτυον· χρῶνται δὲ αὐτῷ πρὸς τὰς τῶν πλινθίων ὑπογραφὰς, ὅταν ἐπ᾽ ὄρνισι διαμαντευόμενοι καθέζωνται, ᾧ καὶ ἐκεῖνος ἐχρῆτο μαντικώτατος ὤν· ἐπεὶ δ᾽ ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη, παραλαβόντες οἱ ἱερεῖς τὸ ξύλον, ὥσπερ ἄλλο τι τῶν ἱερῶν, ἄψαυστον ἐφύλαττον. Τοῦτο δὴ τότε, τῶν ἄλλων ἀπολωλότων, ἀνευρόντες διαπεφευγὸς τὴν φθορὰν, ἡδίως ἐγένοντο ταῖς ἐλπίσιν ὑπὲρ τῆς Ῥώμης, ὡς ἀΐδιον αὐτῇ τὴν σωτηρίαν τοῦ σημείου βεβαιοῦντος. *In moliendo et purgando loco* (de Martis curia in Palatio loquitur,) *reperiunt ſub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo uti ad auſpicia ſolitus erat. Is ab altera extremitate inflexus eſt, Lituum vocant. Hujus in caeli regionibus deſcribendis uſus eſt auſpicantibus, ad quod ille augurandi peritiſſimus illum habuerat. Romulo deinde ex conſpectu hominum ablato, hunc baculum ſacerdotes a contactu hominum ſervaverunt, ut rem ſacram. Eo tunc amiſ-*

 ſis

ſis caeteris integro invento, laeti ſpem conceperunt, Romam hoc omine aeternam ſignificari fore. Sed Anco datus eſt, quod religiones neglectas aut prave cultas, ut erant a Numa inſtitutae, Pontificem Maximum proponere in publico juſſit; ceremonias item et jus feciale, quod poſteri in omni bello ſervarent, prodidit, uti *LIVIVS* auctor eſt *lib. I cap. 32. 33.* Hinc *NASO l. cit. v. 811:*

Marcia ſacrifico deductum nomen ab Anco.

Vbi nugantur interpretes, qui *ſacrifici* nomen ei datum cenſent, ob conjunctionem cum Numa, qui tot ceremonias et ſacrificia inſtituit. Si cui noſtra haec conjectura diſpliceat, et lituum malit pertinere ſive ad C. Marcium, augurem de plebe, cujus alicubi mentionem injecit *LIVIVS*; vel ad Marcium, vatem quondam inclytum, de quo idem *lib. XXV cap. 12,* et *IVL. CAESAR BVLENGERVS de Sortibus lib. I c. 2,* manus facile dabo.

LXXXX. LXXXXI. L. IVNIVS BRVTVS.

Vis et Tarquinios reges, animamque ſuperbam
ultoris Bruti faſceſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, ſaevasque ſecures
accipiet: gnatosque pater nova bella moventes
ad poenam pulchra pro libertate vocabit
infelix: utcunque ferent ea fata minores.

VIRGILIVS Aen. VI v. 817. Eſt nimirum is *ſtulti ſapiens imitator,* uti *OVIDIVS* eum vocat *Faſt. lib. II v. 717,* regum tyrannorum ejector, libertatisque parens, cujus in Capitolio aurea inter reges ſtatua erat poſita; indeque imago ejus, a poſteris in aere ſignata inter Familias Romanas in gente Iunia habetur. Hodienum adhuc ſtatua Bruti in marmore ibi viſitur, unde vultum exhibuit ſolertiſſimus *SANDRARTIVS Acad. Teuton. Tom. II lib. II p. 20. 24.* De eo audias licet *GRONOVIVM Vol. II n. 52:* Talem certe etiam ipſe vultus, totum Pythagoram quoque gerens, videtur praeferre, non prout Gallaeus majore tractu nitidum viſu curatumque lepide, non prout Vrſinus, in Familiis Romanis, barba in acutum deſinente, non ut Caninus, crine circa cervicem aequante imam barbam, ac facie nullam profunditatem animi aperiente, qualis eſt et Patinianus; ſed prout in numo exſtat haud dubie ſumma cura ad ſtatuae ſimilitudinem facto. Haec Gronovius, qui ex *Io. FABRI* collectaneis de ſtatua Bruti lectu non injucunda ſubnectit. Vitam habes apud *DIONYSIVM HALICARNASSEVM lib. IIII Antiq. Rom., p. 264* ſqq.

LXXXXII. C. SERVILIVS AHALA.

Notiſſimus L. Quinctii, dictatoris octogenarii, magiſter equitum, qui occupatum (elabi enim nitebatur) Sp. Melium interimens,

mens, eo quod res novas moliretur, remp. ſervavit A. V. C. 314. *Livivs lib. IIII c.13* ſqq. *Cicero Orat. pro domo, Catilin. I, Phil. 2. Catone c. 16* et alibi. *Valerivs lib. V c. 3. Florvs lib. I c. ult.* et alii. Varia *Vrsini, Patini* et *Canini* ectypa dijudicat *Gronovivs:* Nec ſcio, ſcribens, cur diſyllabum ille cognomen fecerit, quum in argento ſint tres ſyllabae, nec cur ipſum caput adeo rotundum. Sane etiam peſſime ediderunt duo priores. In Flori quidem nitida editione non intelligo, unde arrecti illi et exſtantes capilli ſint arceſſiti. Haec ille.

LXXXXIII. T. QVINCTIVS FLAMININVS.

Ille vir haud magna cum re, ſed plenu' fidei,

T. Quinctius Flamininus, (non Flaminius, quod gentis plebejae nomen, Flamininus autem e patricia,) is eſſe putatur, cui a Graecis, ob incredibilem humanitatem et pietatem, templum fuit dedicatum. Ille vero non alius fuiſſe videtur, quam qui A. V. 555 Conſul, A. 559 Proconſul ex Macedonia de Philippo triumphavit, iterumque Conſul A. 561 factus eſt. Conf. *Livivs lib. XXXV c. 10* et *lib. XXXVI c. 12,* ubi *ſicut adverſantibus aſper; ita, ſi cederes, idem placabilis* deſcribitur. Vid. *Vaillant* in *Familia Quinctia n. 4.* Vultum ex *Vrsini* gemma quoque expreſſerunt Sandrartius, et Gronovius *Vol. III.*

LXXXXIIII. L. CORN. SCIPIO ASIATICVS.

Clariſſima Scipionum familia prae caeteris fere gentibus Romanis enituit; utpote ex qua filii parentibus in conſulatus inſignia, et triumphalia ornamenta, longa ſerie veluti ſucceſſerunt. Ex felici hac ſtirpe generati ſunt P. et L. fratres, quorum majores, viros conſulares et triumphales, enumerat *P. Mervla* ad Ennium *p. 102. 103.* Ob praeclara edita virtutis facinora uterque cognomine decoratus eſt. Ille *domita nomen ab Africa lucratus rediit, Horativs lib. IIII od. 8, Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror, Lvcretivs lib. III v. 1048; vera Iovis proles, Silivs Italicvs lib. IIII v. 478,* qui ingentis anguis concubitu conceptus credebatur. *Livivs lib. XXVI c. 19.* Add. idem *Silivs lib. XIII v. 615. 642* et *lib. XVII v. ult.* item *lib. VIII v. 552.* Hic asiatici nomen conſecutus eſt, quum Antiochum regem ex Aſia ejeciſſet. In triumpho, quem ideo duxit, CXXXVII urbium ſimulachra, et tantus argenti, auri, gemmarum, theſaurus translata ſunt, ut gemmarum luxum urbi intuliſſe diceretur. Tabulam quoque pictam, operum ſuorum teſtem, in Capitolio ſuſpendit. Addidit S. P. Q. R. ſtatuam, chlamyde et crepidis indutam, ad perpetuam rerum geſtarum memoriam.

 moriam.

moriam. Vid. *LIVIVS lib. XXXVII c. 59, PLINIVS H. N. lib. XXXIII c. 11, AVR. VICTOR de Viris illuſtr. c. 53, EVTROPIVS lib. IIII c. 2,* alii.

Cernuntur utriusque herois vultus tum in numis, tum in aliis eruditae antiquitatis monumentis. Et P. quidem vultu juvenili, eoque imberbi, in clypeo antiquo apud *SPONIVM Recherch. I,* et in *Miſcellan. Sect. IIII pag. 152.* Vultu ſenili viſitur in marmore antiquo, cujus ἔκτυπον dederunt Gallaeus, Io. Epiſcopius, Gronovius, et alii.

L. ſpectatur in marmore itidem antiquo apud *SANDRARTIVM Vol. I Part. 2 lib. I p. 44.* Eſt haec imago ſuper urnam collocata; ideoque non gravatim mecum recognoſcet aequus Lector *LIVII* verba, quae *lib. XXXVIII c. 56* habet, ubi non convenire, ait, de anno, quo mortuus, nec de loco, ubi mortuus aut elatus ſit. *Alii Romae,* pergit, *alii Literni et mortuum et ſepultum: utrobique monumenta oſtenduntur et ſtatuae. Nam et Literni monumentum, monumentoque ſtatua ſuperimpoſita fuit; quam tempeſtate disjectam nuper vidimus ipſi. Et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres ſtatuae ſunt: quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur eſſe: tertia poëtae Q. Ennii.*

ALAE in caſſide, quam πτέρινον φάλον *POLYBIVS* appoſite vocat, non tantum victoriarum celeritatem, conf. *L. BEGERVS Theſ. Brand. Vol. I p. 270.* ſed et caeleſte quid atque divinum indicant. Ita nempe in bello Lucano Martem ſibi adfuiſſe crediderunt Romani, quum non inveniretur, qui coronam caſtrenſem peteret. *Inter caetera,* inquit *VALERIVS MAXIMVS lib. I c. 8, hujusce rei manifeſta indicia, galea quoque duabus diſtincta pinnis, qua caeleſte caput tectum fuerat, argumentum praebuit.* In palatio Aquilejenſi pictor imaginem poſuit, ubi puella offerebat Conſtantino etiamtum puero *galeam auro gemmisque radiantem, et pennis* (pinnis) *pulchrae alitis eminentem.* Incertus in *Panegyr. Maxim. et Conſtant.*

De SPHINGE et de GORGONE dixi ad *cap. I n. 13.* De hac ex *LVCIANI Philoſoph.* addo: eſſe tale ſpectaculum, quod mala avertere, hoſtes perterrefacere, dubiam victoriam alicui certam reddere poſſet. Conf. idem in *Philopatr. p. m. 996,* et de *Domo p. 623,* ubi puellam elegantem fuiſſe aſſerit, cujus pulchritudo eſſet violentiſſima.

LXXXXV. L. CORNELIVS SVLLA.

Vitia juventutis, quam vino et libidine detentus transegerat, emendavit, poſtquam anno aetatis 39 Quaeſturam militarem ſuscepit, atque res in Africa, Aſia et Cilicia feliciter geſſit, ipſumque Marium vicit. Dictaturam perpetuam aſſecutus, Sulla Felix dictus eſt, quo bellatore, nihil mitius; victore nihil truculentius. Hic enim eſt, qui dum quaerit victorias, Scipionem ſe populo Romano;

no; dum ſaevitiam exercet, Annibalem repraeſentavit. *Valerius Maximus lib. VIIII c. 2,* et *lib. VI c. 9.* Conf. *Sallustius, Velleius Paterculus lib. II c. 17* et *Plutarchus,* ex quo, qualis fuerit, ſcire poſſumus. Ita enim de illo: *Oculi glauci, qui perquam erant amari et truces, color faciei magis efferabat adſpectu: efflorescebat enim aſpera rubedo, albedine ſparſim interfuſa: unde ſannio quidam Athenis in eum hoc verſu uſus eſt: Mora ſi ſpargas farina, talis eſt forma Sullae.* Nimirum, ut ait *Seneca Epiſt. XI: Sulla tunc erat violentiſſimus, cum faciem ejus ſanguis invaſerat.* Phthiriaſi ſeu morbo pediculari conſumptus interiit. *Q. Serenus Sammonicus c. 5:*

Sulla quoque infelix tali languore pereſus,
corruit, et foedo ſe vidit ab agmine vinci.

LXXXXVI. Q. POMPEIUS RUFUS.

Hujus vultum in gemma eſſe expreſſum, diſcimus ex numo, qui apud *Golzium* in *Faſtis, Torrentium* ad Suetonii *Caeſar. c. 7.* Familiarumque Romanarum conditores, refert imagines L. Corn. Sullae et Q. Pompeji, Q. F. Rufi, utriusque conſulis A. V. C. 665. Et de Rufo conſtat, eum in hoc magiſtratu, a militibus Cn. Pompeji Strabonis ad cujus exercitum, ſucceſſurus ipſi, venerat, inter ſacrificandum eſſe occiſum. *Velleius lib. II c. 20. Valerius lib. VIIII c. 7.* Duorum autem imagines conſulum in uno denario expreſſae ſunt, ut hoc ab aliis jam dictum obiter repetam, quia nepos Q. Rufus, qui A. V. $\frac{696}{7}$ quaeſturam geſſit, utriusque avi, paterni et materni, memoriam revocare voluit. Q. Pompejus Rufus Cos. pater erat Q. Rufi, qui uxorem duxerat Corneliam Fauſtam, Sullae Cos. filiam, ex quibus Q. nepos et Pompeja, quae Caeſari nupſit, nati ſunt.

LXXXXVII. C. ANTIUS RESTIO.

E denario *Fulvii Ursini* exhibitus a Gallaeo, Patino, Sandrartio et aliis, tribunus ille plebis eſſe creditur, qui lege cibaria vel ſumptuaria lata contra luxuriam, vitiorum firma concordia tutam, nitebatur, et cum aliter non poſſet, perverſos ſuorum mores abſtinentia caſtigabat. *Gellius lib. II c. 24, Macrobius lib. III c. 17.* Hujus Reſtionis filium vel nepotem eſſe quidam pertendunt Antium illum, quem a triumviris proſcriptum ſervi ſtigmatici pietas ſervavit. Quod ſi temporis rationem inire placeat, per aetatem conſtabit, opinor, ipſum tribunum plebis, legis auctorem, non Reſtionem filium aut nepotem, eſſe a triumviris poſtea proſcriptum. Nam lex Antia lata eſt paucis interjectis annis poſt Aemiliam, quam M. Aemilius Lepidus Cos. cum Q. Lutatio Catulo A. V. $\frac{675}{6}$ tulit;

et ante edictum Antonii, qui post triumvir fuit. Edictum hoc quando Antonius proposuerit, non liquet. Proponere autem illud potuit tribunus pl. A. vel tribunus pl. iterum A. $\frac{704}{5}$, vel A. $\frac{706}{7}$, cum Caesaris magister equitum esset constitutus, licet praeturam nondum gessisset. Illud certum est, triumviratum incidere in A. V. $\frac{710}{11}$, ut adeo inter Aemilii consulatum et Antonii triumviratum intervallum intersit XXXIIII vel XXXV annorum. Porro admodum senem obiisse Restionem, colligo tum ex eo, quod servus pro domino occisum senem rogo superjecerit, et militibus eum inquirentibus ostenderit. *VALERIVS MAXIMVS lib. VI c. 8.* tum ex numis, qui valde senem exhibent.

LXXXXVIII. LXXXXVIIII. C. CN. POMPEIVS MAGNVS.

Ille tremor ponti, saevi quoque terror Hydaspis
et piratarum scopulus,
hirta cui surrigitur coma fronte, decorum
et gratum terris Magnus caput,
quo gratior ore
non fuit, aut ulli nituit plus fronte decoris.

Quibus eum elogio mactant *PETRONIVS p. 67, SILIVS ITALICVS lib. XIII v. 861,* et *lib. XII. SENECA Epist. XI: Nihil erat mollius ore Pompeji, nunquam non coram pluribus erubuit : utique in concionibus. PLVTARCHVS* in Pompejo : *Pompejo, cur diligeretur, multae caussae fuerunt, vitae temperantia, rei militaris scientia, facundia in dicendo, fides morum, comitas in conveniendo : qui nemine minus oportune rogabat, vel hilarius largiebatur roganti ; ostendebat enim in dandis beneficiis serenitatem, et gravitatem in accipiendis ; vultu initio praeditus fuit non mediocriter gratioso, qui praeveniebat ejus orationem : nam veneres ejus erant cum humanitate conjunctae, atque in vigore floreque juventutis senilis elucebat et regia majestas : jam modice surrecta coma, oculorumque lenis modulatio reddebat faciei ejus usurpatam magis sermonibus, quam repraesentatam cum Alexandri regis statuis similitudinem.* Add. *VELLEIVS lib. II c. 29.* et cumprimis *P. SEGVINI* epistola *de Numis Pompejanis,* ubi disceptationem de vultu Pompeji M. erudite excussit, in numis observans, praeter capillitii assurgentis notam, vetulum vultum, frontem rugis pluribus quasi sulcis exaratam, genas diductas et concavas. Qui ex vultu de moribus judicant, surrectam comam dicunt indicium esse fortitudinis et audaciae, quae et in urso atque leone major est. Neque istud praetereundum, quando veteres Pompeji et Alexandri vultus aequipararunt; caput quidem utrumque projicere : at oculos magis depressos esse et cavos : unde et illo moderatior fuisse existimatur. *PLINIVS lib. XXXVII c. 2,* ex Pompeji triumphorum actis de imagine ejus e

marga-

margaritis translata haec refert: *Imago Cn. Pompeji e margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris (os probum* et *eximiam* ejus *frontem* quoque laudat idem *lib. VII c. 12.) venerandique per cunctas gentes, illa inquam ex margaritis, ſeveritate victa, et veriore luxuriae triumpho.* Ex gemma duplici vultum in lineas excepit *GRONOVIVS Vol. III,* ubi ſpeciem ex Gevartii Amethyſto exceptam judicat excitatiorem, et tamen ſeni propiorem; ſed eum offendit frontis altitudo, cujus ſpatium longe magis arctatum apparet in numis. Denique apud *PLINIVM lib. VII c. 26* laus ejus habetur.

Caput ſine laurea, qua tamen ut uteretur in ludis Circenſibus atque ſcenicis, lege lata datum erat, et ſine ullo alio honoris inſigni conſpicuum eſt. De ſtatua in porticu Pompeji Centenaria, populi voluntate ipſi erecta, *PLVTARCHVS* in *Vita Bruti,* et *GEORG. FABRICIVS* in *Roma p. m. 153.*

CI. L. MARCIVS L. F. PHILIPPVS.

Auguſti vitricus, Atia, vidua Octavii, in torum adſcita; Conſul fuit A. V. C. 697. Auguſto hereditatem a Iulio Caeſare ſibi relictam diſſuaſit, legatione ad Antonium functus, aedem denique Herculis Muſarum, quam Fulvius Nobilior condiderat, vetuſtate deformatam, refecit: *Clari monumenta Philippi, OVIDIVS* nominat *Faſt. lib. VI v. 801. MARTIALIS lib. V epigr. 50:*

Vites cenſeo porticum Philippi,
ſi te viderit Hercules, periſti.

De eo vid. *Io. GLANDORPIVS* in *Onomaſt. Rom. p. 586.*

Ad hunc pertinet numus cum imagine Herculis ſeu L. Marcii, pellem leoninam pro galea gerentis, apud *PATINVM* et *VAILLANT* in gente Marcia. Nob. *SANDRARTIVS Vol. II. Sect. 3 p. 66.* eam eſſe vult L. Marcii Q. F. Philippi patris imaginem, qui orator praeſtantiſſimus cum Sex. Iulio Caeſare A. V. C. 663, ut *CASSIODORVS,* vel ut *GOLZIVS* habet in Faſtis, A. *662* conſulatum iniit. Quam conjecturam firmari putat, quod barbatus ſit. Auguſti enim tempore morem radendae barbae jam invaluiſſe. Ipſe tamen argumenti hujus imbecillitatem agnoſcens, nihil certi ſtatuit.

CII. M. IVNIVS BRVTVS.

Vir excellens omni genere laudis, ſcriptis etiam inclaruit. *TACITVS Dial. de Clar. Orat. c. 21. OVIDIVS lib. I ex Ponto eleg. 1 v. 14:*

Doctus et in promtu ſcrinia Brutus habet.

Hoc uno vituperandus, quod

in caedem ducis,
a quo ſalutem tulerat, armavit manus.

SENECA Octav. v. 498.

Bruti

Bruti vulticulum σεμνὸν seu gravem, accipe ex *CICERONIS lib. XIIII ad Attic. epist. 20* et *lib. XV epist. 12,* et apud *PLUTARCHUM* a Caesare, pallidus atque macilentus ὠχρὸς καὶ λεπτὸς designatur. Sed in gemma alius fere est, quam in numis conspicitur; artificis manu, ut puto, fallente. *C. PEDO ALBINOVANUS eleg. 2:*

Mene, inquit, juvenis primaevi, Iupiter, ante
Augustam Bruti non cecidisse fidem?
Pectore maturo fuerat puer, integer aevo,
et magnum magni Caesaris illud opus,

CIII. SEX. POMPEIUS.

Cn. filius, adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promtus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus; speciosis invidens, ut pareret humillimis. *VELLEIUS lib. II c. 73. LUCANUS lib. VI:*

Sextus erat magno proles indigna parente,
qui mox Scyllaeis exul grassatus in undis
polluit aequoreos Siculus pirata triumphos.

Crinibus in frontem caducis Sex. agnosci in numo Pompejae familiae, tribus capitibus insignito, laudatus antea *SEGUINUS* existimat. In numum istum post alios erudite commentatus est R. P. *PAULUS PEDRUSIUS Tom. I tab. 1* regii operis, quo aurea Imperatorum Numismata in Museo Farnesiano Parmensis Ducis explicare aggressus est.

CIIII. M. AEMILIUS LEPIDUS III VIR.

Caput Lepidi cum lituo a Golziana, quam in *Augusto c. 4. n. 2* dedit, imagine parum differt, nisi quod in gemma nasus aquilinus absit, qui in numis clare exprimitur. De Lepido *VELLEIUS lib. II c. 80: Hic vir omnium vanissimus, neque ulla virtute tam longam fortunae indulgentiam meritus, exercitum Pompeji, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Caesaris auctoritatem et fidem, sibi junxerat: inflatusque amplius XX legionum numero, in id furoris processerat, ut inutilis in aliena victoria comes, quam diu moratus erat, diffidendo a consiliis Caesaris, et semper diversa iis, quae aliis placebant, dicendo, totam victoriam ut suam interpretaretur; audebatque denunciare Caesari, excederet Sicilia.* A *DIONE lib. XLVIII p. 409* homo ignavus, et *lib. XLVIIII p. 455* parum strenuus pronunciatur.

De LITUO istud repeto, quod supra de lituo Anci Marcii dictum est, eum hic non auguratus, sed pontificatus signum esse. Nam et Pontificibus lituum fuisse communicatum, docet *IAC. GUTHE-*

THERIVS de Vet. Iur. Pont. lib. I c. 29. Neque *PATINVS* audiendus eſt, qui indicari credit Lepidum Aemilium Augurem, a cenſoribus notatum, quod ſex millibus aedes conduxiſſet; de quo *VELLEIVS lib. II.* Lepidum autem triumvirum fuiſſe Augurem, ex hiſtoria non liquet: niſi hanc ex numis ſupplendam dicere malimus. At Pontificatum ille intercepit, opera M. Antonii conſulis, qui Pontificis Maximi creationem rurſus a populo ad Pontifices transtulit; idemque et illius filium ſibi generum adſcivit. *Dio lib. XLIIII extr.*

CV. CVI. CVII. M. ANTONIVS IIIVIR.

Sui Saeculi fax, turbo, procella, ſcopulusque et nodus ac mora publicae ſecuritatis, vituperatur.

Antonium non Antonium hic damus, utpote qui ſine ruga ſenili juvenis aut viri ſpeciem prae ſe fert, et, ſi ad numos et Plutarchum examinaveris, parum utique ſimilitudinis refert. *PLVTARCHVS* ita eum deſcribit: Προσῆν δὲ καὶ μορφῆς ἐλευθέριον ἀξίωμα, καὶ πώγων τις οὐκ ἀγενὴς, καὶ πλάτος τι μετώπου, καὶ γρυπότης μυκτῆρος ἐδόκει τοῖς γραφομένοις καὶ πλαττομένοις Ἡρακλέους προσώποις ἔμφερες ἔχειν τὸ ἀῤῥενωπόν. *Huc accedebat dignitas oris libera, et barba non indecora, et frontis amplitudo, et naſi aduncitas, quibus referre videbatur vigorem hunc et maſculum robur, quod a pictoribus et ſtatuariis Herculi tribui ſolet.* Vultus longior et barba notant hominem voluptatibus deditum: atque his non viciſſe ſolum, ſed et obſcuraſſe caeteras animi dotes, notum eſt. In numis ab acuto mento, quod projectum, crudelitatis indicem, habuiſſe dicitur, eum eſſe cognoſcendum, periti ſciſcunt, qualis viſitur in numo *P. SEGVINI cap. 4 p. 95.* Add. *BERNARD DE MONTFAVCON* in *libro, Antiquité expliquée et repreſentée en figures T. III tab. 24.*

Altera gemma eundem exhibet capite velato et laureato. VELVM poſteriorem capitis partem tegit, ut nota divinitatis; quod ex numis, itemque ex Martiano docet illuſtris Daventrienſium conſul, *GISB. CVPERVS,* in *explicatione Gemmae Auguſtaeae p. 209.* Quamvis autem certum ſit, iſtum ornatum non reſpicere ſacerdotium aliquod, non tamen ab re erit, notaſſe, Antonium fuiſſe Flaminem dialem Caeſaris, de quo ſacerdotio *DIO lib. XLIIII p. 275:* Καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς Ἰούλιον προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν, ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ Διάλιον, προχειρισάμενοι: *Denique Iovis ipſi* (Caeſari) *cognomentum palam impoſuerunt, templumque ei Clementiae dedicari juſſerunt, ſacerdotioque ejus Antonium, quaſi Flaminem dialem aliquem, praefecerunt.* Auguratus etiam honore dignatus eſt, uti ex plurimis numis innotuit, qui exſtant tum alibi, tum in *HVB. GOLZII Iulio Caeſare tab. XXXVI* ſeq.

I Ter-

Tertia gemma Antonium profert sub schemate Osiridis. *Dio lib. L p. 482:* Αὐτὸς μὲν Ὄσιρις καὶ Διόνυσος, ἐκείνη δὲ Σελήνη τε καὶ Ἶσις, λέγοντες εἶναι. *Ipse* (de Antonio et Cleopatra loquitur,) *Osiridem se et Dionysum, ipsa se Lunam ac Isidem, scribebant ac fingebant.* Et Augustus in Oratione ad milites eodem *libro p. 496:* Quis non lugeat Antonium, τὴν δ' ἄνθρωπον ἐκείνην, καθάπερ τινὰ Ἶσιν ἢ Σελήνην προσκυνοῦντα, καὶ τοὺς τε παῖδας αὐτῆς Ἥλιον καὶ Σελήνην ὀνομάζοντα, καὶ τὸ τελευταῖον, καὶ ἑαυτὸν Ὄσιριν καὶ Διόνυσον ἐπικεκληκότα; *mulierem istam pro Iside aut Luna adorare, natis ejus Solis ac Lunae nomina tribuere, denique seipsum Osiridem ac Dionysum appellare.* Conf. *ATHENAEVS Deipnosoph. lib. IIII p. 148. VELLEIVS lib. II c. 82* aliique.

De CRINIBVS FLVXIS *CATVLLVS* in *nuptiis Pelei:*

Saepe vagus Liber Parnasi e vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit.

CORNVA ARIETINA habet, uti Iupiter Ammon, qui non alius quam Aegyptiorum Osiris, quo nomine alii Bacchum venerati sunt. Baccho nimirum cornua arietina sunt addita, ut Iovis filio: ubi obiter illud moneo, soli ea esse addita, eo quod sol in arietis signo ad nos redeat. Graeci Liberum χρυσόκερων nominarunt. *HORATIVS:*

Te vidit insons Cerberus aureo
cornu decorum.

SIDONIVS APOLLINARIS carm. XXII: Caput aurea rumpunt
cornua, et indigenam jaculantur fulminis ignem.

De CORONA RADIATA, qua superbit, vetus poëta:

Sic Apollo, deinde Liber sic videtur ignifer.
Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus.
Ambo de comis calorem, et ambo radios conferunt.
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Solis autem radii duodecim numerantur; uti docet *HIER. ALEANDER* in *Tab. Heliaca;* quamvis et septem tribuat *NONNVS Dionys. lib.* ΛΗ. Ἑπτατόνους ἀκτῖνας ἐπὶ πλοκάμοισιν ἑλίξας.
Vnde *IVLIANVS Orat. V p. 172* vocat ἑπτάκτινα θεόν, quem locum ex *PROCLO* in Timaeum *lib. II p. 11* illustrat Illustr. *SPANHEMIVS;* ibi enim ὁ ἑπτάκτις κατὰ τοὺς θεολόγους itidem dicitur. Conf. quoque *MACROBIVS.* Caeterum solis radios capiti circumposuit Antonius, ut animo se esse magno et sacro declararet.

LOTI FLOS, qualis et apud *SPONIVM* visitur, sed minus commode effictus, vertici insistit, utpote quod ornamentum pleraque Aegyptiorum numina, eorumque imitatione reges et reginae, capitibus gerunt; qua de re accurate, uti solet, egit amplissimus *GISB. CVPERVS in Harpocrate p. 19. 20. 21.* Locus *PLVTARCHI* de *Iside,*

quem

quem etiam *TH. GALE* in *Not. ad* Iamblichum *de Mysteriis p. 288* profert, dignus est, qui et hic legatur, quum exinde noscamus, quare Antonius, Bacchi habitum affectans, hoc flore sit insignitus: Οὐδὲ τὸν ἥλιον, scribit, ἐκ λωτοῦ νομίζουσι βρέφος ἀνισχεῖν νεογιλὸν, ἀλλ' οὕτως ἀνατολὴν ἡλίου γράφουσι, τὴν ἐξ ὑγρῶν ἡλίου γινομένην ἄναψιν αἰνιττόμενοι. *Neque putant solem infantem recens natum e loto exiisse; sed sic ortum solis pingunt, innuentes, quomodo is ex humidis accendatur.* Plura hanc gemmam illustrantia congessit diligentissimus *CHRISTOPH. ARNOLDUS* ad Sandrartii *Vol. II Part. 3 p. 49. 50. 51.*

CVIII. C. SULPITIUS SER. F. SER. N. GALBA.

Galbae imperatoris pater, consulatu functus A. V. $\frac{774}{5}$ brevi corpore atque etiam gibber; de quo dictum M. Lollii: *Ingenium Galbae male habitare. MACROBIUS lib. II Saturn. c. 6.* Hic recalvaster est, occipite εἰκαίοις κόμης σκύλμασι, *temere discerptis comis,* horrido.

CVIIII. ROMA.

Parva fuit, si prima velis elementa referre.

At deinde ut heroina, et *terrarum dea gentiumque, cui par est nihil et nihil secundum,* culta non a Romanis solum, sed et aliarum civitatum incolis, eique templa dedicata. Monumenta antiqua utplurimum cum lorica, et seta equina in casside exhibent, ut Minervam seu Palladem referat; uti videre est apud *PATINUM* in *Numism. Imp. Rom. p. 2. 3. 4,* ex numis a Constantino M. cusis. Litera R. in pectore, a recentiori manu esse gemmam nostram, indicium facit. Interdum dextram mammam exserit nudam, uti describitur a *CORIPPO lib. I de laudibus Iustini:*

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
exserto et nudam gestantem pectore mammam,
altricem imperii, libertatisque parentem.

Atque ita eam *MICH. ANGELUS CAUSEUS* inter *Deorum Simulacra Tab. I* exhibet. *LUCANUS lib. I* canos crines tribuit:

Turrigero canos effundens vertice crines.

SIDONIUS APOLLINARIS carm. VII v. 45:

Pendent crines de vertice tecti
pulvere, non galea.


In Romae laudibus canendis veteres fere nimii sunt. *DIONYSIUS,* cujus unicum elogium ex περιηγήσει *v. 355,* adscribo, vocat

Ῥώμην τιμήεσσαν, - - μέγαν οἶκον ἀνάκτων
μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.

Romam honorabilem, - - magnam domum regum,
matrem omnium urbium, opulentam ſedem.

Cur feminino cultu eam venerarentur Romani, gens Mavortia, cauſſam expromere videtur *DIONYSIVS* Halicarnaſſ. *lib. I p. 58:* Καλλίας δ᾽ ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγράψας, Ῥώμην τινὰ Τρωάδα τῶν ἀφικνουμένων ἅμα τοῖς ἄλλοις Τρωσὶν εἰς Ἰταλίαν, γήμασθαι Λατίνῳ τῷ ϐασιλεῖ τῶν Ἀϐοριγίνων, καὶ γεννῆσαι δύο παῖδας, Ῥῶμον καὶ Ῥωμύλον· οἰκίσαντες δὲ πόλιν, ἀπὸ τῆς μητρὸς αὐτῶν θέσθαι τοὔνομα. *Callias vero, qui Agathoclis res geſtas deſcripſit,* (refert,) *Romam quandam Trojanam feminam, quae inter caeteros Trojanos in Italiam delata eſt, nupſiſſe Latino, regi Aboriginum, eique genuiſſe duos filios, Remum et Romulum: qui urbi a ſe conditae, matris nomen impoſuerunt.* Alii tamen apud eundem urbem ab Aenea aedificatam, eique a Roma, Ilienſi quadam femina, nomen inditum filii eſſe ſcribunt. Et Agathocles Siculus, Cyzicenarum rerum auctor memoriae prodidit, Romam Aſcanii filiam, Aeneae neptem fuiſſe, omniumque primam conſecraſſe in Palatio Fidei templum, in quo monte poſtea urbs Roma fuerit condita, et ab eadem nomen ſortita. *AVGVSTINVS de Civ. Dei lib. I c. 4* hanc in rem pluribus conſuli poterit. Add. Cl. *VAILLANT Famil. T. I p. 314. ANDR. CIRINVS de Vrbe Roma.* Vnde *LYCOPHRONI* lux, qui Aeneam in *Caſſandra v. 1234* vocat ἔξοχον Ῥώμης γένος, *maximum Romae genus.*

CAPVT


Sarda. 110
Sarda alba. 111
Achates niger. 112
Sarda. 113
Sardà. 114
Sarda. 115
Sarda. 116
Sarda 117
Sarda. 118
Achates. 119
Sarda. 120
Sarda. 121
Sarda. 122
Sarda. 123
Sarda. 124
Sarda. 125
Sarda. 126
Chalcedonius. 127
Sarda. 128
Sarda. 129
Sarda. 130
Sarda. 131
Sarda. 132
Sarda. 133
Achates. 134
Sarda alba. 135
Sarda. 136
Sarda. 137
Sarda. 138
Sarda. 139

CAPVT IIII
CAPITA IMPERATORVM ET AVGVSTARVM.

CX. CXI. CXII. C. IVLIVS CAESAR.

Heroi incomparabili non ſatis videbatur, generis originem ad deos, mundi rectores, et ad regiam Marciorum ſtirpem referre, niſi et ipſe imperii his in terris particeps fieret. Haec nempe magnorum ingeniorum vitia ſunt, ut imperii cupidine acti ipſum quoque jus violent. Illa vero Iulius inſigni clementia temperavit, adeo ut hunc ſolum ex bello fructum ſe habere diceret, quod multos ſervaſſet. *VELLEIVS Hiſt. Rom. lib. II c. 41 forma omnium civium excellentiſſimum* fuiſſe pronunciat; *capitis* tamen *deſtituti et emendicatis capillis adſperſi deformitatem* graviter eum tuliſſe, novimus. *SENECA Quod in ſapient. non cad. injuria c. 18.* Hinc Silenus Caeſarem ſibi capite perſimilem jocatur apud *IVLIANVM in Caeſaribus p. 308. 309. SVETONIVS c. 45* eum fuiſſe ſcribit *excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paullo pleniore, nigris vegetisque oculis.* Quae verba quum recitaſſet *IAC. OISELIVS,* ſubjicit: In omnibus tamen numis imago ejus exhibetur filo oris paullo tenuiore et oblongo collo, adeoque macilenta potius, quam ſucculenta. Cuncta vultus lineamenta exacte omnino perquiſivit *ANDREAS ARGOLI* diſcipulus, qui *SPONIO* ita reſcripſit: Excelſa Iulii Caeſaris ſtatura, color candidus et oculi vegeti perſuadent, eum bile pauco phlegmate temperata abundaſſe. Naſus paullo major, idemque, ubi fronti propior, nonnihil elatus, naribus verſus ſuperiora reductis, et orbiculo vel pirula illis imminente, ad aquilini ſimilitudinem proxime accedit, et deſignat fortem gloriaeque et imperii cupidum. Oculi nigri vegetique, frontis medium depreſſius, itemque naſus aduncus, hominem magni conſilii et conſtantis in actionibus arguunt. Caput bene conformatum eminentiis anteriore et poſteriore, collum longius capiti medio junctum, oculi vegeti, frons macilenta et paullum depreſſa, ſtudiis et eloquentiae comparandae idoneum declarant. Suetonius quidem *os paullo plenius* ei fuiſſe ſcribit: at potuit vel aetate vel continuis laboribus bellicis macreſcere; niſi dicere malimus, Suetonii mentem eſſe, Iulium facie fuiſſe decorum media inter longam et rotundam, interque grandem et parvam, ſeu carnoſa magis quam pingui. Sincipitis calvities demonſtrat amoribus deditum, quo militum jocus, per Gallicum triumphum jactatus: *Vrbani, ſervate uxores, moechum calvum adducimus,* ſpectat. Clementiae denique, quam laudando extollunt veteres, nulla in facie nota eſt, ut non tam natura quam ſtudio benignus fuiſſe videatur, quo videlicet populi Ro-

mani gratiam demereretur, ut Curio ait. Haec Andreas apud *SPONIVM* in libro, qui Gallica lingua ſcriptus proſtat hoc titulo: *Recherches Curieuſes d' Antiquité, diſſert. XXIIII p. 362. 363.* Annum agens LVII occiſus eſt, uti docet *NIC. GRVCCHIVS.*

Calvitiem LAVREA texit. *SVETONIVS in vita c. 45: Deficientem capillum revocare a vertice aſſueverat; et ex omnibus decretis ſibi a ſenatu populoque honoribus, non aliud aut recipit aut uſurpavit libentius, quam jus laureae perpetuo geſtandae.*

De STELLA vertici appoſita *Idem c. 88: Ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque eſt, animam eſſe Caeſaris in caelum recepti; et hac de cauſſa ſimulachro ejus in vertice additur ſtella;* videlicet ad exemplum ſimulachri, quod Auguſtus ipſi conſecravit in foro, uti eſt apud *PLINIVM Hiſt. Nat. lib. II c. 25,* vel in Veneris genitricis aede. *DIO lib. XLV p. 309. SILIVS ITALICVS lib. XIII, v. 863:*

Ille deûm gens
ſtelligerum attollens apicem Trojanus Iulo
Caeſar avo.

ALBOGALERVS Flaminum, LITVVS et VELVM Augurum pariter atque Pontificum inſignia, in una gemmarum addita ſunt. De Flaminis ſacerdotio *VELLEIVS lib. II c. 43: Caeſar in Cottae Conſularis locum paene puer a Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullae, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amiſit id ſacerdotium.* Pontifex factus eſt in locum Metelli Pii, M. Cicerone et Antonio Coss. *DIO lib. XXXVII p. 52* et *SVETONIVS c. 13: Depoſita provinciae ſpe, Pontificatum maximum petiit, non ſine profuſiſſima largitione. In qua reputans magnitudinem aeris alieni, cum mane ad comitia deſcenderet, praedixiſſe matri oſculanti fertur, domum ſe niſi Pontificem non reverſurum. Atque ita potentiſſimos duos competitores, multumque et aetate et dignitate antecedentes, ſuperavit; ut plura ipſe in eorum tribubus ſuffragia, quam uterque in omnibus tulerit.* Qua arte in eo adipiſcendo uſus ſit, clarius edocet *IO. ANDR. BOSIVS* de *Pontif. Max. Imperatorum Rom. c. 1 n. 3. 4.*

ALBOGALERVS quis fuerit, diſtincte evolvit *IOS. SCALIGER* in *Caſtigationibus* in Feſtum, voce *Albogalerus,* et in *Conjectaneis* ad Varronis *lib. VI de L. L. p. m. 124. 125,* quem locum integrum adſcripſiſſe et legiſſe non poenitebit: Quis neſcit pilea ſacerdotum apices vocari? Dionyſius lib. II: Καὶ τοὺς καλουμένους ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδὲς, οὓς Ἕλληνες καλοῦσι κυρβασίας. Eſt autem a parte totum. Nam *apex* proprie erat inſigne, id eſt, faſtigium, quale hodie in pileis honorariis doctorum, quos vocant. Nam totus pileus, vel potius velamenta,

flam-

flammeum dicebatur. Vnde *Flamines* dicti. Idem Dionyſius: οὓς ἀπὸ τῆς φορήσεως πίλων τε καὶ στεμμάτων (ἃ καὶ νῦν ἔτι φοροῦσι, φλάμεα καλοῦντες) οὕτω προσαγορεύουσι. Porro deſinebat in conum, unde *apex* dictus. Summum autem faſtigium vocabant *tutulum*. Addebatur virgula ex felice arbore, quae in Flaminibus dicebatur *ſtroppus*, in Flaminicis *inarculum*. Totus apex filo laneo velabatur: dicebatur *apiculum*. Ab hoc putat quaſi filamines dictos Varro. Infra mentum pertinebant amenta, quae pileum retinebant: eae dicuntur *offendices*, quod ſe mutuo offenderent, et convenirent. Solius tamen Flaminis Dialis pileum dicebatur *albogalerus*; fiebat enim ex hoſtia alba, Iovi caeſa, quae dicebatur *idulis*; de qua *Ovidivs*:

Idibus alba Iovi grandior agna cadit.

Haec *Scaliger*. Conf. *Iac. Gvtherivs* de *Vet. Iur. Pontif. lib. I c. 29*, *Constant. Landvs Sel. Num. p. 26.*

CXIII. MARCIA.

Aviae ſuae memoriam ſervavit ipſe C. Caeſar in oratione, qua Iuliam amitam Quaeſtor laudavit pro roſtris. Verba illius refert *Svetonivs cap. 6: Nam ab Anco Marcio ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit* (Iuliae) *mater*. Haec enim patrem habuit Q. Marcium Regem, qui collapſos aquarum Appiae, Anienis, Tepulae, ductus refecit, et Marciam, quae via Valeria concipitur, e fontibus Fucini lacus, novam a nomine ſuo appellatam, cuniculis per montes actis, intra Praeturae ſuae tempus, in Capitolium adduxit. *Plinivs lib. XXXVI c. 15. Frontinvs lib. I de Aquaeduct. Rom.* non intra unius anni ſpatium perductam, ſed de ea perducenda ab A. V. C. 608 usque ad A. 612 fuiſſe diſceptatum refert, et utroque tempore viciſſe gratiam Q. Marcii Regis, quem ille corrupte Marcum Titium nominat. Conf. *Barthol. Marlianvs Topogr. Rom. lib. V c. 15.*

CXIIII. AVRELIA.

Iulii Caeſaris mater, ex Cottis fuit, ſed utroque parente nobis ignoto. Nupſit ea L. Caeſari, praeturae ac conſulatus dignitate ampliſſimo. Marito Piſis, dum calciaretur, mortuo, ipſa filii Caeſaris educationi praefuit, *Tacitvs de Orator. c. 28*, femina praeclara pudicitiae laude. Obiit eo temporis ſpatio, quo bellum Caeſar gerebat in Gallos, uti teſtatur *Tranqvillvs c. 26.*

Capitibus tum Aureliae, tum Marciae, impoſita eſt palla vel amiculum, tanquam velum, quod totum poſtea corpus ambiebat, ita ut, quae modeſtiores erant feminae, illo ipſo brachia etiam ad pugnum usque contegerent. *Bern. Montfavcon* regii Antiquitatum operis *T. III lib. I c. 11 n. 4.* Imo *cucullum* induuntur, affixum,

ut

ut videtur, tunicae interiori; quam optime quis cum VOPISCO *palliolatam*, explicante Salmasio, vel *cucullatam* vocare possit; cujusmodi habitum in numo notavit illustris GISBERTVS CVPERVS in *Apotheosi Homeri p. 141. 142,* quem, cui haec talia exactius nosse curae est, legendum suadeo.

CXV. IVLIA.

Soror L. Caesaris, Caji amita, C. Mario seniori VII consuli collocata, Marium juniorem peperit. *PLVTARCHVS.* Defunctam Iulius Caesar Quaestor pro rostris laudavit: *Amitae meae, Iuliae, maternum genus a regibus ortum; paternum cum diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: a Venere Iulii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent; et ceremonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. SVETONIVS cap. 6.* Hujus corpus in campo Martio in familiae Iuliorum tumulo fuit depositum.

CXVI. CORNELIA.

Cinnae IIII Cos. Anniaeque filia, quam C. I. Caesar uxorem duxit, dimissa Cossutia, quae familia equestri, sed admodum dives, praetextato desponsata fuerat. Corneliam enixe amavit, nec spe, nec metu a Sulla dictatore compelli potuit, ut eam repudiaret; sed maluit dignitatibus et bonis, quae dotis et hereditatis nomine ad eum pertinebant, excidere, quam Corneliae nuptias dissolvere. Fatis concessit, marito Quaestore, postquam unius filiae Iuliae parentem fecerat, ab eo pro rostris laudata. *PLVTARCHVS, VELLEIVS lib. II c. 41. SVETONIVS* in *Caesare c. 1.*

CXVII. POMPEIA.

Q. Pompeji Rufi filia (vid. dicta *cap. III n. 96.*) L. Sullae neptis, Caesari nupsit, quum is paulo ante ex Praetura Iberiae missionem petiisset; a qua deinde se iterum sejunxit, ob suspicionem adulterii cum P. Clodio, qui in sacris Bonae Deae cultu muliebri ad eam penetraverat. Ipse quidem Caesar in caussa Clodii, pollutarum ceremoniarum rei, testis citatus, negavit se quidquam comperisse: quamvis et mater Aurelia, et soror Iulia, apud eosdem judices omnia ex fide retulissent: ei tamen nuntium remisit, cum is diceret, judicare suos tam suspicione, quam crimine, carere oportere. *SVETONIVS in Caesare cap. 6 et 74. PLVTARCHVS in Caesare. CICERO* ad *Att. lib. I epist. 13.* Eam postmodum P. Vatinio in manus convenisse, conjectura est.

CXVIII.

CXVIII. CALPVRNIA.

L. Calpurnii Pisonis filia, Caesari primum consuli data est uxor quarta; quae et mariti funus curavit. Ea tunc insomniis perterrefacta, de quibus est apud *DIONEM lib. XLIIII p. 281*, *SVETONIVM in Caesare c. 81*, et *PLVTARCHVM p. 737. 738*, Caesarem oravit, ut monito audiens aruspicibus, idus martias devitaret, eaque die domi subsisteret, *VELLEIVS lib. II c. 57.* Cognita mariti morte, se suasque fortunas M. Antonio tum consuli commisit, sicque simultatum, quae postea inter ipsum et Octavianum exercebantur, occasionem praebuit. *APPIANVS lib. III de Bell. Civ. PLVTARCHVS in Antonio p. 922.*

Margaritarum gemmarumque decor, collum circumdans, inter feminarum ornamenta est, quae jam Caesaris aetate magni fiebant. Hinc *MARO Aen. lib. I v. 658*, inter munera, quae Aeneas Dido reginae Tyriae obtulit, refert *colloque monile baccatum.* Iulius autem margaritarum usum, qui circa Sullana tempora primum coepit, quum statim promiscuus esset factus, ademit iis, quae nec viros nec liberos haberent, et minores essent annis quinquaginta quinque. *EVSEBIVS in Chron.* et *SVETONIVS in vita cap. 43*, qui et *cap. 50* memoriae prodidit, Caesarem Serviliae margaritam sexagies HS mercatum esse. Margaritae saepius smaragdis distinguebantur, de quibus intelligendus est *IVVENALIS Sat. VI v. 458*:

Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum
auribus extentis magnos commisit elenchos.

Quae ibi interpretes de viriolis habent, ea nihil ad rem; viriolae enim ornamenta sunt manuum, περιχείρια, ut explicant glossae; non colli. *SVETONIVS* in *Galba c. 18: Monile margaritis gemmisque consertum, ad ornandum Fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreverat.* *CLAVDIANVS VI consulatu Honorii:*

Et colla monili
Circuit, et baccis onerat candentibus aures.

l. ult. §. *2* Π *de auro, arg. mund.* memorat *lineas duas ex margaritis, et viriolas ex smaragdis.* Linea autem margaritarum illud ornamentum est, quod mulieres inserunt collo, ex margaritis contextum. Graeci τραχηλικὸν κόσμον interpretantur. Vid. *CVIACIVS lib. VIII observ. 2.* Plura de margaritis et monili veterum loca collegit diligentissimus *ANDR. TIRAQVELLVS de Legib. Connub. in leg. 3 gloss. 1 part. 3.* ubi ornamentorum muliebrium indicem satis copiosum inseruit: add. *IO. SCHEFFERVS* de *Antiq. Torquib. n. 10. p. 47* sq.

CXVIIII. IVLIA.

Iulii Caesaris filia ex Cornelia, nata Cn. Papirio Carbone III, et C. Mario C. F. C. N. Gratiliano Coss. quum parens aetatis annum

XVIII nondum excessisset. Desponsata fuit Servilio Caepioni; mox a patre, qui tum primum consul erat, collocabatur annos nata circiter XXIIII Cn. Pompejo, e quo cum esset gravida, et cruentam mariti togam forte vidisset, consternata concidit, partuque immature ejecto periit. *VALERIVS lib. IIII c. 6*; quanquam non desunt, qui eam gravidam denuo puellam peperisse dicant. Superstes autem Iuliae dicitur seu filius seu filia, gravissimis auctoribus, *PLVTARCHO in Caesare p. 719. VELLEIO lib. II c. 47. SVETONIO, SENECAE Consol. ad Polybium c. 34*, qui et in *Consol. ad Marc. c. 14* scribit, brevem fuisse patris in Britannia tunc degentis luctum, ut qui intra tertium diem imperatoria obierit munia, et tam cito dolorem vicerit, quam omnia solebat. Ejus exsequias maritus, jussu populi, in campo Martio celebravit, contra majorum instituta, *DIO lib. XXXVIIII fin. FLORVS* in *Epit.* Livii *lib. CVI.* Post necem patris, Augusto urbem ingrediente, monumentum Iuliae fulmine ictum est; *SVETONIVS in August. c. 95.* Apud *GEORG. FABRICIVM Antiquitatum lib. II n. 7 p. m. 73*, tale exstat:

Iulia, quae fueras longa dignissima vita,
occidis e nostro rapta puella sinu.
Sed comes aethereae nunc degis juncta coronae,
nunc Helicen propius cernis et Andromeden.
Me cruciat, conjunx, miserum, me absumit amantem
saevus amor, nullis ignibus inferior.
Namque ego seu rebus fueram districtus agendis,
seu dederam vacuo languida membra thoro:
Tu mihi semper ades, tua praesens semper imago est,
quae misero moveat flebile cordolium.
Impia cur teneros, o mors, distinguis amantes,
quos bene conveniens conciliavit amor?

Fuisse matronam verecundam et honestam, discimus ex obscoeno carmine *MARTIALIS lib. XI epigr. 105*:

Dabat Cornelia Graccho,
Iulia Pompejo, Portia, Brute, tibi.

CXX. CXXI. CXXII. CXXIII. C. CAESAR OCTAVIANVS AVGVSTVS.

Iulius in lucem venit, dum laurea fragrat.
Magnus Alexander, nec non Augustus habentur
concepti serpente deo, Phoebumque Iovemque
divisere sibi: namque horum quaesiit unus
Cynifia sub Syrte patrem maculis genitricis:
alter Phoebigenam sese gaudebat haberi,
Poeonii jactans Epidauria signa draconis.

Quae

Quae *SOLLII SIDONII APOLLINARIS* verba *carm. II v. 120*, *DIONIS lib. XLV ab init.* et *SVETONII c. 94 et 80* auctoritate comprobantur. Imperatorum erat optimus, qui ſolus, victoria apud Actium ab Antonio IIIviro reportata, imperium geſſit annos XLIIII, ea moderatione et benignitate, ut fatis functum omnes lugerent. Res ejus domi et foris praeclare geſtas, omnes hiſtoricorum libri collaudant, e quibus *HVB. GOLZIVS* vitam concinnavit in *Caeſare Auguſto, ſive Hiſtoriae Imperatorum Romanorum ex antiquis numiſmatibus reſtitutae libro II*, qui libro I, C. Iulium Caeſarem pari ſedulitate reſtituit.

SEX. AVRELIVS VICTOR in *Epitome cap. 4: Fuit mitis, gratus, civilis animi, lepidi, corpore toto pulcher, ſed oculis magis; quorum aciem clariſſimorum ſiderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam ſolis radiis adſpectui ſuo.* Quod et *IVLIANVS in Caeſaribus* confirmat. At *PLINIVS lib. XI c. 37* equinos Auguſto oculos tribuit: *Oculi divo Auguſto equorum modo glauci fuere, ſupraque hominem albicantis magnitudinis. Quam ob cauſſam diligentius ſpectari eos, iracunde ferebat.* *SPONIVS loc. cit.* de eo haec habet: Statura erat commoda, facie pulchra, obtutu modeſto, naſo prope frontem eminentiore, capillis leviter inflexis; ita ut ſpiritus illius placidus et ingenium mite belle habitarent. Prudens erat et fortis citra jactantiam. Supercilia ſupra naſum coëuntia, ſecundum quosdam, virtutis amorem, et amicitiae conſtantiam, ſecundum alios, literarum amorem prodere videntur, eo quod illa ſint melancholiae indicium. Auguſtus certe cunctis his virtutibus nobilitatus eſt. Dentes minores minusque arcti, quos Suetonius obſervavit, brevioris vitae eum futurum praeſagiebant, ex Hippocratis obſervatione; eo quod maſticatio et digeſtio ciborum impediatur: ſed ſobrietate, incommoda licet valetudine frequenter tentaretur, vitam produxit ad annum LXXVI. Haec ille.

Corona laurea in memoriam revocat praeclaram ejus ſententiam apud eundem *VICTOREM cap. 2: Iactantis eſſe ingenii et leviſſimi dicebat, ardore triumphandi et ob lauream coronam, id eſt, folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos eventus certaminum, ſecuritatem civium praecipitare.*

CXXIIII. A T I A.

Ex Iulia C. Caeſaris ſorore, et M. Atio Balbo, viro Praetorio, qui ab Aricia originem duxit, nata eſt Atia, Auguſti et Octaviae minoris mater, quae poſt mariti C. Octavii mortem L. Marcio Philippo nupſit, atque huic itidem filium L. Philippum edidit. Hujus vitrici ſui cura ac matris, ſanctiſſimae feminae atque optimae, quo eam elogio *TVLLIVS Philipp. III c. 6* ornat, Auguſtus adolevit; un-

de a *TACITO de Orat. c. 28* earum numero laudari videas, quas *praefuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus.* Obiit ſub pugnam Philippenſem, eo anno, quo primum Octavianus conſulatum obtinuit, qui fuit ab V. C. DCCX. publicaque ſepultura fuit honorata. *DIO lib. XLVII p. 384.* Atii Balbi numum in aes incidi curarunt *PATINVS* et *VAILLANT* in familia Atia. Philippi vultum ſupra *c. III n. 101* videre licet.

CXXV. OCTAVIA.

Turbatam duarum, quae hoc nomine fuerunt, ſororum majoris et minoris hiſtoriam breviter expediiſſe non injucundum erit. Quae enim *AENEAS VICVS* in *Auguſtarum Imaginibus,* aliique de illis habent, non ſatis explicita ſunt; uti nec illa, quae recentior quidam Italus, cujus uti diligentiam ex merito collaudo, ita nomini parco, de eadem tradit: *Octavia,* inquiens, *Auguſti ſoror, M. Antonii primum uxor fuit, ipſique genuit Antonias, majorem et minorem; inde M. Marcelli, cui genuit duas filias, et C. Marcellum;* ſana ſunt. Ita autem habendum eſt: C. Octavius duas ſibi uxores junxerat, Anchariam et Atiam. Ex illa ſuſcepit Octaviam majorem; ex hac minorem, et poſt eam Auguſtum. De majore pauca admodum in literas ſunt relata: Octaviam minorem, ſororis ſuae neptem, C. Iulius Caeſar, major avunculus, Pompejo detulit, quum C. Marcello nupta eſſet. *SVETONIVS in Caeſare c. 27.* Quum a morte Iulii Octavius cum exercitu ad urbem accederet, ut, refragrante licet ſenatu, conſul crearetur, Octavia cum matre diu palam et clam quaeſita, apud Veſtales latuit, fratremque poſtea in aede Veſtae ſalutavit. *APPIANVS de Bell. Civ. lib. III p. 584. 585.* Poſt mariti obitum, tempore luctus, quod decem menſium erat, nondum exacto, M. Antonio deſponſabatur a fratre, poſtulantibus pacis inter utrumque auctoribus. Idem *lib. V p. 709.* Vnde patet, falli, et fallere *PLVTARCHVM* in Antonio *p. 929,* qui Octaviam majorem, Caeſaris ſororem ex Ancharia uterinam Marcello Antonioque nuptam fuiſſe tradit. Neque etiam illius avunculus major erat Iulius, ſed minoris. Et quum ne ſic quidem pax inter utrumque ſatis firma coaluiſſet, quin novae ſubinde diſſenſiones pullularent; ipſa tamen nutantem fratris atque mariti concordiam aliquandiu ſuſtinuit. Antonius A. V. DCCXVII ad bellum Parthicum proficiſcens, eam a Corcyra in Italiam remiſit; deinde quum ad ipſum cum muneribus proficiſceretur, denuo regredi et Athenis ſubſiſtere juſſit. Redux Athenis facta, in domo Antonii manſit, liberorum tum ex ſe tum ex Fulvia editorum curam egit, et Antonii amicis, qui Romam mittebantur, praeſto fuit, donec ille, Cleopatrae illecebris inſaniens, paulo poſt domo ſua pelleret, licet haec neque aeta-

aetatis flore, neque forma Octaviae esset anteponenda. *Plutarchus in Antonio*, qui eam χρῆμα θαυμαστὸν γυναικὸς, *rari mulierem exempli*, ἐπὶ κάλλει τοσούτῳ σεμνότητα καὶ νοῦν ἔχουσαν, *quae excellentiae formae gravitatem et prudentiam habuerit adjunctam*, praedicat. Ex priori marito edidit M. et C. Marcellos, duasque Marcellas; ex posteriori concepit duas Antonias, majorem et minorem. Dimissam frater summo in honore habuit, duas magnificas ejus nomine porticus consecravit, et templa porticibus inclusa forumque Octaviae dictum, *Plinius lib. XXXVI cap. 5*, statuas dedit complures in scholis, itemque ut sine tutore suis facultatibus uteretur, et sacrosancta esset. *Dio lib. XLVIIII p. 473.* Haec ex manubiis Dalmatarum fornices et bibliothecas, Octavianas dictas exstruxit: Idem *p. 477.* Ipsa quoque Virgilium, Vitruvium aliosque viros doctos coluit; illi ingens praemium concessit, recitata Marcelli laude *Aen. VI v. 860*, huic fratris favorem conciliavit. Suis denique sumtibus in Marcelli honorem bibliothecam condidit. Vita defunctam A. V. C. DCCXLIIII Augustus in sacrario Iulio publice exposuit, et laudatione funebri laudavit, non primum consul, uti Vicus habet, sed quinquagesimum et quartum aetatis annum agens; funus ejus generi extulerunt. *Svetonius in Augusto cap. 61. Dio lib. LIIII p. 625.* Hujus vultum in numo videmus aereo, habente ab una parte tria capita, quorum duo juncta seu jugata, sunt virilia, Antonii et Augusti, tertium muliebre ipsis adversum, quod Octaviae esse, non infeliciter divinare videtur *P. Seguinus* in *Selectis Num. c. IIII p. 95*, cum qua nostram hanc gemmam componere licebit.

CXXVI. CLAVDIA.

P. Clodii, vitiosissimi viri, et Fulviae, obscoenae libidinosaeque mulieris filia, M. Antonii privigna, post primam Antonii Octaviique discordiam, huic ab illo, ut esset concordiae pignus, vixdum nubilis nuptui data est. Exorta vero cum socru ob impudentiam, quam *Martialis lib. XI epigr. 21* taxat, simultate, Octavius eam dimisit intactam adhuc et virginem. *Svetonius in Augusto c. 62.*

CXXVII. SCRIBONIA.

L. Libonis Scribonii, viri consularis soror, quam duobus antea consularibus, ex quorum uno filium pepererat, junctam, Augustus, quamvis aliquot virginum ei offerretur conditio, Maecenate parario sibi petiit, quo inter ipsum et Sex. Pompejum, cujus Libo socer erat, pax conveniret. *Appianus de Bell. Civ. lib. V.* Huic, qua die ex ea Iuliam suscepit, repudium misit, sive ob morum perversitatem, ut ajebat, sive quod Liviam jam plus amaret, sive quod Li-

bonis opera non amplius indigeret. Conf. *Io. HENR. MEIBOMII Maecenas cap. 9.* SENECA certe *epist. 70 feminam gravem* appellat. Poſtmodum ſua ſponte in exilium abiit cum filia, ab Auguſto relegata.

CXXVIII. CXXVIIII. LIVIA DRVSILLA.

Livii Druſi Calidiani filia, connubio ſociata eſt Tiberio Claudio Neroni, ob bellum Peruſinum exulanti. CONSTANTINVS MANASSES in *Synopſ. Hiſt. p. 70:*

Γυνή τις ἐπαφρόδιτος συνέζευκτο γαμέτῃ,
Νέρων ἐκείνης ἦν ἀνὴρ, ἐκείνη δ' Ἰουλία.

Poſtea vero quam ex Sicilia, quo ſe cum marito et Tiberio nuper nato clam fugiens ad Pompejum contulerat, Romam rediit, Auguſtus eam iterum gravidam a Nerone poſtulavit, ſuisque penatibus induxit, ubi intra tres menſes Claudium Druſum peperit. Nullam poſthac progeniem edidit, femina inſigni prudentia, animo maximo, eximie pudica, ſobria, ſanctitate domus priſcum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum; uxor facilis, omnia mariti mandata alacriter obiens; ſed gravis et impotens in remp. mater, gravior domui Caeſarum noverca. Auguſtus teſtamento eam adoptaſſe quibusdam creditur, novo exemplo, ut eadem eſſet filia mariti ſui; indeque *Iuliae* et *Auguſtae* nomina aſſumſiſſe. Exſtat elegans, ſed ſubleſtae fidei numus apud FRANC. MEDIOBARBVM BIRAGVM *p. 53*, in quo capiti adſcriptum: IVLIA. AVGVSTA. AVG. F. GENETRIX. ORBIS. P. Ioberto vapulat hiſtoricus, qui Liviam in Iuliorum familiam tranſiiſſe aſſerit; is vero ope numorum eviciſſe credit, Liviam Iuliae nomen nunquam uſurpaſſe, eo quod probabile ſit, in numis, qui conſecrationem ejus celebrant, Iuliae potius quam Liviae nomine inſignitam fuiſſe. At DIVA LIVIA et ΘΕΑ ΛΙΒΙΑ illi habent. Poſtquam illius artibus adeptus fuiſſet imperium Tiberius, faſtu plena imperii ſe negotiis immiſcuit, tandemque annos nata LXXXVI fatis functa eſt. Ejus adhuc viventis vultum in numis fuiſſe expreſſum, intelligimus ex OVIDII *lib. II ex Ponto epiſt. 8:*

Redditus eſt nobis Caeſar cum Caeſare nuper,
quos mihi miſiſti, maxime Cotta, deos.
Vtque tuum munus numerum, quem debet, haberet,
eſt ibi Caeſaribus Livia juncta ſuis.

Nimirum vultu Liviae et nomine alicujus deae numiſmata ſunt percuſſa, *Salutis, Pietatis, Iuſtitiae.* Pietatis aut Veſtae habitu Liviam publicavit vir antiquariae rei peritus, MICH. ANG. CAVSEVS DE LA CHAVSSE, et ex eo BERN. MONTFAVCON *Tom. III tab. 24 n. 2.* P. SEGVI-

SEGVINVS V. C. *in Select. Numism. c. 2 p. 53* ejus iconem profert, adſcripto nomine *Dianae*; et *PATINVS*, *Lunae.* Certe ex eodem *NASONE* conſtat, Liviam jam dum pro Iunone habitam:

Cum tibi contigerit vultum Iunonis adire.

Et *PRVDENTIVS lib. I in Symmach. circa fin.*

Adjecere ſacrum, fieret quo Livia Iuno.

TACITVS Annal. lib. IIII c. 16, decretum eſſe refert, *quoties Auguſta theatrum introiſſet, ut ſedes inter Veſtalium conſideret.*

CXXX. CXXXI. CXXXII. IVLIA.

Auguſti filia ex Scribonia, nata A. V. DCCXV, quam carcinoma ſuum appellare ſolitus eſt pater. Eam primum C. Marcello, erat is Auguſti ſororis filius, A. V. 729, dein M. Agrippae, denique Tiberio collocavit; poſtmodum vero ob morum inſolentiam, levitatem, ſuperbiam, luxuriam, laſciviam et adulteria frequentia A. V. 748 in inſulam Pandatariam relegavit, et A. 752, quum annum ageret aetatis XXXVIII, opido Rheginorum clauſit, ubi a Tiberio marito inopia ac tabe longa poſt viginti fere annos peremta eſt, *femina neque ſibi, neque reipublicae felicis uteri, VELLEIVS lib. II c. 93,* quae tres filios, Cajum, Lucium et Agrippam, duasque filias, Iuliam et Agrippinam enixa, *per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter poſſet femina, luxuria, libidine infectum reliquit: magnitudinemque fortunae ſuae peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet, pro licito vindicans.* Idem *c. 100.* Conf. *DIO lib. LIII, LIIII, LV. TACITVS Ann. lib. I c. 53* et *lib. III c. 24. SVETONIVS* in *Aug. c. 36* et *65. SENECA de Benef. lib. VI c. 32. MACROBIVS lib. II c. 5.*

Ornatum capitis margaritis gemmisque diſtinctum habet,

perque caput ducti lapides,

ut *MANILIVS* loquitur. Vertici quoque margaritarum linea in modum orbiculi, diadematis vel coronae, impoſita eſt. Coronam, quam *στεφάνην* vocant Graeci, in mundo muliebri ponit *POLLVX lib. V ſect. 95* ex *HOMERI Iliad.* Σ *v. 597:*

Τῶν δ' αἱ μὲν πλεκτὰς στεφάνας ἔχον, οἱ δὲ μαχαίρας,
Horum hae flexas coronas, hi vero enſes habebant.

Eruditiſſimus *IO. GEORG. GRAEVIVS,* qui Homeri illum verſum tangit in *Lection. Heſiodeis cap. 25,* στεφάνην docet fuiſſe *limbum ſeu faſciam altiorem, caput ſeu aliud quid ambientem.* Conf. *CAR. PASCHALIVS de Coron. lib. I c. 2.* Alias στεφάνη quoque ſignificat extremum capillorum ambitum, qui alio nomine περίδρομος appellatur, uti ex eodem *POLLVCE lib. II c. 4 ſect. 40* diſco: ἡ δὲ τελευταία τῶν τριχῶν περὶ τὴν κεφαλὴν περίοδος, στεφάνη καὶ περίδρομος ἐπικαλεῖται. Atque illum Iuliae luxum tangere mihi videtur *OVIDIVS:*

Auſe-

Auferimur cultu, gemmisque auroque teguntur
omnia : pars minima est ipsa puella sui.

In altera gemma sub velo ornata est serto floreo. Quam inusitatum autem fuerit Romanis, coronam capiti imponere, exemplis L. Fulvii, et Publii Munatii, qui in carcerem ideo sunt abducti, probat *PLINIVS Hist. Nat. lib. XXI c. 3,* ubi de Iulia subjungit : *Apud nos exemplum licentiae hujus non est aliud, quam filia Divi Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam, literae illius dei gemunt.*

CXXXIII. CXXXIIII. M. VIPSANIVS AGRIPPA.

Homo novus ab ignobili loco, ut *TACITVS,* vel familia equestri ortus, ut *CORN. NEPOS* in *vita Attici cap. 12.* Pomponiae maritus, ad summa quaevis adspiravit favore Augusti, a quo civitati Romanae praefectus, dimissa uxore altera Marcella, sororis Augusti filia, in familiam adsumptus, desponsata ei filia, atque ter consul factus est. *MARTIALIS lib. VIII epigr. 66:*

Gaudenti superest adhuc, quod optet,
felix purpura, tertiusque consul,
Pompejo dederit licet senatus,
et Caesar genero sacros honores,
quorum pacificus ter ampliavit
Ianus nomina.

VELLEIVS lib. II c. 79: M. Agrippa virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique sed uni scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. Conf. *DIO lib. LIIII p. 620. 621.* Sponii quoque observationem repetere non gravabor : Pars faciei inferior prominet paululum ; oculi depressi ; frons nonnihil corrugata : ut adeo vultu severitatem praeferat ; uti et iratos projicere mentum, claudere oculos, et corrugare frontem videmus. Adhaec in facie musculos habet quam plurimos, collum crassum et lacertosum ; quae secundum Aristotelem, indicia sunt virium : eaque et in bobus spectamus.

CORONAM NAVALEM bello Actiaco meruit. *FLORVS* in *Epitome* Livii *lib. CXXVIIII: M. Agrippa navali corona a Caesare donatus est. Qui honos nemini ante eum habitus est.* Ita et *DIO lib. XLVIIII p. 457.* atque *VELLEIVS lib. II c. 81.* Quae verba viris eruditis ansam dedere, de corona Agrippae classica diligentius ut inquirerent, statuerentque diversam eam fuisse, ab illa, quae ante ipsum, pugna navali prospere pugnata, triumphantibus dari consueverit. Conf. *IVST. LIPSIVS de Milit. Rom. lib. V cap. 14. CAR. PASCHALIVS de Coronis lib. VII c. 4. IO. SCHEFFERVS de Militia Navali lib. IIII c. 3. VIRGILIVS lib. VIII Aen. v. 682:*

Parte

Parte alia ventis, et dis Agrippa secundis
arduus, agmen agens: cui belli insigne tropaeum
tempora navali fulgent rostrata corona.

In numis cum hac corona saepissime conspicitur. Videas tamen eum quoque cum laurea, tum apud alios, tum apud *GVIL. DE CHOVL de Relig. Rom. p. 7 et 99.* edit. Gallicae, quae Lugduni prodiit A. 1556.

CXXXV. L. CAESAR.

M. Agrippae ex Iulia filius, C. Furnio et C. Silano Coss. 736/7 natus, ab avo una cum fratre seniore, praepositis nominibus Cajo et Lucio adoptatus, princeps juventutis appellatur, necdum posita praetexta puerili. Avus consulatum XIII eapropter gerens, ipsum et fratrem suo quemque tirocinio in forum deduxit, et Lucium, destinata ei uxore Lepida, misit ad exercitus Hispanienses. Hispaniam cum peteret, Augur et consul designatus, Massiliae exstinctus est, duodeviginti mensibus ante fratris obitum, Anno V. C. 752. Ferociens erat juvenis, qui theatrum aliquando ingressus, Cajo fratri consulatum petiit. Conf. *TACITVS Annal. lib. III c. 23. SVETONIVS in Aug. c. 26. ZONARAS* aliique, et cumprimis Rev. Cardinalis *NORISIVS in Cenotaph. Pis.* Capita in numis signata exstant apud *TRISTANVM, PATINVM, VALENTEM* et reliquos, qui numismata Imperatorum ingenti labore congesta, nec minori eruditione illustrata in lucem emiserunt.

CXXXVI. CXXXVII. TIBERIVS CLAVDIVS NERO.

Patrem habuit cognominem, matrem Liviam Drusillam: Augusti vitrici auspiciis, suoque ductu tria gessit bella, de quibus et ovationem et triumphum egit, cujus praeclarum monumentum exstat achates in Caesarea bibliotheca Vindobonensi, quam *LE ROY* et *NESSELIVS* oculis usurpandam dederunt.

Claudi virtute Neronis
Armenus cecidit,

ait *HORATIVS lib. I epist. 12,* cui *epist. 9 honesta legere* visus est. Post exstinctos Cajum et Lucium, accepta in uxorem Iulia eorum matre, annos natus LVI ab Augusto adoptatus est, eique successit. Virtutum capax, paucas coluit: omnium vitiorum compos; quibus strenue militavit, dissimulator, callidus, superstitiosus, asper, iracundus, ad suspiciones pronus, saevus, superbus, arrogans, libidinosus, intemperans, invidus, sordidus, dicax, ignavus; uti veterum scriptorum testimoniis comprobat *ERASMVS IO. BROCHMAND Ethices Hist. specimine cap. 3 pag. 251 – 330.* Monstrum hoc hominis Miseni obiit anno aet. LXXVIII, imperii XXIII.

SPONIVS in ejus charactere exprimendo multus eſt: Corpore erat amplo, inquit, et robuſto, latus ab humeris et pectore; quae vulgo virium et fortitudinis ſigna habentur. Praegrandes etiam oculi, ſi et reliquae corporis partes reſpondeant, indicia non contemnenda ſunt: ac de illis quidem Suetonius dicit, quod mirum eſſet, noctu etiam et in tenebris vidiſſe, maxime cum primum a ſomno patuiſſent. Inde vero notam ſumunt ingenii maxime vividi et acuti, quod et ad ſtudia et ad bella gerenda ſit aptiſſimum. Idem praeterea dicit, incedere eum ſolitum cervice rigida et obſtipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus et cogitabundus, nullo aut rariſſimo etiam cum proximis ſermone: quae omnia hominis ſunt ſolitarii. Certe tales quoque ſunt oculi noctuae et reliquarum avium nocturnarum. Singula haec tanquam ingrata, arrogantiaeque plena, animadvertit Auguſtus in eo, et excuſare tentavit, quaſi naturae eſſent vitia, non animi. Mentum breve, et projectum, crudelem indicat; uti iratos et poenam expetentes, preſſis labiis et mento elato vindictam minari videmus. Apud *IVLIANVM* in *Caeſaribus* dicitur σεμνὸς τὰ πρόσωπα καὶ βλοσυρὸς, σώφρων τε ἅμα, καὶ πολεμικὸν βλέπων, *gravis vultu, et truculentus adſpectu, neſcio quid prudentiae et militaris virtutis prae ſe ferens.*


De nomine NERONIS obſervatio Occonis et Torrentii notiſſima jam eſt, illud ex duobus Liviae Auguſtae filiis, Tiberio pro cognomine, Druſo pro praenomine datum fuiſſe, uti ex numis ſub hac epigraphe: NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP. ex inſcriptione apud Gruterum *p. LXI n. 1.* et ex Suetonio in Claudio *c. 1.* conſtat.

CXXXVIII. CXXXVIIII. VIPSANIA AGRIPPINA.

M. Agrippae et Marcellae filia, major dicta: idem enim ex Iulia Auguſti Agrippinam minorem genuit. Hanc Pomponii Attici neptem Tiberius adhuc privatus duxit, cumque ea vixit conjunctiſſime, ſuſcepto Druſo minore. Poſt divortium, Auguſti juſſu, cum gravida eſſet, factum non ſine angore Tiberii, maritum accepit Aſinium Gallum, eumque plurium conſularium parentem fecit. *LIPSIVS* ad Taciti *Annal. lib. III c. 75,* quinque ejus filios ex hiſtoricis annotavit. Gallo quidem, eo quod in ſuſpicionem affectati imperii veniſſet apud Tiberium, iſtae nuptiae exitio fuere: Agrippina vero una omnium Agrippae liberorum miti obitu functa eſt. *TACITVS lib. I c. 12 et lib. III c. 19.*

CXXXX. DRVSVS.

Tiberii et Agrippinae filius, paternorum vitiorum heres, Quaeſturam geſſit, ac mortuo Nerone Druſo Germanico, tribunitiam poteſta-


Amethy-stus.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
140
141
142
143
144
145
Sarda.
Sarda.
Sarda
Sarda.
Sarda.
Sarda.
146
147
148
149
150
151
Sarda.
Sarda.
Sarda alba
Achates.
Chalce-donius.
Achates.
152
153
154
155
156
157
Sarda.
Sarda.
Beryllus.
Sarda
Sarda.
Sarda.
158
159
160
161
162
163
Achates.
Chalce-donius.
Sarda.
Onyx.
Chryso-lithus
Sarda alba.
164
165
166
167
168
169

poteſtatem accepit, iterumque conſul factus eſt. Ex Livia ſeu Livilla uxore, Germanici ſorore, gemellos ſuſtulit; deinde ſeu vi morbi propter nimiam intemperantiam, ſeu Sejani artibus, conſcia uxore, veneno conſumptus. A Tacito, Suetonio, Dione et reliquis, deſcribitur rudis dicendi, promptus ad aſperiora, ſanguine gaudens, urbano luxu laſciviens, animo commotior, homo impuriſſimus, et extremae ſaevitiae, temulentus, hiſtrionibus deditus.

CXXXXI. ANTONIA.

Minor M. Antonii et Octaviae filia, Neroni Claudio Druſo nupta, trium liberorum, Germanici Caeſaris, Tiberii Claudii Imperatoris, ac Liviae Druſillae foecunda, mulier optima et abſtemia, vidua apud Liviam ſocrum conſenuit. Poſt hujus obitum a Cajo Caligula nepote cunctis, quos unquam Livia ceperit, Veſtalium quoque honoribus aucta, Auguſta et Sacerdos Auguſti facta, tandem ab eodem ad mortem compulſa eſt, quod eſſet ab ea verbis correptus. *Dio lib. LVII, LVIII et LVIIII, SVETONIVS in Calig. c. 23. VALERIVS lib. IIII c. 3.*

CORONA SPICEA, Cereris habitu eam eſſe cultam indicat. Inter numos Cavini in *CL. MOLIÑETI Muſeo S. Genovevae n. 47 p. 116* capite nudo efficta eſt, atque tali etiam a *MEDIOBARBO p. 60* exhibetur. *TIBVLLVS lib. I Eleg. 1:*

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
ſpicea.

CXXXXII. LIVIA DRVSILLA.

Seu Livilla, Germanici ſoror, quae, ut habet *TACITVS Annal. libr. IIII c. 3,* initio aetatis formae erat indecorae; at, quum adoleviſſet, pulcherrima evaſit. Vxor fuit Caji, quem ex Iulia et Agrippa nepotem Auguſtus adoptaverat, et Druſi minoris, conſobrini ſui, cui duos mares peperit et Iuliam, a Claudio caeſam. Ipſa ſtupris famoſa marito venenum miſcuit, pacta ſibi a Sejano conjugii ſpem et Imperii ſocietatem. Quod ſcelus ſive Tiberius ultus eſt; ſive mater Antonia, a qua tum ſervata, poſtmodum inedia confecta perhibetur. *Dio lib. LVIII. SENECA in Octav. v. 942:*

Felix thalamis
Livia Druſi, natisque, ferum
ruit in facinus, poenamque ſuam.

CXXXXIII. GERMANICVS.

Antoniae minoris et Druſi majoris filius, avo jubente a patruo Tiberio adoptatus de Germanis triumphavit; ob cujus triumphi

invidiam, Liviae aviae dolo, et Cn. Pisonis opera, Antiochiae in Syria ex veneno obiit anno aetatis XXXIIII. De ejus genere, adoptione, quaestura, consulatu, rebus gestis, morte denique, *SVETONIVS in Caligula c.1*, qui *c.3* de moribus ejus habet egregia. *DIO lib. LV*: Κάλλιστος μὲν γὰρ σῶμα, ἄριστος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἔφυ. παιδείᾳ τε ἅμα καὶ ῥώμῃ διέπρεπε· πρᾳότατός τε καὶ σωφρονέστατος ἦν. *Fuit et corporis forma et animi bonis, institutioneque juxta et robore, clementia et modestia praestantissimus. TACITVS Ann. lib. I c.33: Iuveni civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris.* Ejus et Agrippinae icones ex aere rarissimo exhibuit *CL. MOLINETVS l. cit. p. 76 n. 3.*

CXXXXIIII. CXXXXV. AGRIPPINA.

Minor Agrippae filia ex Iulia, Augusti neptis, conjux Germanici Caesaris, novem liberorum mater, e quibus funus ei apparavere C. Caligula, Agrippina, Drusilla et Livilla. Maritum in Germaniam et Orientem secuta, ducis subinde munia induit. Eo mortuo, Liviae ambitione et Sejani insidiis in invidiam adducta est Tiberio, qui, quum populo gratam intelligeret, in Pandatariam insulam relegavit, ubi ex inedia obiit. Honestissimae famae, animi casti, et virilis, magni in maritum amoris et admirabilis facundiae fuit, magnanima, audax, virilibusque cogitationibus plena, femineis vitiis spoliata, dominandi tamen cupida, fortunae suae impatiens, et paulo commotior. *TACITVS. DIO. SENECA in Octavia v. 933:*

Tu mihi primum
tot natorum memoranda parens,
nata Agrippae, nurus Augusti,
Caesaris uxor, cujus nomen
clarum toto fulsit in orbe;
utero toties enixa gravi
pignora pacis: mox exilium,
verbera, saevas passa catenas,
funera, luctus, tandem letum,
cruciata diu.

Intueri licet faciem ejus in numis tum apud alios passim, tum apud *CL. MOLINETVM l. cit. p. 76 n. 3* et *p. 82 n. 3.* inter Paduanos *p. 92 n. 8*, et inter numismata maximi moduli *ex Cimeliarchio Ludovici XIIII tab. 3.* Capillorum plexus, quem hic vides, nonnihil discrepat ab ornatu capitis in numis conspicuo; sed ita tamen, ut ubique videas comam negligenti contorsione pendulam. Non gemmae, non margaritae innexae sunt, (*BEGERI* verba recito ex *Thes. Brand. Vol. I p. 122*,) non ἄμπυξ aut κεκρύφαλον, *reticulum* aut *capitale*:

le: non frontale, non inaures, aliudve vel minimum capitis ornamentum visuntur: quibus vitam ejus castrensem, castitatem item atque candorem, praefigurari credibile est.

CXXXXVI. DRVSILLA.

A fratre Cajo, adhuc praetextato, in domo Antoniae aviae cognitam Tiberius avunculus L. Cassio Longino, Consuli et ICto, collocat, cui frater princeps creatus eam iterum abducit; apud quem in tanto erat honore, ut non modo virginum Vestalium dignitates tribueret, et una cum reliquis sororibus secum in quadriga equorum candidissimorum vehi pateretur; sed et mortuam vehementer lugeret, eidemque divinos honores decerneret, quum Livius Geminius in caelum ire visam juraret. *Tacitus Ann. lib. VI c. 15. Svetonius in Calig. cap. 24. Seneca in Consol. ad Polybium c. 36.* et *in Apocol. cap. 1.* Honores ei habitos late recenset *Dio lib. LVIIII p. 744,* qui et M. Lepidum illi maritum fuisse, scriptum reliquit.

CXXXXVII. LIVILLA.

Quae et Livia et Iulia audit, in Lesbo insula nata, novissimus Agrippinae partus, M. Vinicio Quartino conjungitur. Sed et hanc Cajus frater sibi concubinam habere maluit; quam dein pertaesus cinaedis supponit, adulterii factaeque conjurationis condemnat, et in Pontias insulas relegat. Claudius quidem eam posthaec restituit; sed quum Messalinae odium incurrisset, tum ob formam, qua praestabat, tum ob familiarem cum Claudio consuetudinem, denuo in exilium missa caeditur. *Dio lib. LVIIII p. 770.*

CXXXXVIII. C. CALIGVLA.

Optimorum parentum, Germanici et Agrippinae, degener filius, patrem puer septennis amisit, atque in matris, dein Liviae proaviae, quam defunctam praetextatus pro rostris laudavit, Antoniae denique aviae contubernio adolevit. Hinc a Tiberio Capreas vocatus, Augur itemque Pontifex destinatus et adoptatus, illius favorem sceleribus promeruit, saevitia, libidine, rapinis, impietate. Post Tiberium III annis, X fere mensibus imperavit, tandemque tyrannide omnibus exosus, Romae triginta vulneribus a Cassio Cherea et complicibus confossus est. *Seneca de Constantia Sap. c. 18: C. Caesar, inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnibus aliqua nota feriendis, ipse materia risus benignissima. Tanta illi palloris insaniam testantis foeditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti et emendicatis capillis adspersi deformitas: adjice obsessam setis cervicem, et exilitatem crurum et enor-*

mitatem pedum. Hinc non immerito PHILO apud Eusebium *Hist. Eccles. lib. II c. 6* περὶ τὸ ἦθος ἀνωμαλίαν πρὸς ἅπαντας in eo culpat, ejusque vitia libere perstringit in *libro de Legatione ad Cajum.* Ceterum PLINIVS *lib. XI c. 37* rigentes ei oculos fuisse commemorat, vel concavos habuit cum temporibus excavatis in lata fronte. *Mentum* projectum crudelitatis peracerbae; *vultum compositum*, vitiorum mente agitatorum; trucem in intuentes *adspectum*, dementiae; *calvitiem* denique, luxuriae indices, in eo agnoscit SPONIVS *p. 368.*

CXXXXVIIII. IVNIA CLAVDIA.

M. Silani filia, quae et Claudilla nuncupatur, Cajo adhuc privato nupsit, nuptiis Antii a Tiberio celebratis: mox impraegnata, ex partu fatis concessit. TACITVS *Annal. lib. XII c. 20.* SVETON. *c. 12.* DIO *lib. LVIII.*

CL. IVLIA ORESTILLA.

DIO *lib. LVIIII* Corneliam Orestinam nominat, quam C. Calpurnio Pisoni desponsatam, Cajus ex ipsis nuptiis, quibus intererat, ad se in palatium deduci imperavit, et postero die edixit, matrimonium sibi repertum exemplo Romuli et Augusti. Eandem ante exitum secundi mensis repudiatam, biennio post ad Pisonem relegavit, quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. SVETON. *c. 26.*

CLI. LOLLIA PAVLINA.

Ex M. Lollio consulari et sorore L. Volusii nata, in matrimonio erat C. Memmii Reguli, quando C. Caesar eam appetebat, quod aviam ejus quondam fuisse pulcherrimam inaudivisset. Itaque evocatam ex provincia, ubi cum marito erat, sibi conjugem a Memmio marito, quasi filia ipsius esset, desponsari, dotem dici, et ad novum maritum perduci voluit, ut omnia acta legitime viderentur. Pompam nuptialem PLINIVS describit *lib. VIIII c. 35: Lolliam Paulinam, quae fuit Caji principis matrona, ne serio quidem ac solenni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium coena, vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque: quae summa quadringenties* HS. *colligebat.* Addit: *Nec dona prodigi principis fuerant, sed avitae opes, provinciarum scilicet spoliis partae.* Hujus quum satietas eum cepisset, paulo post iterum exturbavit ut sterilem. Cajo exstincto, de matrimonio Claudii certabat cum Agrippina, Callisto liberto interveniente. Quum non obtinuisset, Agrippina crimina confingens, quod magos interrogasset super nuptiis imperatoris, eam perdit, ut, publi-

publicatis bonis, Italia ejiceretur, et non nisi quinquagies sestertium ex opibus immensis exsuli relinqueretur. Tandem a tribuno ad mortem adigitur. At Nero defunctae posthac cineres Romam adferri jussit, mandavitque, ut sepulchrum exstrueretur. *TACITVS* et auctores reliqui.

CLII. MILONIA CAESONIA.

Pomponii Orfiti et Vestiliae filia, octavo mense nata, ut scribit *PLINIVS lib. VII c. 51*, neque facie insigni, neque aetate integra erat, sed luxuriae et lasciviae perditae. Trium filiorum matrem factam ex alio marito, adulterio sibi cognitam duxit Cajus, ut tricesima die pater ex ea fieret; atque Drusillam enixa est. Eam et ardentius et constantius amavit Cajus, ut saepe chlamyde peltaque et galea ornatam, et juxta adequitantem, militibus ostenderit, amicis vero etiam nudam. *SVETONIVS c. 25. DIO lib. LVIIII.* Meminit ejus *PERSIVS Sat. VI v. 45*, ubi Caji triumphum de Gallis emtitium exagitat:

Ac jam postibus arma,
jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
essedaque, ingentesque locat Caesonia rhenos.

Ob philtrum Cajo propinatum redarguit *IVVENALIS Sat. VI v. 615*:

Tamen hoc tolerabile, si non
et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
cui totam tremuli frontem Caesonia pulli
infudit.

Post Caji necem a Lupo juxta mariti cadaver occisa est, quoniam ejus crudelitatem foverit. *IOSEPHVS Antiquit. Iud. lib. XVIIII c. 2* eam doluisse refert, quod conjugem dicto audientem non habuerit, quamvis toties eum submonuisse. Quae verba a quibusdam ita sunt accepta, quasi consuluerit imperatori, ut humanitate et prudentia in rebus gerendis uteretur, et civium animos, saevitia a se abalienatos, sibi aliquo beneficio reconciliaret. Ejus e marmore effigies hodienum Romae conspicitur in Capitolio, unde suis operibus inseruit *SANDRARTIVS P. II sect. 2 p. 39.*

CLIII. IVLIA DRVSILLA.

Caesoniae filiam infantem per omnium dearum templa circumferens, Minervae gremio imposuit, alendamque ei et instituendam commendavit Cajus pater. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quam feritatis, quae illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium infantium incesseret. Ea mortem patris deplorans, parieti illisa periit una cum parentibus. *SVETONIVS cap. 25 et ult.*

CLIIII.

CLIIII. TIBERIVS CLAVDIVS DRVSVS.



Ornat dactyliothecae Ebermayerianae frontiſpicium ſarda elegantiſſima, cum Claudii capite eximia arte elaborato et exciſo: quod proinde ea, qua lapis eſt, magnitudine in aes pariter incidendum et hic inſerendum duximus.

Claudius, Druſo et Antonia editus Lugduni Kal. Auguſti A. V. C. DCCXLIII, infans parente orbatus poculum accepit, ut animo et corpore hebetato ulli neque publico neque privato muneri habilis exiſtimaretur, matri aviaeque Liviae et omnibus pro deſpectiſſimo habitus. Literas tamen, T. Livio hortante, ita excoluit, ut quaedam ſcripſerit. Annum agens quinquageſimum, ad imperium e latebris extractus eſt a praetorianis. Mira varietate animi fuit; principio imperii praeclara edidit facinora; mox in pejus ruit; modo circumſpectus et ſagax, modo inconſultus et praeceps, nonnunquam frivolus amentique ſimilis, libertis uxoribusque devinctus, non principem ſe, ſed miniſtrum egit, maxima cum populi deteſtatione. *Prolixo, nec exili erat corpore, ſpecie canitieque pulchra, opimis cervicibus: riſus indecens, ira turpior, ſpumantibus labiis, humentibus naribus: praeterea linguae titubantia, caputque cum ſemper, tum in quantulocunque actu vel maxime tremulum:* ſaevus et ſanguinarius, timidus ac diffidens, iracundus, ludendi, cibi vinique appetentiſſimus. *SVETONIVS in vita c. 31. DIO lib. LX ab init. PLINIVS lib. XI c. 37: Claudio Caeſari* oculi erant *ab angulis candore carnoſo, ſanguineis venis ſubinde ſuffuſi. SENECA in Apocolynth.* Nuntiatur Iovi, veniſſe quendam bonae ſtaturae, bene canum, neſcio quid illum minari: aſſidue enim caput movere, pedem dextrum trahere; ubi vocem quoque ei raucam, confuſam et implicatam fuiſſe, ſono perturbato, dicitur, quam et Silenus apud *IVLIANVM* exagitat, recitato principio comoediae

moediae Ariſtophanis, quae *Equites* inſcribitur. Boleto medicato ab Agrippina accepto, mortem oppetiit III Idus Octobr. cum vixiſſet annos LXIII, menſes II, dies XIII, uti *Casavbonvs* calculum accurate ponit, et regnaſſet annos XIII, menſes VIII, dies XX. Nero caelo eum dicavit, ut ait *Plinivs in Panegyr.* quae ejus apotheoſis videre eſt apud celeberrimum *Montfavcon T. V. Part. I, lib. IIII c. 11.* De boleto *Ivvenalis Sat. VI v. 620:*

Minus ergo nocens erit Agrippinae
boletus: ſiquidem unius praecordia preſſit
ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
in caelum, et longa manantia labra ſaliva.

CLV. AEMILIA LEPIDA.

Fallunt, qui Manii Lepidi, cujus moderationem, ſapientiam ac nobilitatem praedicat *Tacitvs Ann. lib. IIII c. 20,* et *lib. VI c. 27,* filiam perhibent. Fuit enim L. Aemilio Paulo, Cenſoris filio, ex Iulia Auguſti nepte genita. *Svetonivs in Auguſto c. 64,* et *in Tib. Claudio c. 26.* Ea Claudium admodum adoleſcentem ſponſum habuit, ab eoque adhuc virgo repudiata eſt, quod parentes ejus Auguſtum offenderant, et pater quidem inita conjuratione, mater foediſſimis flagitiis, ob quae in exilium ire juſſa eſt. Aemilia crebris criminibus maritum inſecuta, quanquam inteſtabilis, tamen impunita agebat, dum ſuperfuit pater Lepidus; poſt a delatoribus corripitur, ob ſervum adulterum: nec dubitabatur de flagitio; ergo omiſſa defenſione, finem vitae ſibi ipſa poſuit. *Tacitvs Annal. lib. VI cap. 40.*

CLVI. LIVIA MEDVLLINA.

Cui et Camillae cognomen erat, e genere antiquo dictatoris Camilli. Eam Claudius praetextatus ſibi junxit, et ipſo die, qui erat nuptiis deſtinatus, ex valetudine amiſit. *Svetonivs c. 26.*

CLVII. PLAVTIA VRGVLANILLA.

Vrgvlanillae nomen Plautiae vindicant veteres libri, quos *Laevinvs Torrentivs,* Praeſulum doctiſſimus, conſuluit, non Hercvlanillae. Pater triumphalis erat, forte M. Plautius, M. F. A. N. Silvanus, Cos. VII vir epulonum, cui Senatus triumphalia ornamenta decrevit ob res in Illyrico bene geſtas, ut eſt in lapide. Tertia haec Claudii adhuc privati conjux facta, Druſum ei et Claudiam peperit. Sed Claudius tum ob libidinum probra, quippe ex Botere in utero geſtare erat deprehenſa, tum ob homicidii ſuſpicionem, ab ea divertit.

CLVIII. CLAVDIA.

Vrgulanillae filia, quam Claudius, quaſi ex Botere conceptam, exponi ad matris januam, et nudam juſſit abjici, quamvis quintum menſem ante, quam a matre divortiſſet, nata eſſet, alique coepta. *SVETON. c.26. 27.*

CLVIIII. AELIA PAETINA.

Ex Tuberonum familia, *TACITO Annal. lib. XII c.1,* conſulari patre orta, *SVETONIO* dicitur, qui locus *P. MERVLAE Comment.* ad Ennium *p.508* inauſpicato ſuſpectus eſt, non *patre,* ſed *avo* conſulari, Q. Aelio Tuberone, qui cum Paulo Fabio Maximo, A. V. 742 Cos. fuerit, natam eſſe exiſtimans. *Nam tempore Claudii,* ait, *vel paullo ante ejusdem principatum, nullus in Faſtis reperitur Aelius Paetus,* (ex Tuberonum ſcilicet familia; nam ex Lamiarum ſtirpe A. V. 755 conſul fuit L. Aelius L. F. Lamia, et anno ſequenti ex Paetorum Catorum proſapia Sex. Aelius Q. F. Catus,) *cujus filiam Claudius duceret uxorem, niſi ex ſuffectis fuerit, cujus apud ſcriptores mentio intercidit.* Hae rationes me non movent, quominus illum ipſum Q. Aelium Tuberonem patrem Paetinae fuiſſe aſſeram. Temporis enim ratio hoc omnino ſuadet, ut credam, ſiquidem Claudius proximo poſt Tuberonis conſulatum anno; Paetina vero *patre conſulari* nata eſt, adeoque Claudio aetate vel aequalis vel paullo minor. Hunc enim ſenſum Suetonii verba admittunt, imo poſtulant, ut non tam dignitatem patris, quam tempus generationis nataeque filiae intelligamus, indicantia, Paetinam patre jam ſene et conſulari, in cunis vagiiſſe. Nupſit Claudio nondum imperatori, qui cum ea ex levibus offenſis divortium fecit, poſtquam ex eandem Antoniam ſuſtulerat. Equidem, Meſſalina occiſa, Narciſſus libertus reducere illam in Claudii thorum ſtuduit; ſed victa ab Agrippina, repulſam paſſa eſt. *AENEAS VICVS* annotat, hanc a *IOSEPHO lib. XX Antiquit. Iud.* falſo *Petroniam* nominari.

CLX. ANTONIA.

Filia natu maxima Claudii Aeliaeque Paetinae, Cn. Pompejo Magno, qui ex Magno illo Pompejo originem ducebat, dein Fauſto Sullae, quem *TACITVS Annal. lib. XIII c.23* Cornelium Sullam appellat, deſponſata, Neronis nuptias recuſavit, qui eandem poſt mortem Poppaeae ſibi concupiverat. Id quod illi necem attulit, quaſi res novas moliretur. *SVETONIVS in Neron. c.35.* Fuere omnino, qui conjurationis in Neronem fuiſſe conſciam, allectam Piſonis illecebris et cupidine dominandi, perhibent: attamen hiſtoricus *Annal. lib. XV c.53* eam abſolvit. Dubium eſt, utrum haec facies aviae ſit, an neptis? *ALB. RVBENIVS* in *Commentario numorum Crojanorum tab. XVIII,* Claudii Aug. matrem, (de qua diximus *n.141.*) agnoſcit.

At

At *Aeneas Vicus* filiae Claudiae adjudicat, tum quod pater Augustae illi nomen concessit; tum quod vultus ab eo, qui senioris haud dubie esse noscitur, discrepat; et denique quod similis est uni trium capitum, quae sunt in cornucopiae numismatis sculptae imagines Antoniae, Octaviae, Britannici, Claudii liberorum. Videant acutiores: nobis haec indicasse sufficiat.

CLXI. VALERIA MESSALINA.

Valerii Barbati Messalae et Domitiae Lepidae filia, *Tacitus lib. XII c.64.* Claudio consobrino suo Britannicum et Octaviam edidit Sexus sequioris propudium, supra quam omnes feminae vitiosissima, libidine nefanda, saevitia, avaritia infamis, virtute omni prorsus vacua, cujus scelera tangunt, praeter alios, *Plinius Hist. Nat. lib. X c.63*, et *Iuvenalis Sat. VI* multis versibus. Tandem quum super cetera flagitia, vivo marito, nupsisset C. Silio, dote inter auspices consignata, tribunus a Claudio missus eam ictu transfixit. *Tacitus lib. XI c.26* ad finem libri.

CLXII. L. CLAVDIVS NERO BRITANNICVS.

Claudio natus est vigesimo die postea, quam imperator fuit appellatus. Germanicus initio nominatus, mox Britannici cognomen, uti *Eusebius* auctor est *in Chronicis*, tulit a victoria patris Britannica, quam ille quarto imperii anno reportavit. Agrippinae artibus imperio excidit, quando ea effecit, ut Nero, a Claudio adoptatus, in regni successione ipsi praeferretur; Nero autem dato veneno, eo quod populi favore multum valeret, vita eum privavit, cum quartum decimum aetatis annum explevisset. *Suetonius* in *Nerone*, *Tacitus lib. XII c.10 – 17. Dio, Orosius*, alii.

CLXIII. IVLIA AGRIPPINA.

Sexta Claudii uxor, Germanici et Agrippinae filia, in Germania apud Vbios, ut creditur, nata, in quorum urbem, Claudii conjux facta, coloniam deduxit, ab ejus nomine hodienum *Colonia Agrippinae* dictam. Primum ejus matrimonium fuit cum Pasieno Crispo; postea Cn. Domitio Ahenobarbo data est, ex quo mater facta Domitii Neronis. Ahenobarbo demortuo, Ser. Galbae matrimonium tentavit, eodemque tempore in Caji fratris amplexus venit, a quo catamitis concessa, mox conjurationis Aemilii Lepidi conscia, in Pontias insulas relegata, Lepidique ossa in gremio secum asportare jussa est. Post ea a Claudio revocata, ut, Messalina interfecta, a suo hoc patruo thori socia prae Lollia Paulina, Aeliaque Paetina, assumeretur, obtinuit, lege prius in senatu rogata, ut ma-

trimonia patruorum et neptium legitima judicarentur. Hinc viam ſtruxit filio Neroni ad imperium variis artibus, nec alia de cauſſa maritum boleto venenato ſuſtulit. Nero autem haud diu poſt in Antoniae aviae domum dimiſit, inſidiis aliquoties tentavit, tandemque Antii in villa ſua, miſſis percuſſoribus, occidit. Mulier iracunda, contumax, ferox, minax, trux, ſuperba, avara, minime tolerabilis, aſtuta, invidioſa, crudelis, odioſa, ſcelerumque magiſtra, unica fuit ad Plinii usque tempora, quae filia, ſoror, conjux et mater Imperatorum fieret; poſt eam eadem felicitate gaviſa eſt Fauſta, Conſtantini conjux, Maximiani Herculei filia, uti *A. MORELLVS* in *Specimine p. 53* annotavit. Ex Tacito, Suetonio, Dione, Plutarcho et reliquis, vitam ejus prolixe deſcripſit *AENEAS VICVS.*

Vultu plane diverſo, ſub icone Cybeles, eſt in numo *P. SEGVINI cap. 2 p. 52.*

CLXIIII. CLXV. NERO.

Cn. Domitii Ahenobarbi F. et Agrippinae, a Claudio adoptatus undecimo aetatis anno, togam virilem ſumit annum agens quartum decimum. Conceſſum quoque illi eſt, ut anno vigeſimo conſulatum gereret, interim Cos. deſignatus proconſulare imperium extra urbem haberet. Hinc XVII annos natus, ad imperium evectus, quo melior fuerat princeps primo quadriennio, tanto pejor poſtea exſtitit. *IVVENALIS Sat. VIII v. 211:*

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni,
cujus ſupplicio non debuit una parari
ſimia, nec ſerpens unus, nec culeus unus?

Vbi vetus Scholiaſtes: *A Nerone mater occiſa eſt, et amita, et uxor, et Antoni Claudi illa* (leg. *Antonia Claudilla,* de qua *n. 160* dictum eſt,) *quae illi pro harum morte nubere noluit. Sed apertius dixit, quia et matrem occiderit, et uxorem Octaviam, eandemque ſororem adoptivam, et Britannicum, fratrem adoptivum, filium Claudii, peremit.* Quae poſtrema verba non ſatis diligenter inſpexit *MANCINELLVS*, cum ſcriberet: *Britannicum fratrem, et adoptivum filium Claudium parricidio ſuſtulit:* Claudium enim Neronis filium adoptivum, veteres ignorant. Suſtulit autem privignum Rufinum Criſpinum, Poppaea natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, eumque mari mergendum, dum piſcaretur, ſervis demandavit. Haec obiter. Tandem Nero ob ſcelerum immanitatem a Senatu hoſtis judicatus, indeque ad necem quaeſitus a tribunis, ipſe jugulo adegit pugionem, anno aetatis XXXII, imperii XIIII. *TACITVS Hiſt. lib. II cap. 9* oculis, comaque et torvitate vultus inſignem depingit. *SVETONIVS*

cap. 51:

cap. 51: Statura fuit paene justa, corpore maculoso et foedo, sufflavo capillo, vultu pulchro magis quam venusto, oculis caesiis et hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracilimis cruribus, valetudine prospera: quae signa porco similimum et effeminatum indicare, judicat Cl. *Sponius dans les Recherches Curieuses d'Antiquité, diss. 24 p. 370.* Apollo apud *Senecam de Morte Cl. Caesaris,* de Nerone juniore:

Ille mihi similis vultu, similisque decore,
nec cantu, nec voce minor. - - -
Talis Caesar adest, talis jam Roma Neronem
adspiciet, flagrat nitidus, fulgore remisso,
vultus, et effuso cervix formosa capillo.

CLXVI. CLXVII. ANTONIA.

Major M. Antonii IIIviri et Octaviae, sororis Augusti, filia, ex L. Domitio Ahenobarbo, de quo *Svetonius in Ner. c. 4. 5.* Cn. Domitium, Neronis patrem, Lepidam item atque Domitiam peperit; quarum haec, Pasieni Crispi uxor, venenum hausit jussu Neronis; illa cum Ser. Galba Imp. conjuncta, aetatem egit.

Imaginum alteri similis est apud *Sandrartium T. II Sect. 3 pag. 65* ex numo; alteri apud Aeneam Vicum ex Fulvio Ursino.

CLXVIII. OCTAVIA.

Claudii et Messalinae filia, L. Iunio Silano jam desponsa, a patre alteri in adoptionem datur, ut fratris Neronis nuptiis honeste conjungi videretur. Femina fuit spectatae probitatis, quo eam elogio cohonestat *Tacitus lib. XIII c. 12.* Chorus apud *Senecam in Octavia v. 285:*

Sancta quid illi
prodest pietas, divusque pater?
quid virginitas, castusque pudor?

Ob morum itaque dissimilitudinem displicebat Neroni, ut sterilitatem caussatus, in Campaniam ejiceret; revocatam inde populus ingenti plausu excepit, dejectis Poppaeae statuis; quae res illi, sub adulterii praetextu, exilium et necem attulit vicesimo aetatis anno. *Svetonius cap. 35.* Nam in insulam Pandatariam relegata, paucis interjectis diebus mori jubetur. Restringitur vinculis, venaeque ejus per omnes artus exsolvuntur: et quia pressus pavore sanguis tardius labebatur, praefervidi balnei vapore enecatur. Additurque atrocior saevitia, quod caput amputatum, latumque in urbem, Poppaea vidit. *Tacitus lib. XIIII c. 60. 64. Dio lib. LVIII.*

Ornatus capitis, quo capillorum plexus auri circumponitur, velut Iovi Ammoni cornua, non talis esse videtur, qualis matrona-

rum fuiſſe Neronis tempore memoratur. Octaviae certe numi, quorum antiquitatem nemo habet ambiguam, iique tum Graeci tum Latini, apud *TRISTANVM, FRANCISC. ANGELONVM in Hiſtoria Auguſta p. 42 n. 14,* et alios, diverſum plane ornatum praeferunt: ut adeo neſciam, cur dubiam Fulvii Vrſini et Aeneae Vici potius, quam monumentorum, a praeſtantiſſimis quibusque antiquitatum inveſtigatoribus unice probatorum, fidem, tum hic tum alibi, artifex ſequi maluerit.

CLXVIIII. CLXX. SABINA POPPAEA.

Titi Ollii, quem amicitia Sejani pervertit, Sabinaeque Poppaeae, ſceleſtiſſimae feminae, filia, Sabini Poppaei, a quo nomen ſumſit, neptis,

forma eminens, opibus ſuperba,
victa cui cedat Venus,
Iovisque conjux, et ferox armis dea.

SENECA in *Octav. v. 199 et 545.* In manum convenerat Rufo Criſpino, equiti Romano, quem filio parentem fecit. Abductam Othoni amico in cuſtodiam dedit Nero; ſed is per adulterium cognitam ſibi eam habere maluit, uti teſtantur *SVETONIVS* in *vita Othonis cap. 3,* et *TACITVS Hiſt. lib. III c. 13,* qui *principale ſcortum* vocat. Denique Nero connubio ſibi Poppaeam conjunxit. Huic mulieri cuncta alia fuere, praeter honeſtum animum. Sermo comis, nec abſurdum ingenium; modeſtiam praeferre, et laſcivia uti, rarus in publicum egreſſus, idque velata parte oris. Idem *lib. XIII c. 45. 46.* Candorem cuti lacte aſinino cuſtodiebat, eaque de cauſſa quingentarum aſinarum gregem ſecum habebat, et in balneis totum corpus illarum lacte macerabat; quam mollitiem et *IVVENALIS Sat. VI v. 462 et 469* ſalſe exagitat. Vid. *PLINIVS lib. XI c. 41,* et *lib. XXVIII c. 12.* Capillos habebat flavi coloris, quos Nero quodam carmine *ſuccina* appellavit. Idem *lib. XXXVII cap. 3.* Mortem obiit ex calcis ictu, quo gravidam maritus iracundus petiverat.


Haec nitorem capitis tanto ſtudio curabat, ut, quum aliquando ſe non ſatis bona forma in ſpeculo cerneret, mori prius quam ſeneſcere optaverit. *PATINVS p. 123.* Capilli itaque in numis mirum in modum diſpoſiti et cincinnati ſupra ceteras principes: quos ita flexos *MARTIALIS annulum* vocat *lib. II epigr. 66.* Vbi enim

Vnus de toto peccaverat orbe comarum
annulus, incerta non bene fixus acu,

ornatrices ſtatim puniebantur.

Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.

IVVE-


Achates.
170
Sarda.
171
Chalce-donius.?
172
Amethystus.
173
Achates.
174
Achates.
175
Onyx.
176
Topasius.
177
Chrisolithus.
178
Jaspis.
179
Sarda.
180
Sarda.
181
Sarda.
182
Sarda.
183
Sarda.
184
Sarda
185
Chalce-donius.
186
Cyanus.?
187
Amethystus
188
Sarda.
189
Sarda.
190
Sarda
191
Achates.
192
Sarda.
193
Sarda.
194
Chalce-donius.?
195
Sarda:
196
Sarda alba.
197
Chalce-donius.
198
Achates.
199

IVVENALIS ibid. v. 492. Si adhuc viveret Poppaea, metuerem plerisque numorum et gemmarum fictoribus, ne et ipſi taurea vapularent, quando ſucculentam nimis et obeſa cervice ſe, filiamque quadrimeſtrem, ut juſtae aetatis pluriumque annorum viraginem, efficam animadverteret.

CLXXI. CLAVDIA POPPAEA.

C. Memmio Regulo et L. Virginio Rufo Coss. filiam, Antii ex Poppaea ſibi natam, Nero ultra mortale gaudium accepit, appellavitque Auguſtam, dato et Poppaeae eodem cognomento. Sed quartum aut quintum intra menſem defunctae infanti, divae honor decretus eſt. *TACITVS lib. XV c. 23*, et apud eundem *lib. XVI c. 6 divinam infantem* pater appellat.

CLXXII. STATILIA MESSALINA.

Tauri Statilii, bis conſulis ac triumphalis, abneptis, Attico Veſtino, haud neſcio, et Caeſarem eſſe inter adulteros, matrimonio jungitur; quod viro bono mortem properavit, ut in ipſum Cos. Nero, qui Statiliam deperibat, tribunum immitteret, et medicum, qui venas abſcinderet. *TACITVS lib. XV c. 68. 69. SVETONIVS in Neron. c. 35.* Itaque Statilia cum Nerone conjugii pactum init; poſt cujus obitum Otho ſibi eam matrimonio deſtinaverat, qui et moriens huic feminae reliquias ſuas et memoriam commendavit. *SVETONIVS in Oth. c. 10.* Literis imbutam fuiſſe principem, ſatis conſtat; quamvis Satyricus Aquinas *Sat. VI v. 434* δοκησισοφίαν ejus perſtringere videatur:

> *Illa tamen gravior, quae cum discumbere coepit,*
> *laudat Virgilium* etc.

Ad quae verba vetus interpres annotat: *Statiliam Meſſalinam inſectatur, quae, poſt quatuor matrimonia, diverſo exitu ſoluta, poſtremo Neroni nupſit: poſt quem interemtum, et opibus et forma et ingenio plurimum viguit. Conſectata eſt uſum eloquentiae usque ad ſtudium declamandi.*

CLXXIII. SERGIVS GALBA.

Ex nobiliſſimis Sulpiciorum et Lutatiorum familiis, C. Sulpicio, S. F. Ser. N. Cos. A. V. 775, patre, et Mummia Achaja natus eſt IX Kal. Ianuariis, M. Valerio Meſſalla et Cn. Lentulo Coss. Liberales artes attigit, jurique operam navavit. Liviae Auguſtae ſtudio conſulatum obtinuit ab Auguſto. Gratia quoque floruit apud Cajum et Claudium: dein in ſeceſſu plurimum vixit ad medium fere Neronis principatum: ex quo tempore per octo annos Hiſpaniam Tarraconenſem rexit. Tum a militibus Imperator ſa-

lutatus

lutatus Romam petiit, ſaevitiae ſimul atque avaritiae fama laborans, omnes, qui ubique erant, exacerbavit, tandemque ab equitibus ad lacum Curtii trucidatus eſt, menſe imperii ſeptimo, anno aetatis LXXIII, poſt Chriſtum N. LXVIIII, die XV Ianuarii, uti *ANTON. PAGI* in *Prolegom. ad diſſert. Hypaticam n. 19* perſpicue tradit. Add. *SCALIGER lib. V de Emend. temp.* et *PETAVIVS ad* Epiphanium *p. 385.* Statura fuit juſta, capite praecalvo, oculis caeruleis, adunco naſo, manibus pedibusque articulari morbo diſtortiſſimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Ex facie muſculoſa frontisque rugis, praeter quas et calvitiem Mithridates Ponticus ei exprobrabat, hominem robuſtum et ſeverum, porro ex calvitie, luxui deditum fuiſſe, Taciti et reliquorum ſuffragio, arguit *SPONIVS*; qui et naſum vere aquilinum obſervare jubet, itemque frontem altiorem, liberalitatis indicium: nam ob exactiones in Gallia et Hiſpania, itemque quod profuſiones Neronis repeteret etiam ab iis, qui a prodigis munerum comparaſſent quidquam vel accepiſſent, quamvis male audiret tum apud milites, tum apud ceteros; beneficia tamen civibus multa conceſſit, ut ſordidae avaritiae invidiam a ſe amoliretur, et moderationis de ſe opinionem concitaret, ſuosque ſibi devinctos haberet. *PLVTARCHVS* et reliqui.

CLXXIIII. MVMMIA ACHAIA.

Neptis Q. Catuli Capitolini, Lucii Mummii, cognomento Achaici, proneptis, cujus originem Serg. Galba filius ad Paſiphaën Minois referebat. Maritum habuit C. Sulpitium Galbam, et ex eo Cajum, de quo *TACITVS lib. VI c. 40*, atque Sergium Galbam imperatorem genuit. *SVETONIVS c. 2. 3.*

CLXXV. LEPIDA.

Galbae uxor fuit, qua duobusque ex ea filiis amiſſis, vitam Sergius vixit coelibem, neque ſollicitari ulla amplius conditione potuit, ne Agrippinae quidem, quae morte Domitii viduata, Galbam maritum adhuc, omnibus ſollicitaverat modis, correpta ideo jurgio in conventu matronarum, et manu pulſata a matre Lepidae. Lepidam Antoniae majoris, Domitii Ahenobarbi filiam, et Cn. Domitii, Agrippinae mariti, ſororem eſſe, non admodum fere ambigitur, utut *TORRENTIVS ad* Suetonii *Neron. c. 5, et Galb. c. 5*, temporum rationem obſtare crediderit, cum *AENEA VICO* interpretatus *SVETONII* verba, quaſi is dixiſſet, Agrippinam jam Auguſtam, ſublata Lepida, Galbae vidui nuptias iterum appetiviſſe, cum viduata morte Domitii jam olim illius amores ſolicitaſſet. At hoc non dicere Suetonius videtur, ſed illud tantum, Galbam accepta Lepidae condi-

conditione adduci ad aliam non potuisse: id vero Agrippinam tentasse, ut, Lepida ex domo Galbae exturbata, ipsa introiret. Hinc et caussae muliebres, quibus Agrippina perdidisse Lepidam, memoratur *TACITO lib. XII c. 64*, quod parem sibi claritudinem credebat, jam apertius constant, quae fuerint. Conjugis quoque mors fortasse caussa esse potuit, ut in secessu plurimum viveret Galba, Claudio adhuc imperante. *SVETONIVS c. 8.* Quando praeterea idem, *Galbam*, ait, *nullo gradu contigisse Caesarum domum*; id intelligendum est de consanguinitate; *affinitatis* enim *gradus non dantur, l. 4 §. 5 π de grad. et affin.* Scripserat autem Suetonius, *progeniem* Caesarum in Nerone defecisse. Habuerit itaque in matrimonio Lepidam, Octaviae Augusti sororis neptem; attigerit etiam genere Liviam, auctore PLVTARCHO; Caesarem tamen ideo consanguinitate non contigit, quia utrobique affinitatis tantum vinculum, idque satis laxum, intercessit. Si quae disputavimus, ita se habeant, probae conjugis nomen non meruit Lepida, utpote quae Agrippinae fuerit simillima. Vtriusque mores describit *TACITVS*: *Nec forma, aetas, opes, multum distabant; et utraque impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis aemulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant.*

CLXXVI. OTHO.

M. Salvius Otho, L. Othonis et Albiae Terentiae filius, familia nobili ex Etruriae oppido Ferentino, a prima adolescentia prodigus et procax, Nerone interfecto, Galbae primus se junxit, spemque simul imperii concepit, fretus Galbae solitudine: speraverat enim fore, ut a Galba adoptaretur. Vt Pisonem sibi praelatum vidit, militum animos sibi conciliavit, atque res novas moliens, herumque suum obtruncans, Imperator est salutatus A. C. 69. Cum Vitellio aemulo ter conflixit feliciter mediocribus praeliis; dein ad Bedriacum fraude superatus, civiliaque bella detestatus, pugione se trajecit, XXXVIII aetatis anno, et XCV imperii die, quam *ANTONIVS PAGI l. cit.* XVI Aprilis numerat. Quam confusa hic sint omnia, ex *CASAVBONO, TORRENTIO* et *IOS. SCALIGERO* ad Suetonii *Othon. c. 11.* recognoscere licet. Neronem, in cujus se amicitiam morum similitudine insinuaverat, vultu referre credebatur; unde populi acclamatio: *Othoni Neroni*; pinguitudine tamen minus laborabat, homo femina mollior, qui cutem curabat et capillos, suaviter fragrantibus odoribus perfusus, etiam in plantis pedum, quod Neroni monstrasse ferebatur. *PLINIVS lib. XIII c. 3.* Galericulum capiti propter raritatem capillorum adaptavit, itaque annexuit, ut nemo dignosceret. Dignosci tamen in numis ejus aureis et argenteis, non item aereis, qui vel in Aegypto vel in Syria sunt percussi

omnes, *SPONIVS* asserit. Quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuevit, idque instituit a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. *SVETONIVS. PLVTARCHVS*, alii. *IVVENALIS Sat. II v. 99:*

Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis.

Mirantur itaque eruditi, qui sub imperii auspicia tantam ingenii bonitatem morumque probitatem prae se ferre potuerit; nisi populi gratiam aucupandi caussa probum se simulaverit. *MARTIALIS lib. VI epigr. 32:*

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
forsitan et posset vincere mollis Otho,
damnavit multo staturum sanguine Martem,
et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare major:
dum moritur, numquid major Othone fuit?

De galericulo, videndus omnino est *OTHO SPERLINGIVS ad Num. Tranquillinae p. 15. 16.*

CLXXVII. ALBIA TERENTIA.

Splendida femina, L. Salvii Othonis conjux, trium liberorum mater, L. Titiani, M. Othonis, et filiae, quam nondum nubilem Druso, Germanici filio, desponderat. *SVETON. in Galb. c. 1.* Si vera est *PATINI* politissimi conjectura, de qua non valde dubitandum, Aegyptios L. Othonis patris, qui proconsulatum Africae administraverat, memoriam per effigiem filii Canopique posteris conservare voluisse: nec probabilitati contrarium erit, dicere, eosdem turpi pariter adulatione, Terentiae matris memoriam vultumque celebrasse effigie Isidis, quae spectatur in numo Othonis aereo apud illustr. *SEGVINVM p. 131*, a quo acceptum *PATINVS Numismatibus Imp. Rom. p. 136* addidit; sed hoc discrimine, ut flos, quem ibi gerit in capite, hic absit. Terentiam jam tum, cum imperium capesseret filius, praemortuam fuisse, colligo ex eo, quod Otho morti vicinus, fratrem fratrisque filium cohortatus, sororem item consolatus binos per codicillos, matris curam non habuerit. Quod ideo praeterire nolui; quia, quae apud *PLVTARCHVM p. 1074* leguntur: Προσαγόμενος δὲ τὸν ἀδελφιδοῦν Κοκκήϊον, ἔτι μειράκιον ὄντα, θαῤῥεῖν παρεκάλει, καὶ μὴ δεδιέναι Οὐιτέλλιον, καὶ μητέρα, καὶ γενεὰν καὶ γυναῖκα αὐτὸς, ὥσπερ οἰκείων κηδόμενος, διαφυλάξαι, ab interprete quodam male accepta, ita vertuntur: *Accersitum fratris filium Coccejum, adhuc adolescentem, ut auderet, neque timeret Vitellium, est hortatus, et ut matrem, et domum, et uxorem ipse tanquam proprios curans tueretur.* Imo vero Otho Vitellii matrem et uxorem, Romae subsistentes, cum ipse in Germania

nia inferiore imperator consalutaretur, benigne habuit, ut idem *Plvtarchvs* paullo ante dixerat. Otho autem, qui Vitellio generum se obtulit, et Messalinam Neronis matrimonio destinaverat, ut ait *Svetonivs c. 8 et 10*, caelebs interiit.

CLXXVIII. SEXTILIA.

Vitellii Imp. mater, probatissima nec ignobilis femina, conjux L. Vitellii, qui ter consulatum gessit et censuram, duos filios, Aulum et Lucium, eodem ambos totoque anno consules vidit; majori enim minor in sex menses successit. Ei Aulus, quum ad legiones in Germaniam proficisceretur, unionem ex aure detraxit, ut ex oppignerato haberet itineris impensas. Quum appellatum Imperatorem inaudivisset, pro afflicto lamentata est, quod multa sibi ex eo filio mala imminere nuntiatum fuerat a genethliacis. Otho autem et Sextiliam, matrem Vitellii, et conjugem et liberos, Romae degentes, comiter habuit, ut suos. *Plvtarchvs in vita Othonis p. 1068.* Vitellius Capitolium ingressus, matrem est complexus, et Augustae appellatione honoravit; ex SCto statuis ejus et numis inscriptum: MATRI AVG. MATRI SENATVS, MATRI PATRIAE. Ad primas filii sui epistolas, quibus Imperatorem Germanicum se ab exercitu salutatum nuntiabat, dixisse fertur, non Germanicum a se, sed Vitellium genitum. Nec ullis postea fortunae illecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta, domus suae tantum adversa sensit. *Tacitvs Hist. lib. II c. 64. 89.* Tandem pervetus aetate periit seu inedia; aegrae enim ut cibus praeberetur, prohibuisse Vitellium, creditum est; seu veneno, quod taedio praesentium et metu imminentium, a filio impetravit. *Svetonivs in Vitell. c. 3. 7. 14.*

CLXXVIIII. PETRONIA.

Consularis viri filia, domum A. Vitellii mariti, qui tunc privatam vitam agebat, filio Petronio seu Petroniano auxit, quem captum altero oculo heredem instituit sub conditione, si de potestate patris exisset. Quare hic eum manu emisit, et mox insimulavit, quasi patris vitae insidias struxisset, tandemque vel interemit, vel filius venenum ex conscientia hausit. *Svetonivs in Vitell. c. 6.* Postquam a Vitellio divorterat Petronia, eam Dolabella in matrimonium accepit. *Tacitvs Hist. lib. II cap. 64.*

CLXXX. GALERIA FVNDANA.

Praetorio patre sata, Vitellio duos liberos edidit, feminam et marem, titubantia oris prope mutum et elinguem. Modesta, non

ſuperba, aut ullius acerbi conſilii particeps fuit; cumque accuſaretur Trachalus, quod Othonianis partibus ſtuduiſſet, ipſa contra accuſatores eum defendit. Iidem.

CLXXXI. VESPASIA POLLA.

Nurſiae honeſto genere orta, patrem habuit Veſpaſium Pollionem, ter tribunum militum et praefectum caſtrorum. Fratrem quoque habuit ſenatorem praetoriae dignitatis. Splendorem familiae ac vetuſtatem indicabat locus, *Veſpaſia* dictus, in ſummo monte ad ſextum milliarium a Nurſia Spoletum euntibus. Ea T. Flavio Sabino nupta, duorum liberorum parentem fecit, Sabini majoris, qui ad praefecturam urbis adſpiravit; et Veſpaſiani, qui ad principatum usque proceſſit. *SVETONIVS.*

CLXXXII. FLAVIA DOMITILLA.

Flavio Liberali Ferentino, ſcriba quaeſtorio, genita, *erat Statilio Capellae, equiti Romano Sabratenſi, in deliciis,* ſeu concubina, ut verba *SVETONII* explicant nonnulli: vel eidem Statilio obſes ex Africa delegatur pro grandi pecunia, qua pater illi nexus erat. Itaque Romam miſſa, Latinae conditionis liberta exiſtimabatur; mox ingenua et civis Romana recuperatorio judicio pronunciata, aſſerente patre. Hinc nupſit Flavio Veſpaſiano, eique tres filios peperit, Titum, Domitianum et Domitillam. Mortua eſt, marito nondum principe. Suetonio jungantur *VICTOR Epitom. n. 20. 23.* et *PATINVS p. 145.*

CLXXXIII. FLAVIA DOMITILLA.

Veſpaſiani filia in flore juventae obiit, patre adhuc privato. Ei a Tito fratre, ex SCto populique Romani juſſu, carpenti in pompa Circenſi et Divae honor habitus eſt. Domitianus vero ſacerdotium eidem inſtituit. Vetus marmor apud Gruterum et Onufr. Panvinium: ASCONIA. C. F. AVGVRINA. SACERDOS DIVAE. DOMITILLAE. Diffitendum tamen non eſt, eſſe eruditorum nonnullos, qui credant, Domitianum hoc honore non ſororem, ſed matrem affeciſſe. Quicquid ſit, *STATIVS* certe *Sylv. I* inter ſuperos, qui caelum relinquentes, Domitiano oſcula miſceant, Domitillam ſororem numerat, canens *v. 97:*

Ibit in amplexus natus, fraterque paterque
et ſoror.

De Flavia Domitilla, Flavii Clementis vel uxore, vel ex ſorore filia, martyrium paſſa, praeter alios videndi ſunt *LAEV. TORRENTIVS* et *IOS. SCALIGER* ad Suetonii *Domitian. c. 17.*

CLXXXIIII.

CLXXXIIII. ARRICIDIA TERTVLLA.

Romani equitis et praefecti cohortium praetorianarum filia, collocata in matrimonium Tito, poſt tribunatum militum foro operam danti. Sed nullam ex marito ſubolem concepit, breviqne defuncta eſt. *Sveton. in Tito cap. 4.*

CLXXXV. MARCIA.

Fulvia ſeu Fulvilla aut Furnilla, ſplendidi generis, a Tito adhuc privato adamata: ſed cum qua is, ſublata filia, divortium fecit. Exſtat numus Graecus cum capite Fulviae, et titulo Auguſtae, apud *Franc. Angelonvm Hiſt. Aug. p. 76. 77*, quo is in Iuliae filiae gratiam ab ipſo Tito fuiſſe decoratam auguratur, eidemque Marciae *Golzii* numum, quem hic *in Theſauro* in finem rejecerat, cum ſimili inſcriptione: ΦΟΥΛΒΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, reſtituit.

CLXXXVI. IVLIA.

Ex Marcia et Tito procreata, virgo vixdum nubilis a patre oblata eſt Domitiano in matrimonium, qui devinctus Domitiae nuptiis, eam tum pertinaciſſime recuſavit. Itaque alteri, Flavio puta Sabino, quem *Philostratvs de vita Apollonii lib. VII cap. 7* nominat, conjuncta, mox placere coepit patruo, adeo ut illam vitiaret, Tito adhuc vivente. Hinc patre ac viro, quem Domitianus interficiendum curaverat, orbatam ardentiſſime et palam dilexit: foetum, quem ex inceſtu conceperat, ut abigeret, coëgit; atque ita *vidua abortu periit*, uti teſtatur *Plinivs lib. IIII epiſt. 11. Ivvenalis Sat. II v. 32:*

Cum tot abortivis foecundam Iulia vulvam
ſolveret, et patruo ſimiles effunderet offas.

Philostratvs, Domitiani cum Iulia nuptias commemorans, *Tillemontio* in *vita Titi* vapulat. Auguſtae tamen nomen is tribuit, numos effigie ejus ſignari, ac mortuam inter ſidera conſecrari juſſit. *Martialis lib. VIIII epigr. 2:*

Dum voce ſupplex, dumque ture placabit
matrona divae dulce Iuliae numen:
manebit altum Flaviae decus gentis.

Conf. *Gisb. Cvpervs in Apotheoſ. Hom. p. 229. 230.* Idem Bilbilitanus *lib. VI epigr. 13* in ejus ſtatuam ita luſit:

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, caelo,
vel quis Palladiae non putet artis opus?
Candida non tacita reſpondet imagine Lygdos,
et placido fulget vivus in ore decor.

Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Vt Martis revocetur amor summique Tonantis,
a te Iuno petat ceston, et ipsa Venus.

Iuliae hujus cineres et Domitiani, Phyllis, utriusque nutrix, post hujus necem commiscuit in templo Flaviae gentis. *SVETONIVS* in *Domit. cap.17.* *BERN. MONTFAVCON Tom. III Tab. XXV,* ubi varios mulierum ornatus spectandos exhibet, vultum profert ex gemma, huic, quem vides, non prorsus dissimilem, et notat, sententiis variare antiquariae rei peritos, cui illa effigies sit tribuenda: alii dicunt Domitiam esse; alii Marcianam Trajani sororem; nonnulli Matidiam Marcianae filiam; pars major Iuliam, Titi filiam esse putant, cui opinioni et ipse paene adstipulatur.

CLXXXVII. DOMITIA LONGINA.

Domitio Corbulone, quem virum insignem Tacitus laudat pluries, sata, L. Aelio Lamiae Aemiliano nupsit; cui eam Domitianus abduxit, ipsumque interemit. In secundo mariti consulatu filium, in infantia mortuum, et deorum choro adjunctum, alteroque anno ab eodem consulatu filiam enixa est; dehinc Augusta salutata. Conf. *ANGELONVS p. 85,* et *IOS. SCALIGER Not.* in Eusebium. Postea Paridis histrionis amore capta, ab Imperatore repudiatur, qui tamen, discidii impatiens, intra breve tempus eam reduxit, quasi efflagitante populo. Haec ea est Domitia, quae consuetudinem cum Tito habuisse, falso existimabatur, cui alias gloriari promptissimum erat in omnibus probris. Hujus denique et libertorum conspiratione Domitianus occisus est, quum ipsa vereretur, ne se interfici juberet. *SVETON. cap. 3. 14.* *XIPHILINVS.* Illius imaginem et Cavinus politissima arte perfecit. Vid. *CLAVD. MOLINETI Museum S. Genovevae p.117 n. 50.*

CLXXXVIII. VLPIVS TRAIANVS.

Hispanus natione, a Nerva adoptatus, tum rerum ubique per orbem Romanum gestarum gloria, tum humanitatis ac moderationis laude insignis, fines imperii, quos priores tutaverant, late propagavit. Familiaris omnibus, nemini gravis, omnibus carus et acceptus, vivus optimi principis titulo ornatus. Parcae quamvis scientiae esset, moderateque eloquens; eruditissimos tamen dilexit. *Fiscum lienem* vocavit, quod eo crescente, artus reliqui tabescant. Ventris profluvio mortuus, in reditu ex Persia, apud Seleuciam sive Isauriae sive Ciliciae, aetatis anno LXIII, m. VIIII, d. IIII, imperii anno XVIIII, m. VI, d. XV. Caput clavae formam

mam et eminentias habens in parte tum anteriore tum posteriore admodum insignes, planum superne, frons ampla et collum carnosum, notae sunt hominis prudentis potius, fortis et constantis, quam vivacis et alacris. Oculi cavi, et vultus alias satis decorus, humanitatis notas referre videntur. *Sponius* et *Oiselius Tab. IIII n. 6. Constant. Landus p. 93: Imago Trajani rotundo paene ore exstitit, et quadrata persona, specie quidem jucunda, et amabili et decora, bonum virum prae se ferente, ut etiam placet* Aristoteli *lib. III Rhetor.* et Corn. Celso *lib. II c. 1 de Re Medica.*

CLXXXVIIII. CLXXXX. PLOTINA.

Victori in Epit. c. 66 Pompeja Plotina nuncupatur; sanctissima femina, *Plinio lib. VIIII epist. 28.* Trajano privato juncta, eandem virtutis laudem servavit Augusta, quam ante principatum erat sectata et consecuta. Talem enim se ingredi palatium dixit, qualem egredi optaret. Ejus elogium habet idem *Plinius in Panegyr. c. 83.* Trajani ipsa cum Matidia reliquias detulit; culta dehinc ab Hadriano qui tum alios ei honores habuit, tum basilicam apud Nemausum opere mirabili exstruxit, et mortuam divis addidit. Elegantissima est Plotinae gemma, Achates bicolor, quam dedit *Ph. Buonarroti Observationum Histor. in numismata quaedam antiqua p. 24.* et *Boissardus* statuam ejus profert.

CLXXXXI. CLXXXXII. MARCIANA.

Trajani soror, spectatae probitatis femina, maritum amisit, fratre necdum principe. Hinc in palatio cum Plotina vixit conjunctissime, a fratre et senatu Augustae cognomen obtinuit, et inter divas relata est post mortem, quam obiit, antequam Trajanus Trib. Pot. XVIIII gereret, uti ex inscriptione arcus in portu Anconitano colligitur, apud *Patinum Num. Imp. p. 177. Plinius in Paneg. c. 84.* laudes hujus feminae uberrime praedicat.

CLXXXXIII. CLXXXXIIII. HADRIANUS.

Biduo ante obitum a Trajano A. V. 870. imperii successor est declaratus, Plotina operam dante. *Eutropius lib. VIII cap. 3.* Erat autem Trajani consobrinus, vel consobrinae filius. A senatu absens confirmatur, cum Antiochiae esset. Bellum nullum movit, sed mota composuit. Peregrinationis perquam cupidus, ob narium haemorrhagiam tabe consumtus, Baiis interiit. Annos vitae et imperii accurate exquirit *Ant. Pagi in Dissert. Hypaticae Part. I cap. 4. Spartianus in vita: Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba,* quam primus Imperatorum nutrivit,

trivit, *ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeret, habitudine robusta.* Animo varius et multiplex. *VICTOR in epit. cap. 28.* Ex corporis habitudine commoda, capite mediocri et fere acuto, itemque ex crinibus intortis, colligit eruditissimus *SPONIVS*, aptum fuisse ad scientias artesque liberales perdiscendas, quas et mirifice colebat, poësin cumprimis, historiam, mathesin; neque in his se anteiri a quoquam aequo animo patiebatur; adeo gloriae erat cupidus, ut nihil se ignorare profiteretur, curiosissimus etiam divinationum et sacrorum magicorum cultor. Vnde *ATHENAEVS lib. VIII cap. 16* vocat *παντ᾽ ἄριστον καὶ μουσικώτατον βασιλέα.* Praeterea comoediae, venationi, amoribusque erat deditus. Eminentia occipitis, quae altior est sincipite, memoriae felicissimae nota est; ea autem quantum valuerit, auctores citati edisserunt. Capite semper aperto incedebat, et itinera pedes conficiebat, ut laboris patientissimum fuisse oporteat, qualem et facies macilenta ostendit.

CLXXXXV. CLXXXXVI. SABINA.

Neptis vel proneptis Trajani est per sororem, auctoritate *SPARTIANI. DIO* et *ZONARAS*, *ἀδελφιδῆν* vocant. Et illustris *M. VELSERVS* in *Monum. Augustae Vindel. p. 389* ex lapide clare comprobat, Sabinam non ex Marciana Trajani sorore natam, ut aliquibus visum est, sed fuisse Matidiae filiam, Matidiae junioris sororem, Marcianae neptem. Dum *VELSERI* mentionem injicio, juvabit commemorando renovare illius *Opera Historica et Philologica sacra et profana*, quae sumptibus Wolfg. Mauritii Endteri, bibliopolae nostratis praestantissimi, anno octuagesimo secundo saeculi superioris in unum collecta, alibi locorum inter libros rariores numerantur, et magno veneunt, non in peregrino solum terrarum orbe, sed in ipsa Germania. Rem itaque gratam eruditis me fecisse confido, quod in notitiam omnium perduco, Noribergae in instructissima laudati Endteri officina libraria prostare adhuc aliquot Velserianorum operum exempla, quae ob multiplicem eamque solidam viri summi eruditionem non potest non magnifacere, et ut illorum possessione uti frui liceat, vehementer optare, quicunque bonas literas amat. Sed ad Sabinam seu Iuliam Sabinam, uti eam *SANDRARTIVS* et *MEDIOBARBVS* nominant, redeo, cujus nuptias Hadriano conciliavit Plotina. Familiarius illa agere cum Suetonio et aliis visa, adulterii nomine suspecta fiebat; unde eam velut morosam atque asperam dimissurus erat Hadrianus, si privatus fuisset. Tandem non sine fabula veneni, dati ab Hadriano, defuncta est. *SPARTIANVS in Hadriano*, et *VICTOR in Epitom. c. 29: Sabina, dum prope servilibus inju-*



Chalce. donius.
200
Amethy. stus.
201
Chalce. donius.
202
Chalce. donius.
203
Chalce. donius.
204
Sarda.
205
Sarda.
206
Amethy. stus.
207
Sarda.
208
Amethy. stus.
209
Chalce. donius.
210
Sarda.
211
Sarda.
212
Chalce. donius.
213
Sarda
214
Onyx.
215
Chalce. donius.
216
Chalce. donius.
217
Sarda alba.
218
Sarda.
219
Chalce. donius.
220
Sarda.
221
Sapphirus alb.
222
Sarda.
223
Sarda.
224
Sarda.
225
Sarda.
226
Chrysolithus.
227
Sarda.
228
Jaspis.
229

riis afficitur, ad mortem voluntariam compulsa est, quae palam jactabat, quam immane ingenium pertulisset: et elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem gravidaretur. Augustam tamen appellavit, et mortuam inter divas retulit. Diverso ornamentorum genere visitur tum in numis et gemmis, tum in statuis. *Patini in Numism. Imp. p. 206, 207* de illa diversitate judicium apud ipsum legi poterit. In gemmarum nostrarum priori tutulum duplicem triplex πλοχμῶν series excipit; in altera post tutulum corona est ex rosis gemmatis, qualis apud *Leon. Augustinum Part. I n. 86.* Statuas produxere *Boissardus, Maffeius* et *Montfaucon Tom. III lib. I tab. 17,* qui *tab. 24 n. 4* ex Caussaeo aliam ejusdem Sabinae imaginem adjunxit.

CLXXXXVII. CLXXXXVIII. CLXXXXVIIII. ANTINOUS.

Claudiopolin Bithyniae supra Sangarium amnem, patriam habuit, eximiae formositatis puer, Hadriani amoribus famosus, qui seu fortuito, seu veluti hostia quaedam succidanea pro vita Hadriani, periit in Nilo, quem cum Imperatore navigavit. Ejus vultu non paucae urbes signarunt monetam, et quem unaquaeque patrium colebat deum, in eum transformavit Antinoum; Arcades, Bithyni et alii, sub Mercurio; Ancyrani sub Luno; Chalcedonenses sub Sole; Smyrnenses sub Baccho adorarunt, et in numis percusserunt, uti observat Italorum decus, *Ph. Buonarroti p. 26. 27.* Statuas quoque et pictas Antinoi imagines, Bacchi vultum referentes, vidit *Pausanias lib. VIII c. 9,* ubi divinum ei honorem a Mantineensibus habitum, templum item et quinquennale ludicrum ab Hadriano institutum refert. Conf. *Spartianus,* ejusque commentatores, *Victor de Caesaribus c. 14. Xiphilinus* et reliqui. Urbs denique in Aegypto ab illius nomine *Antinois* dicta est. *Hieronymus adv. Iovinianum: Et ut sciremus, quales deos semper Aegyptus recepisset, nuper ab Hadriani amasio urbs eorum* Antinois *appellata est.* Quo anno Hadrianus eum consecraverit, ut fieret σύνθρονος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν, disquirit *Christianus Wormius* in *Hist. Sabell. c. X n. 2. 3. 4.*

CC. ANTONINUS PIUS.

Patre Aur. Fulvio Cos. et Arria Fadilla editus, nomen sortiebatur, T. Aur. Fulvius Bojonius. Eum Hadrianus adoptavit. Princeps optimus, quem nulla fere vitiorum labes maculavit: bella nonnisi lacessitus gessit, quae *Pausanias* memorat *lib. VIII c. 43,* jugi pace imperio praefuit annos XXIII cum dimidio. Vixit annos LXXII, et febri consumptus est. Sed de annis imperii et vitae variant auctores, quos vide apud *Casaubonum* ad Capitolin. *c. 12.* Iustitiam ornabat vultu sereno pulchroque, membra decenter procerus,

validus. *VICTOR* de *Caesar. c. 15* et in *Epit. n. 30.* *IVLIVS CAPITOLINVS in vita c. 2: Fuit vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, et placidus ingenio, singularis eloquentiae, nitidae literaturae, praecipue sobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens, et omnia haec cum mensura et sine jactantia.* Idem *c. 13* fuisse statura elevata decorum, ait, itemque voce rauca et sonora, cum jucunditate. Boni animi nota esse creditur facies oblonga, quali et Antoninus erat praeditus, ita ut ex ea majestas modestia temperata eluceret. Sicut laudabili virtutum studio, ita et vultu Numae Pompilio comparatur, judice *SPONIO p. 384.*

CCI. CCII. CCIII. CCIIII. ANNIA FAVSTINA.

Filia Annii Veri, soror L. Aelii Caesaris, ob nimiam libertatem, vivendique facilitatem, famae parum secundae. At maritus Antoninus animi dolorem compressit, eamque Augustam appellari a senatu permisit. Enixa est mares duos, totidemque feminas. Relicta matre infelicissima, uti est in inscriptione apud *GRVTERVM p. 261,* periit tertio imperii illius anno, qui jungitur cum A. V. 893, et A. C. 140, vitae annis XXXVI M. III D. XI peractis, atque a senatu consecrata est. *L. BEGERVS Thes. Brand. Vol. I p. 346* judicat, quod vivendi facilitatem vultu praeferat, sed ut in una sede morentur majestas et amor.

CCV. CCVI. M. AVRELIVS ANTONINVS.

Faustinae senioris fratrem, Annium Verum, patrem habuit, matrem Domitiam Calvillam, octavo decimo aetatis anno adoptatus ab Antonino Pio, jussu Hadriani. Vitae sanctitate omnes principes anteivit, neque philosophiae studia, quibus a puero imbutus erat, imperator jam factus neglexit: praeceptores etiam honoribus auxit. Bella plurima gessit, Parthicum, Britannicum, Marcomannicum, ut et bello insignis esset, et literis clarus: maxime autem clementia erat conspicuus, qui, exhausto aerario, ne cives suos exactione oneraret, omnia ornamenta imperialia hastae subjecit in foro Trajani. Valetudine non satis commoda utebatur; quam studiorum nimia assiduitate attrivisse, credibile est. Tantae erat tranquillitatis, ut vultum nunquam mutarit moerore vel gaudio. Vindobonae vitam clausit, XVIII anno imperii, et LXI vitae.

Caput crispulum habuit, barbam hispidam, implexam, seu ὑπήνην βαθεῖαν, et plane philosophicae densitatis, ut alicubi Arnobius loquitur. *IVLIANVS* in *Caesaribus* formam ejus ita describit: Σεμνὸς ἄγαν ὑπὸ τῶν πόνων ἔχων τάτε ὄμματα, καὶ τὸ πρόσωπον ὑπό τι συνεσταλμένον, κάλλος δὲ ἀμήχανον ἐν αὐτῷ τούτῳ δεικνύων,

ἐν ᾧ

ἐν ᾧ παρεῖχεν ἑαυτὸν ἄκομψον καὶ ἀκαλλώπιστον· ἥ τε γὰρ ὑπήνη βαθεῖα παντάπασιν ἦν αὐτῷ, καὶ τὰ ἱμάτια λιτὰ καὶ σώφρονα, καὶ ὑπὸ τῆς ἐνδείας τῶν τροφῶν ἦν αὐτῷ τὸ σῶμα διαυγέστατον καὶ διαφανέστατον, ὥσπερ αὐτό, οἶμαι, τὸ καθαρώτατον καὶ εἰλικρινέστατον φῶς. Gravis et conſtans valde, tum oculis, tum vultu, prae animi contentione, aliquantulum ſevero et nonnihil contracto ſimili; pulchritudinem, quam nemo imitatione aſſequi poſſet, in eo demonſtrans, quod eſſet horridus et incomtus. Erat enim barba prolixa, et amictu ex omni parte frugali et modeſto. Denique propter paucitatem alimentorum corpus illi erat ſplendidius et nitidius, ipſius puriſſimi, ut arbitror, et clariſſimi luminis inſtar. Conf. Illuſtr. *CVPERVS in Apotheoſi Hom. p. 167.*

CCVII. CCVIII. CCVIIII. ANNIA FAVSTINA.

Antonini Pii filia natu minor, a patre conjungitur M. Antonino, conſobrino. Ea ut dignitatem a patre accepiſſe oſtenderet, non a marito, in numis ſe nominat ANTONINI PII FILAM; et ipſe Marcus imperium dotem ejus vocavit, quod reddendum eſſe cenſuit, ſi uxorem repudiaret. Impudicitiae quippe fama graviter laborabat, et matris ſimillima, apud Cajetam conditiones ſibi et nauticas et gladiatorias eligebat. Maritus ſecum habuit in aeſtivis, ut matrem caſtrorum appellaret. Mater fuit trium maſculorum, et totidem feminarum; quidam tamen quatuor peperiſſe feminas ajunt. *PATINVS p. 249.* Exanimata eſt in vico Halale, ad radices montis Tauri, ſubito morbo, quem podagrae fuiſſe *XIPHILINVS* tradit. Templum et divale nomen, quod ei ſub Tauri radicibus fundaverat olim maritus, Caracalla eripuit. *SPARTIANVS in vita circa fin.* Celeb. *SPONIVS* de illa haec habet: Bellula erat, oculum habens nequam, et oris aſpectu ſtupidam praeferebat, quae caput citatum jactaret celerius, quam pedes. Imo avem referebat, oſcinem maxime, quae continuo volat, et ludibunda cantat: caput enim parvum, oculi parvi et parva facies, eaque projecta, cum collo longiore, quandam habent ſimilitudinem cum illa, aliave ejusdem generis ave. Eadem animi levitas non tantum ex notis faciei colligitur, ſed et ex ornatus varietate, quam et numi indicant. Temperare mihi non poſſum, quin hic ſubnectam *MONTFAVCONII* verba integra, quae ille habet *Tom. III lib. I cap. ult. n. 4: Ornatus capitis mulierum,* ſcribit, *ſemper fuit variis mutationibus obnoxius, tum apud Graecos, tum apud Romanos. Ornatuum porrò variorum nomina efferre, non humanae eſſet facultatis: eorum magnam diverſitatem jam vidimus in ſtatuis atque protomis Auguſtarum aliarumque mulierum. Id etiam in numis obſervatur: ſub M. Aurelio, qui novendecim annis imperavit, ejus uxor Fauſtina in numis comparet cum triplici quadruplicive, eoque*

 vario,

vario, capitis cultu, quorum unus ad hodiernam accedit rationem. Quaeque ratio suum habuit nomen: quomodo haec omnia nomina hodie colligamus, quando partium omnium, quae ad hodiernum muliebrem capitis cultum spectant, nomina dicere vix possimus? Pauca supersunt hujusmodi nomina antiqua, quorum etiam significationem et usum proprium vix ac ne vix quidem assequimur. Scimus quidem, id, quod calanticam *vocabant, fuisse tegmen capitis muliebris,* cum calanticam capiti accommodares, *inquit Tullius in Clodium apud Nonium Marcellum: at nescimus, in quo calantica differret a* calyptra, *quae, secundum etymologiam nominis, tegmen capitis significat.* Mitra *mulierum, inquit Servius Aen. 9, id ipsum erat, quod calantica, tegmen scilicet capitis muliebris; sed antiquitus mitra apud Graecos significabat fasciam, aut taeniam, aut cingulum; unde* mitram solvere, *quod metaphorice significabat, cum virgine concumbere. Aliud tegmen muliebre* flammeum *vocabatur, sive* flammeolum, *quo nuptiarum die mulieres contegebantur. Putant etiam quidam, in usu fuisse Flaminicis seu sacerdotibus feminis, nomenque ipsum derivant a Flaminica; at duplex* m *in flammeo cum hac etymologia non consonat. Teste Nonio, matronae flammeo utebantur, exque Tertulliani de vel. virg. dicto videtur, ornamentum solitum fuisse, quo utebantur etiam mulieres Christianae.* Caliendrum, *quod memorat Horatius lib. I Sat. 6, et posteriori aevo Arnobius lib. VI, erat crinium additamentum, quod mulieres in capillitium suum inserebant, ut videlicet longiores cincinnos pararent.* Haec MONTFAVCONIVS, eruditae antiquitatis assertor felicissimus. Si quis ἐν συνόψει muliebris mundi nomina nosse cupiat, plurima eorum ex Nicostrato et Aristophane, Comicis, retulit fidissimus Ecclesiae Alexandrinae presbyter, CLEMENS *Paedag. lib. III cap. 12,* cui jungi poterit POLLVX *lib. V c. 16,* seu *segm. 95 sqq.* et *lib. VII c. 22, segm. 95. 96.*

CCX. LVCILLA.

Marci et Faustinae filia natu maxima, matre nihilo melior, L. Vero desponsatur a patre, primo imperii sui anno, nata annos sedecim; postmodum illi ab eodem adducitur uxor in Syriam: L. Verus autem, ut hanc susciperet in templo Dianae, Ephesum rediit, ne Marcus in Syriam veniens, ipsius flagitia agnosceret. Hoc mortuo, pater viduae maritum dedit Claudium Pompejanum, de quo Faustina ad Marcum: *Pompejanus gener et senior est et peregrinus.* CAPITOLINVS *in Vero,* et VVLCATIVS GALLICANVS *in Avidio Cassio.* Ex eo filium genuit, bis consulem, occisum postea a Caracalla. SPARTIANVS *in vita.* Privata licet esset, Augustae tamen honores habuit, etiam virgo adhuc, uti docet gemma apud GORLAEVM *P. I. n. 212,* in qua: LVCILLA AVGVSTA VIRGO. Crispinae Commodi aegre cessit; eaque de caussa cum Quadrato consilia iniit de

fratre

fratre tollendo: quare in exilium Capreas exacta, tandemque a Commodo compressa occiditur. *AELIVS LAMPRIDIVS in Commodo. HERODIANVS lib. I c. 20. 23. XIPHILINVS. BARONIVS Tom. II Annal. Eccles. ad A. C. 163 n. 9. 11* et *12.*

In gemma ornatur capillo retro in cervicem suggesto, uti et in numis apud *SEGVINVM c. 4 p. 152* et alios. In statua apud *BOISSARDVM* cultu capitis, gemmis et margaritis distincto, insignis conspicitur.

CCXI. COMMODVS.

Degener M. Aurelii, parentis optimi filius, qui ex adulterio satus credebatur, gemellus editus cum fratre Antonino. A prima statim pueritia fuit turpis, improbus, crudelis, libidinosus: quae vitia ut emendaret, a patre viris optimis erudiendus traditur: sed illum spes filii frustrata est. Patri successit annos natus XVIIII; saeviit in optimos quosque, libidinibus omnia contaminans, saevior Domitiano, Nerone impurior. Atque ita tyrannidem per XIII annos exercuit; tum vero a Narcisso athleta, Marciae concubinae, Laeti item et Electi consilio, strangulatus est. *Fuit forma corporis justa, vultu insubido, ut ebriosi solent, et sermone incondito, capillo semper fucato, et auri ramentis illuminato, adurens comam et barbam, timore tonsoris. LAMPRIDIVS cap. 17. HERODIANVS lib. I c. 7 n. 8* juvenem ita describit: *Commodo praeter aetatis florem, etiam formae dignitas suffragabatur, congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, tranquillae faces oculis atque micantes, flava et crispa caesaries; ut in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, sic ut eundem quidam scobe aurea putarent conspergi* etc. Quae verba eo lubentius recitavi, quod in gemma nostra junior sit, nulla lanugine mentum vestiente, qualis et in numo *Cimeliarchii Ludovici XIIII tab. 16,* ubi capita Crispinae et Commodi adversa, et apud *BVONARROT. pag. 96 n. 1.*

CCXII. CRISPINA.

In numo graeco, cujus meminit *Io. VAILLANT Tom. I Colon. p. 223,* appellatur ΒΡΟΥΤΤΙΗ, a patre Bruttio Praesente, bis Consule. In *GRVTERI* inscriptione quadam *p. 1095,* is vocatur *L. FVLVIVS BRVTTIVS PRAESENS,* cujus altero consulatu A. V. C. 993, M. Aurelius mortem obiisse creditur. Hujus filiam Commodo celerius, quam is vellet, conjunxit pater propter bellum Scythicum, nuptiis celebratis exemplo privatorum. *CAPITOLINVS in Marco c. 27.* Erat autem Commodus jam dum Caesar renunciatus. Contractae sunt nuptiae, quatuor ante M. Aurelii obitum annis. *ONVPHRIVS* Crispinam Antistii Burrhi sororem fuisse prodit; sed quo auctore, non

 liquet.

liquet. Eam Commodus adulterii ſuspectam relegavit Capreas, nec multo poſt occidit. Num uterum tulerit, in incerto eſt.

CCXIII. MANLIA SCANTILLA.

Didii Iuliani uxor non adeo formoſa, marito perſuaſiſſe dicitur, ut imperium occuparet. Itaque eadem, qua maritus die, Auguſta eſt appellata una cum filia. Vtraque tamen trepida et invita in palatium tranſiit, quaſi imminens exitium praeſagirent. Denique corpus mariti interfecti, redditum ad ſepulturam, in proavi ejus monumentum tranſtulerunt. *SPARTIANVS in Iuliano c. 3* et *8*. *HERODIANVS lib. II c. 6 n. 10.* *ZOSIMVS.*

CCXIIII. DIDIA CLARA.

Iulianus imperio potitus, Didiam filiam, dato patrimonio, emancipavit, et cum matre Auguſtam appellavit: quod utrumque ei poſt parentis necem ſtatim ſublatum eſt: ſed patrimonium redditum. Suae aetatis puellarum omnium formoſiſſima, Cornelio Repentino, affini, vel fratris filio, urbi praefecto, a patre deſponſata erat.

CCXV. PESCENNIA PLAVTIANA.

Clodii Albini uxor, cui is odioſiſſimus fuit; interficitur poſt mariti interitum a Severo una cum filiis, et in profluentem abjicitur. *CAPITOLINVS in Clodio cap. 9* et *11.*

CCXVI. CCXVII. CCXVIII. L. SEPTIMIVS SEVERVS.

Bellicoſiſſimus princeps, qui gloriam reip. Romanae revocavit, Afer ex civitate Lepti, equeſtri familia, ex humili per literarum et militiae officia ad imperium plurimis gradibus venit. A Germanico exercitu imperator eſt ſalutatus apud Carnutum idibus Auguſtis, (*ANT. PAGI Diſſert. Hypat. Part. II c. 12 n. 5* ſancit, in Spartiano *Idibus Maji* legendum eſſe,) cum Iulianus eſſet in odio cunctorum. Peſcennius quoque Niger in Syria, et Albinus in Gallia, eodem tempore imperatores ſunt appellati; ſed utrumque vicit et interemit, illum apud Cyzicum, hunc apud Tinartium, in eos, qui alterutrius partis fuerant, admodum ſeverus. Inde in oriente Parthos vicit et Perſas, aliaque praeclara edidit. Senatus de eo judicavit, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quod et nimis crudelis, et nimis utilis reip. videretur. Periit Eboraci in Britannia arthridite, cum vixiſſet annos LXIIII, m. VIIII, d. XXV, (*PAGI P. I c. 4 n. 5*) et imperaſſet annos XVII, m. VIII, et paucos dies, Antoninum Baſſianum et Getam pari imperio relinquens,

Papi-

Papiniano eis tutore dato, viro juſtiſſimo. Ipſe decorus, ipſe ingens, promiſſa barba, cano capite et criſpo, vultu reverendus, canorus voce, bellicoſus, liberalis, literatus et inſignis Mathematicus, perfidus Afer. Ejus tunica vix aliquid purpurae habebat, hirta ſaepius chlamyde humeros velabat. Sunt autem virtutes ſobrietatis, frugalitatis et modeſtiae in veſtitu, Africanis fere communes. Severitatis quoque notas in vultu gerebat frontem rugoſam, et mentum projectum.

CCXVIIII. CCXX. IVLIA DOMNA.

Natione Syra, quam formoſiſſimam Septimius Severus, mortua Marcia, priore conjuge, duxit, eo quod audiſſet, id genituræ habere, ut regi jungeretur. Et ex illa, amicorum interventu accepta, ſtatim pater factus eſt. Iulia Pia, hoc enim nomine ſaepius nuncupatur, alium deinde ei filium peperit, et duas Septimias: fuit tamen famoſa adulteriis, et conjurationis conſcia. Hujus precibus adductus Severus, Peſcennium Nigrum et Clodium Albinum oppreſſit, ne filiis regnum praeriperent. *SPARTIANVS* in *Severo cap. 3.* et *18*, et in *Albino c. 3.* *VICTOR* de *Caeſar. c. 20.* Qui iidem *in Caracalla* aſſerunt, Iuliam Caracallae novercam, a privigno uxorem ductam fuiſſe, *TRISTANO* utrumque negante. *OPPIANVS*, libros *de Venatione* Antonino Caracallae dedicans, praefatur:

Auſonii Iovis dulce germen, Antonine,
quem magna magno peperit Domna Severo,
beato nupta, et beatum enixa,
ſponſa optimi mariti, puerperaque formoſi filii.
Aſſyria Venus, et non delinquens Luna.

Conf. ὁ πάνυ *SALMASIVS* ad Spartiani *Severum c. 20*, et *SPONII Recherches diſſ. XII p. 181 ſq.* ubi vocem *Tarantis*, in verbis Dionis: *Iulia Tarantis mater, cognita filii caede;* vult eſſe ridiculum Caracallae agnomen, quod ei ob mores malitioſos datum fuerit. Maritum una cum filiis ad expeditionem Britannicam ſecuta, hos inter ſe diſſidentes in concordiam redigere fruſtra allaboravit, et Romam reduxit. Denique amiſſo Geta, et Caracalla interfecto, quum Macrino maledicere, et imperium affectaret, Antiochia, ubi degebat, relicta, et quo vellet abire juſſa, mortem ſibi conſcivit. *ZONARAS Annal. lib. XII cap. 13.* Commendatur ob favorem erga bonas literas, quibus et ipſa operam dedit, inducta calumniis Plautiani, qui eam marito inviſam reddere ſtuduit, et in eam quaeſtiones habuit: Καὶ ἡ μὲν αὐτή τε φιλοσοφεῖν διὰ τοῦτ᾽ ἤρξατο, καὶ σοφισταῖς συνημέρευσεν. Conf. *PHILOSTRATVS* in *vita Apollonii lib. I c. 3.* *AEG. MENAGIVS de Mulier. Philoſ. cap. 16.*

SPICAE

SPICAE in gemmarum altera additae ſunt, ut Cereri. Vid. *BEGERVS* in *Spicileg. p. 166.*

CCXXI. M. AVR. ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA.

Severi et Marciae vel Iuliae, ut plerique autumant, filius, in pueritia ob morum ſuavitatem cunctis amabilis, ſed eam egreſſus, crudelis et immanis factus, patris occidendi conſilia egit, perpetuas cum fratre Geta diſcordias exercuit, eumque tandem ſua manu interfecit, cum de dividendo imperio conſilia agitarentur. Tandem quum urbem ac provincias caedibus impleviſſet, a Martiali centurione, inſidiis a Macrino praefecto praetorio poſitis, pugione trajectus eſt in Meſopotamia inter Carras et Edeſſam, cum imperio praefuiſſet annos VI, m. II, et dies II, uti accurate diſputat *PAGI P. II c. 12 n. 6.* *XIPHILINVS* et *ZONARAS* annos aetatis XXVIII numerant, *EVTROPIVS* et alii, XLIII. *SPONIO* rugoſum inter ſupercilia interſtitium, oculi depreſſi, et nares paulum adductae, hominem cogitabundum, diſſimulatorem et malitioſum prodere videntur.

CCXXII. FVLVIA PLAVTILLA.

Fulvii Plautiani, praetorianorum praefecti filia, quam Severus anno Chriſti 202, Baſſiano filio invito deſpondit, nuptiae autem anno ſequenti demum, Severo decennalia celebrante, ſunt peractae. Nec multo poſt, quum et puellam ipſam, et puellae parentem, peſſime odiſſet, ſic ut nec torum nec larem communem cum ea pateretur, eidemque quibus poterat, machinis necem intenderet, Severus ipſam cum fratre Plauto, et filiolo, quem pepererat, poſt patris obitum relegavit in Siciliam. Vixit proinde calamitoſiſſime in Lipara, in ſumma rerum omnium inopia, tandemque cum fratre mariti juſſu interemta eſt. *HERODIANVS lib. III c. 10* et *13, lib. IIII cap. 6.* Huic pater pro dote tantum dediſſe fertur, quantum quinquaginta reginis ſatis fuiſſet: ſed impudentiſſimam fuiſſe, dicit *XIPHILINVS p. 416.*

CCXXIII. M. AVR. ANTONINVS ELAGABALVS.

A Macrini exercitu in Aſia, Iuliae Maeſae aviae perſuaſu, quae milites ad credendum adduxerat, Caracallae eſſe filium ex Soemiade, Imperator ſalutatur: atque is ipſe, Caracallae ſe filium dicens, omnibus ordinibus ſui deſiderium injecit; quod egregie fefellit, cum nefanda impuritate et nequitia, (nunquam autem indomita libido ſine crudelitate eſt,) omnia pollueret, ita ut nihil ipſi ſacrum eſſet aut ſanctum. Alexandrum conſobrinum, qui poſt eum imperavit,

ravit, annis majorem adoptavit, mox ob ſolam hanc cauſſam, quod ingenii moderati et verecundi eſſe videretur, vitae inſidias ſtruxit. Hinc militibus odioſus, a praetorianis una cum matre occiſus eſt in latrina, atque in Tiberim projectus, ſepulturae honore caruit. *Lampridius, Aur. Victor, Xiphilinus, Herodianus, Zosimus.*

CCXXIIII. IULIA MAESA.

Quae et *Varia* nuncupatur, ex Emeſa Phoeniciae oriunda, filia Iulii Baſſiani, qui ſolis ſacerdos *Elagabalus* dicebatur, quo ſacerdotio et Maeſa et nepos Elagabalus initiati leguntur; ſoror Iuliae Severi, cum qua in aula vixit, imperantibus Severo et Caracalla. Cui viro nupſerit, incompertum eſt. *Tristanus* Iulium Avitum Lupum virum conſularem vocat; idemque Maeſae nomen ex Syriaco deducit, ſolemque ſignificare innuit. Domo aulica eam expulit Macrinus, ut tamen omnia concederet, quae antea collegerat. Itaque jam anus domum reverſa, legiones a Macrino largitionibus, ditiſſima enim erat, abduxit, nepotibusque Elagabalo et Alexandro Severo imperium conciliavit, atque remp. labaſcentem prudentia fulſit et ſuſtentavit, femina ſagax et bellicoſa, quam poſt mortem Alexander inter divas retulit. *Herodianus lib. V et VI.*

CCXXV. CCXXVI. IULIA SOAEMIAS.

Major Maeſae filia, mater Elagabali ex Vario Marcello, Caracallae concubina, quae eximiam corporis formam probris omnibus commaculavit; filio adjutrix fuit imperii invadendi, Macrini milites ad defectionem ſolicitavit, fugientesque confirmavit ad victoriam. Filium ſibi habuit adeo obnoxium, ut is ſine ipſius voluntate nihil omnino in rep. conſtitueret: nec ipſam tantum in ſenatum vocari juſſit, ſed et mulierum ſenatulum in Quirinali haberi permiſit: ibi *Semiamirica SCta*, id eſt ridicula, facta ſunt. Tandem cum filio confoſſa periit, et in cloacam praeceps data eſt, digniſſimum impuriſſima vita ſepulturae locum. *Capitolinus in Macrino cap. 9*, ubi *Salmasius* de nomine ſolicitus eſt. *Lampridius in Elagabalo cap. 2. 4.*

CCXXVII. IULIA CORNELIA PAULA.

Illuſtriſſima femina, Iulii Pauli, ICti et praefecti praetorio filia creditur, quam primam duxit Elagabalus, ut celerius pater fieret. Auguſtam appellavit, et mox dimiſit, quod maculam haberet in corpore, ſublatisque honoribus privatam agere juſſit, patremque ejus in exilium ejecit. *Xiphilinus in Elagab. Herodianus lib. V cap. 6.*

CCXXVIII. IVLIA AQVILIA SEVERA.

Elagabali altera uxor, quam, repudiata Paula, e Veſtalium numero, erat enim virgo Veſtalis, abduxit, ut ſacerdotis cum ſacerdote congredientis nuptiae auguſtiores eſſent, et liberi divini ex hoc conjugio ederentur. Neque tamen diuturnum id fuit; quandoquidem, ea dimiſſa, aliam poſt aliam duxit homo impurus: tandem ad Severam rediit, et cum ea ad necem usque vixit, uti ex numis conſtat.

CCXXVIIII. ANNIA FAVSTINA.

Genus ad Commodum referebat, neptis M. Aurelii, qui quartam ex Fauſtina filiam, Vibiam Aureliam Sabinam collocaverat Claudio Severo; ex quo matrimonio nata eſt Annia. Nupta erat Pomponio Baſſo, quem interfecit Elagabalus, ut uxorem ejus pulcherrimam et nobiliſſimam ſibi jungeret; neque huic, ut mariti mortem lugeret, permiſit. Sed in homine tam inconſtante fervor iſte amoris mox deferbuit, ut, ea expulſa, aliam atque aliam nefarie contingeret. *HERODIANVM* ſecutus, aliorum inſignium Antiquariorum exemplo, hanc tertiam Elagabali uxorem numeravi; quum interim alii e *XIPHILINO* primam fuiſſe dicant.

CCXXX. CCXXXI. IVLIA MAMAEA.

Iulii Aviti Lupi et Iuliae Maeſae filia, ſoror Soaemiadis, Marciano, viro conſulari, Alexandrum peperit, quem tamen *LAMPRIDIVS in vita*, Varii filium nominat. Dein Claudio Iuliano nupſit. Mamaeae hujus et Maeſae aſtu effectum eſt, ut filius a Baſſiano adoptatus, Caeſar appellaretur: nec minus eum Mamaea ab Imperatoris inſidiis defendit, bonisque artibus inſtituendum curavit. Ipſa pecuniae avidior, regnandique cupiditate impotens, in filium imperium exercebat, ut Alexander ejus arbitratu omnia adminiſtraret. *SVIDAS. IO. ANTIOCHENVS* in *Excerpt. Peireſc. p. 830.* Vlpianum ICtum magni fecit; at Alexandri conjugi, Auguſtae nomen invidens, eamque cum patre ex aula exigens, et ſibi et filio interitum ſtruxit, tandem una cum Alexandro a Maximini militibus intra tabernaculum laqueo ſuffocata eſt. *HERODIANVS lib. VI. ZOSIMVS lib. I. CHRONICON Paſchale.* In ſarcophago, qui inter pulcherrimos Romae connumerandus, una cum filio ſedens conſpicitur apud *BERN. DE MONTFAVCON T. V lib. II c. 2 tab. 91.* Mulier erat ſancta alias, *LAMPRIDII* elogio *c. 14*, optimisque moribus. *NICEPHORVS CALLISTVS lib. V cap. 17*: Ἦν γὰρ ἡ γυνὴ θεοσεβὴς μᾶλλον, καὶ τὸν τρόπον εἴπερ τις μάλιστα εὐλαβής. *Pie enim divina colebat, moribusque ſi qua alia, et ipſa maxime caſtis et modeſtis erat*, ab Origene ad divini

vini


Chalce-donius?
Chryso-lithus?
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Chryso-lithus.
230
231
232
233
234
235
Chalce-donius.
Sarda.
Chalce-donius.
Sarda.
Chalce-donius.
Chalce-donius?
236
237
238
239
240
241
Chalce-donius.
Achates flav.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Achates flav.
242
243
244
245
246
247
Sarda.
Sarda
Chalce-donius?
Chalce-donius.
Chalce-donius.
Chalce-donius.
248
249
250
251
252
253
Chalce-donius?
Chalce-donius.
Sarda.
Chalce-donius.
Chalce-donius.
Chalce-donius.
254
255
256
257
258
259

vini verbi Christianaeque disciplinae amorem excitata, ut pietatis perquam studiosa esset, idem *ib. cap. 25.* MICH. GLYCAS *Annal. lib. III p. 243.* Habuit et filiam Theocliam, quam Alexander Maximino juniori desponsare voluerat. CAPITOLINVS *in Maxim. jun.*

CCXXXII. SALLVSTIA BARBIA ORBIANA.

Argumentis quidem sat speciosis Sallustiam hanc Alexandro Severo elocant illustris antiquariorum biga, EZECH. SPANHEMIVS *de Vsu et praest. Num. Ant. Vol. II diss. XI p. 299, 300,* et PETR. SEGVINVS in *Epist. ad Octav. Falconerium p. 287,* quos VAILLANTIVS, PATAROLVS et reliqui sequuntur; cum CAR. PATINVS et alii aetate priores, fere Trajano Decio conjugem dederint. Apud neminem historicorum ejus nomen inventum est; qui id solum memorant, Alexandrum in conjugio vixisse cum Memmia, Sulpitii consularis viri filia, Catuli nepte, SPARTIANVS *cap. 20,* et cum Marciani (seu Macriani) filia, quam volente matre sibi copulavit. Haec puella patricii generis, a Mamaea, Augustae appellationem ei invidente, aedibus imperatoris exacta, in Africam relegatur, ejusque pater interimitur; quam HERODIANI ex *lib. VI c. 1,* narrationem DEXIPPVS apud SPARTIANVM *cap. 49* confirmat: *Dexippus dixit, uxorem eum cujusdam Martiani filiam duxisse, eundemque ab eo Caesarem nuncupatum. Verum quum vellet insidiis occidere Alexandrum Martianus, detectâ factione, et ipsum interemptum, et uxorem abjectam.* Vtra prior fuerit, Memmia an Martiani filia? non liquet; uti et illud obscurum est, num Sallustia haec Martiani filia fuerit, nec ne? an vero tertia Severi uxor?

CCXXXIII. PAVLINA.

Fuisse Paulinam conjugem Maximini Thracis, docet IO. VAILLANT *in Num. Imper. praestant. T. I p. 150, et T. II p. 307,* ex numorum caelatura, forma et metallo, denique ex similitudine lineamentorum feminae hujus et Maximi filii. Add. SPANHEMIVS *loc. cit.* Silent hanc feminam omnes historici; sed dignam fuisse, cujus nomen in literas mitteretur, judicat CASAVBONVS ad Capitolini *Maximinum.* AMMIANVS *lib. XIIII c. 1,* uti et ZONARAS, hanc ei laudem tribuunt, quod conjugis animum crudelem, saepius saniora consilia suggerens lenierit: illius itaque libros deperditos dolemus, qui si exstarent, non parum lucis fortasse foenerarent, litemque omnem de nomine, de quo late agit TRISTANVS, facile dirimerent. Exstincta est primis imperii Maximini annis, marito mortem ei sua crudelitate offerente. Consecravit eam senatus, non tam precibus mariti motus, quam ipsius, ut videtur, virtute et prudenti moderatione.

CCXXXIIII. D. CAELIVS BALBINVS.

Balbinum ad faſtigium imperatoriae majeſtatis provexit ſpectata in plurimis provinciis, quas civilibus adminiſtrationibus rexerat, moderatio, virtutumque bonitas, ſanctitas et verecundia. Adjuvabant ſtudia et bonae literae, generis nobilitas, et divitiarum abundantia. Statura erat procerus, corporis qualitate conſpicuus, eloquentia et poëmate clarus, veſtitu cultus; ſed in voluptatibus nimius, vini, cibi, reique venereae avidior, quam par erat. Is cum Maximo, extinctis in Africa Gordianis, contra Maximinum electus eſt, ut Romae remp. adminiſtraret, dum alter foris cum exercitu rem gereret. Seditio tunc inter populum et milites exorta eſt, in qua potior urbis pars a praetorianis accenſa conflagravit: nec prius in concordiam rediere, quam Balbinus Gordianum puerum oſtenderet, atque Caeſarem renunciaret. Interea Maximinus ad Aquilejam a ſuis truncatur, nec multo poſt, quum ſimultates inter ſe ipſi imperatores exercerent, ambo a militibus trudicati, anno imperii ſecundo.

CCXXXV. FVRIA SABINA TRANQVILLINA.

Miſitheus, vir doctiſſimus et prudentiſſimus, pater dicitur *CAPITOLINO*; quem *ZOSIMVS lib. I* vocat *Timeſiclem.* Suboluit jam olim viris maximis, in mento cubare hoc nomen, quod varie emaculare conati ſunt. Tandem in eam devenere ſententiam, ut Miſitheum patrem, Temeſiclem avum Auguſtae crederent. Quae et mihi ſe quondam probaverant, donec inciderem in eruditiſſimi *SPONII Miſcell. erud. Ant. Sect. IIII p. 148*, ubi inſcriptionem promit C. FVRIO. SABINIO. AQVILAE. TEMESITHEO. dicatam; qua lecta, ſtatim animus ferebat hariolari, hunc totius fere Romani Imperii procuratorem, fuiſſe parentem Tranquillinae, eique verum nomen eſſe Temeſitheo; et eo libentius me praebui credulum, tum quod uterque auctor, Capitolinus et Zoſimus, verae lectionis veſtigia ſervabant, tum quod acutiſſimi Caſauboni conjecturam hac inſcriptione comprobatam cernebam. Porro ſi Temeſitheum hunc ei patrem damus, filia rectius Sabiniae, quam Sabinae, nomine vocabitur. Sed de nominis ſcriptura disputat vir ſummus, *SPANHEMIVS loc. cit.* Haec dum commentabar, bona fortuna in manus ſumo ſolida eruditione refertas *PH. BVONARROTI Obſervationes Hiſtoricas in numiſmata quaedam antiqua*, quas lingua Italica emiſit, et *p. 255* non ſine animi voluptate video, placuiſſe viro huic doctiſſimo, laudatam Sponii inſcriptionem Tranquillinae parenti vindicare, et ex hac veterum auctorum codices emendare. Sed haec obiter. Tranquillinam, quod nomen e ſcriptoribus antiquis

unus

unus *EVTROPIVS lib. VIII cap. 2* nobis conſervavit, conſul iterum uxorem duxit Gordianus III, qui tum annum agebat aetatis XVIII, A. V. C. 993, ſeu A. C. 242, eamque ſequenti ſtatim anno ad bellum Perſicum ſecum in Aſiam eduxit ad Niſibin usque. Vnde Singareni, colonia haud inde procul diſſita, capita Gordiani et Tranquillinae adverſa exhibuere in numo apud *P. SEGVINVM cap. 4 p. 173.* *OTHO SPERLINGIVS* in eleganti *differt. ad Numum Tranquillinae p. 10* ita eam deſcribit: *Eſt fronte non vultuoſa, ſed aperta et ſerena, facie modeſta et tranquilla, oblonga tamen, eo quod genae non ſunt bucculentae, nec inflatae, nec pendentes, ſed quae tenellis corporibus maxime conveniunt, ore brevi, labiisque nonnihil repandis, aures quoque nudae proſtant, cum et in auribus venuſtas ſit, veteribus haud ſemel depraedicata; deinde collum elegans omnino, nec breve nimis, nec obeſum, reliqua tecta ſunt; ex vultu tamen et collo, inter delicatulas, tenellas et juvenculas Tranquillinae locum deberi, judicari poterit.* De capitis ornatu, quo in numis nuspiam proſtare, laudatus *SPERLINGIVS* pronuntiavit, *STRADAM* ideo impoſturae accuſans, verbum non addo, ne colorem mentitum novo illinere fuco videar.

CCXXXVI. CCXXXVII. MARCIA OTACILIA SEVERA.

Obliterata eſſent nomina Marciae Otaciliae, niſi ea numi integra ſervaſſent. Severae nomen *EVSEBIVS Hiſt. Eccleſ. lib. VI c. 29* prodidit ſcriptorum ſolus, quem ſciam, ubi commemorat, ſuo adhuc tempore binas Origenis ad Philippum et ejus uxorem Severam exſtitiſſe epiſtolas. Vxor itaque Philippi patris, et mater junioris, Chriſto nomen dediſſe fertur, ab Origene ſalutaris fontis lavacro, una cum marito et filio, initiata. Eam e provincia Dacia fuiſſe oriundam, *PATINVS* auguratur *p. 385.* Filiam habuit, et ex ea generum Severianum, quem ſocer Myſiae Macedoniaeque copiis praefecit. *ZOSIMVS lib. I.* Et marito et filio ſuperſtes vixiſſe creditur.

CCXXXVIII. HERENNIA ETRVSCILLA.

Decii uxorem, et Herennii Etruſci atque Hoſtiliani matrem eam eſſe, primus docuit *P. SEGVINVS* ex eleganti Regis Galliarum numo Graeco, in quo Decii et Etruſcillae capita ex adverſo poſita conſpiciuntur; ita et in alio, maximi moduli ex aere, qui Romae aſſervatur in muſeo RR. PP. Cartuſianorum, cum inſcriptione: CONCORDIA. AVGVSTORVM. et in cujus altero latere capita ſunt Herennii et Hoſtiliani, cum epigraphe: PIETAS AVGVSTORVM. Communiter Decii filia, et Voluſiani conjux, habita eſt ab antiquariis. Eam marito ſuperſtitem fuiſſe Auguſtam, Treb. Gallo jam imperante, ex numo Viminacii docet vir accurati

 judicii

judicii *ANSELMVS BANDVRIVS* in *praefat. ad Numism. Imper. a Traj. Decio ad Palaeologos.*

CCXXXVIIII. MARINIANA.

Valeriani uxor altera, Valeriani junioris mater habetur. Habuit ille duas uxores, quarum haec Valerianum, altera Gallienum edidit; ſed utriusque dememinere hiſtorici. Marini, qui Philipporum temporibus imperium deguſtaverat, filiam fuiſſe, *PATINI* eſt conjectura. *VAILLANT* in *Num. Praeſt. T. I p. 181* a Sapore, Perſarum rege cum marito captam, et indigne acceptam, ante Valerianum in detentione ſua occubuiſſe, a Gallieno denique et Valeriano juniore inter divas relatam eſſe, ſcribit. Idem *T. II p. 361* mutaſſe ſententiam videtur, dum *hanc*, ait, *Valeriani imperii initio mortuam eſſe, arguunt ipſius numi, ob conſecrationem in iis denotatam, a ſenatu Valeriani precibus conceſſam.* Numos autem poſt ejus obitum cuſos, patet ex inſcriptione et velo, quo tegitur caput. Plura vid. apud *SPANHEMIVM* et *BANDVRIVM.*

CCXXXX. CORNELIA SALONINA.

Natales conjugis Gallieni obſcuri ſunt: iſtud nunc ſatis exploratum eſt, eam neque Attali cujusdam in Ionia viri, natu Graecam, neque Attali, Marcomannorum ſeu Iuthungorum regis, eſſe filiam: hanc enim, Pipam ſeu Piparam nomine, a Salonina aperte diſtinguunt *AVR. VICTOR de Caeſar. cap. 33*, ejusque epitomator *n. 47.* add. *TRISTANVS T. III p. 96. BVONARROTI p. 337*, et Cl. *CHRISTIAN. GOTL. SCHVVARZIVS*, humaniſſimus Humanitatis doctor Altorfinus, Fautor meus colendus, *in Doctrin. antiquar. c. 1.* Et diverſas eſſe, R. P. *ANS. BANDVRIVS T. I p. 234* novo argumento evicit, Saloninam Gallieno, priusquam imperium adipiſceretur, nupſiſſe, ex numis Auguſtae Aegyptiacis comprobans, in quibus omnes Gallieni anni a primo ad decimum quintum conſignati leguntur; cum Piparam jam imperator factus, per pactionem, conceſſa parte ſuperioris Pannoniae, a patre Attalo matrimonii ſpecie ſusceperit, ut eſſet veluti pacis obſes, et belli compoſiti, quod Gallienus geſſerat, dum pater Valerianus bello Perſico, quo captus, eſſet intentus. Porro patriam Salonas, Dalmatiae celebre emporium, nomen dediſſe, non improbabile videtur. Omni autem probabilitati contrarium eſt R. P. Harduini commentum, quod Valeriani Auguſti antea conjux, poſt ejus obitum in Gallieni thorum conceſſerit, docente *SPANHEMIO l. c. p. 305. Chryſogones* ſeu aurigenae cognomen Graeci adulatores indiderunt; (vid. numus apud *IAC. DE VVILDE n. 123*) qui et eandem ſub Dianae ſpecie coluerunt. *PATINVS* atque *VAILLANT*, addicen-

dicentibus ſtatuis apud *BOISSARDVM*, et *MONTFAVCON T. III tab. 19*, aſſerunt, forma fuiſſe egregia, moribus ſanctis, (SANCTISSIMA audit in inſcriptionibus,) et voluntate erga eruditos propenſa, quae Plotinum coluit, ut *PORPHYRIVS* in *hujus vita* teſtatur. *VICTOR* Gallienum conjugi expoſitum dicit, indicans, huic in illum fuiſſe imperium; id quod et numi ſubindicant eorumque inſcriptiones: FELICITAS. PVBLICA. LAETITIA. AVGG. MONETA. AVG. ANNONA. AVG. FIDES. MILITVM. et ſimiles, quae in numis imperatorum frequentiſſimae, in Auguſtarum numis vel nunquam vel raro leguntur, uti *BANDVRIVS p. 251* et alibi obſervat; indubio argumento, Saloninam conſiliis ſe publicis immiſcuiſſe indulgentia mariti, muniaque imperatoris obiiſſe. Sed temporis calamitoſiſſimi ratio id poſtulare videbatur, ut, tum imperator foris bella gereret, ipſa domi rempubl. adminiſtraret. Quod autem Gallienus muliebriter ſe geſſerit, quem ideo *IVLIANVS* in *Caeſar.* inducit in conſeſſum deorum ſtola et inceſſu utentem molliori, mulierum ritu, et *TREBELLIVS POLLIO cap. 5, 16* et *17*, vocavit hominem luxurioſiſſimum et ad omne dedecus paratiſſimum, *qui natus abdomini et voluptatibus, dies ac noctes vino et ſtupris perdidit orbem terrarum*, et ſaepe cum concubinis in tricliniis accubuit, *μεταστὰς ἐκ σεμνότητος εἰς ἅπασαν ἡδονῶν ἀτοπίαν*, ut *ZOSIMVS lib. VIIII* loquitur; id vero eſt, quod minus probabiliter ab iſtis dici videtur; adeoque numum cum capite Gallieni et epigraphe: GALLIENAE. AVGVSTAE, quem antiquariorum plerique in aeternum Gallieni dedecus cuſum arbitrantur, ut omnibus notum fieret, pro femina eum haberi debere; huc adferre non audeo; licet multa in odium Gallieni a veteribus dicta, vitiaque ejus, quae omnino habent aliquid excuſationis, in majus aucta facile conceſſerim, motus Dionyſii epiſcopi Alexandrini teſtimonio apud *EVSEBIVM Hiſt. Eccleſ. lib. VII c. 18* (in Graeco *κγ*,) ubi ita ſcriptum eſt: *Illos, qui maxima fuerunt impietate nobilitati, et propterea non multo poſt absque nomine hominum animis omnino exciderunt, non video cur in memoriam revocem. Verum de Gallieno dicam breviter, ὁ δὲ ὁσιώτερος καὶ φιλοθεώτερος, hic vitam pietate magis eximiam, Deique cultu clariorem traducens, octavo imperii anno praeterlapſo, jam nonum annum agit, in quo nos feſta laetis animis celebremus.* Satisfacit omnino *VALLEMONTIVS*, qui duas de hoc numo epiſtolas emiſit, et Gallienam explicat de conſobrina, quae, *POLLIONE* teſte, Celſum tyrannum interemit. Vti enim in numis M. Antonini, capiti hujus imperatoris adſcriptum eſt: FAVSTINA. AVGVSTA, ut imperium is ſe habere a conjuge teſtaretur; vid. dicta ad *n. 207*; ita et Gallienus ope Gallienae conſobrinae imperium ſibi reſtitutum, grato animo teſtari voluit.

Sed

Sed ad Saloninam revertor, quae trium liberorum mater facta eſt; Publ. Licin. Corn. Salonini Valeriani, qui Poſthumi ſcelere in Germania a militibus interfectus, indeque a patre inter divos relatus eſt, *TREB. POLLIO* in *Poſthumo c. 3*, et *ANS. BANDVRIVS* in *praef.* Iulii Salonini, cum quo et marito interfecta eſt prope Mediolanum A. C. 268, cum auguſtam dignitatem annis XV retinuiſſet; et Iuliae, quae in inſcriptione apud *GRVTERVM p. 275 n. 7* vocatur *Nobiliſſima puella.*

CCXXXXI. VICTORIA.

Aureliae Victorinae nomine quoque inſignitur, mater et avia Victorinorum, qui inter tyrannos numerantur, virilis animi femina, ob id titulos *matris Caſtrorum* et *Auguſtae* merita. Ipſa quidem imperium non ſuscepit; tanta tamen polluit auctoritate, ut Romano exercitui, occiſis filio, nepote, Poſthumio, et Lolliano, Marium atque Tetricum imperatores daret: quo poſtremo imperante, aut occiſa, aut fatali neceſſitate conſumpta eſt. Numos, ex omni aere apud Treviros cum imagine ejus percuſſos, galeatam exhibuiſſe et loricatam, ex *POLLIONE* novimus, qualis et in hac gemma comparet. Licet autem ex Strada *MEDIOBARBVS* numum fere ſimilem protulerit; diu tamen eſt, cum fraus ſuboleret eruditis, ut ſuppoſitum pronunciarent.

CCXXXXII. VLPIA SEVERINA.

Vlpii Trajani filiam fuiſſe, unde didicerit *R. P. HARDVINVS*, mihi quidem compertum non eſt. Vxor fuit Aureliani, cujus uti et filiae unicae, aliquoties meminit *VOPISCVS*, ſed nomen nusquam addidit, ex numis tantum cognitum. Modice vixit, ut ne unicum haberet pallium holoſericum, aut blattea purpura infectum. Ex filia nepotem habuit Aurelianum, Ciliciae proconſulem, qui Vopiſci, h. e. Conſtantini, tempore vixit. Severinam conjugi ſuperſtitem fuiſſe, docet *BANDVRIVS* e numis Aegyptiacis, in quibus L. Z. ſeu *annorum 7*, qui idem Vlpiae nomen a Crinito, patre Aureliani adoptivo, traxiſſe ſuſpicatur.

CCXXXXIII. HERMIAS VABALATHVS.

Zenobiae et Odenati filius natu major, quem *TRISTANVS T. III, ABR. SELLERVS in Antiquit. Palmyrenarum App. cap. 5,* fuiſſe potius judicant Odenati ex Herode, Zenobiae privigno, nepotem, Zenobiaeque hoſtem factum, quia haec, novercarum more, excluſis Herodis jam defuncti liberis, regni ſucceſſionem in ſuos filios conferre voluerit. Hanc eandem quoque ſententiam tuetur Cl. *VAILLANTIVS in* ſingulari *de Vabalathi numis diſſertatione,* quae inſerta legitur

gitur *Vol. II Actorum literariorum Academiae Regiae Inſcriptionum, Pariſiis A. 1717.* Quum vero iſti ſententiae adverſetur VOPISCVS, qui Vabalathi filii nomine Zenobiam, non Timolai et Herenniani, imperium tenuiſſe aſſerit; et quum praeterea interpretatio literarum VCRIMDR dubia admodum ſit, luculento hiſtorico plus omnino tribuimus, quam conjecturis: ideoque et *Ez. SPANHEMII* ſententiae accedit *ANS. BANDVRIVS* in *praef. ad T. I Numiſm. Imp.* oſtendens, Vabalathi et Zenobiae regni idem fuiſſe initium, ſive id concorditer adminiſtrarint, ſive inimicitias inter ſe exercuerint. Cauſſam cur nunquam Zenobiae, Vabalathi ſemper, effigiem cum imagine Aureliani conjunxerint monetarii, qua Latini qua Aegyptiaci, ex iisdem Vopiſci verbis elicit, quia Zenobia, tametſi Auguſta a marito eſſet vocata, non ſuo tamen, ſed Vabalathi nomine imperium tenuit, quod tenuit. Ea itaque ab Aureliano capta, Vabalathus quoque in poteſtatem victoris venit A. C. 272, Romamque ad triumphum perductus, reliquum aetatis ibi exegiſſe creditur. De nomine *Vabalathus* Syriaco laudatus *SELLERVS* in *app. c. 2,* itemque *ED. BERNARDVS,* et *TH. SMITH* in *Schol. ad Monum. Palmyr. p. 17* et *42* inter ſe diſſentiunt: praeterea *BERNARDVS p. 25.* literas VCRIM nihil aliud eſſe quam Arabum إكرم *carim,* hoc eſt, *illuſtris, nobiliſſimus,* obſervat.

CCXXXXIIII. CCXXXXV. FL. HELENA.

Drepana, Bithyniae vicus ignobilis, quam dein Conſtantinus urbem *Helenopolin* nomine vocavit, a Iuſtiniano demum aquaeductu, balneo, templis, porticibus, palatiis, magiſtratuum domibus ornata, teſte *PROCOPIO* de *Aedificiis lib. V c. 2,* natale ſolum eſt Helenae, primae uxoris Conſtantii Chlori, et matris Conſtantini Magni. Eam *HORNIVS* Edeſſenam eſſe vult. Alibi me legiſſe memini, e Britannia obſcuro genere ortam, vel, ut alii, Coëli regis Angliae filiam eſſe. *ZOSIMI* commentum, quaſi in manus Conſtantio legitime non convenerit, diu exploſum eſt. Conf. *THEOPHANES Chronograph. p. 14.* Poſt viginti ferme annos, propter nuptias cum Theodora Herculii privigna, quas nobiliores vocant hiſtorici, cogente Diocletiano, repudiatur anno 292, quo Conſtantius Caeſar creatus eſt. Poſt hujus mortem Romam redit, et a filio Auguſta nuncupatur A. 325, ejusque imagine numus ſignatur. Conſtantinopoli quoque illius effigiem in columna ſtatuit filius, loco hinc *Auguſteum* appellato. *HESYCHIVS MILESIVS* de *Rebus patr. Conſtantinop.* et *CHRON. Paſchale Olymp. 277.* Plures ejus ſtatuas meminit *CODINVS* de *Signis Conſtantin.* Sanctis moribus fuit femina, et ſalutari lavacro beata una cum filio: alii tamen a prima aetate Chriſtianam fuiſſe ſcribunt. *MICH. GLYCAS Ann. lib. IIII p. 248* eam Iudaeorum partibus quondam

adhaesisse, dicit. Cum loca Palaestinae sacra adiret, sanctissimam crucem, quae diu delituerat, reperit; quam crucis inventionem ob oculos ponit ex MSto regio, incomparabilis *MONTFAVCON T. III lib. I tab. 26.* Vitam ultra octogesimum aetatis annum protulit, et mortua mense Augusto anni 326, Constantinopoli in aede XII Apostolorum sepulta. *ALBERICVS* vero anno 332 obiisse scribit; de quo dissensu alii videant. *EVSEBIVS* de *Vit. Constant. lib. III c. 41–46. RVFINVS lib. I c. 7. SOZOMENVS lib. II c. 1. NICEPHORVS lib. VIII c. 29. 30. 31. SVLPITIVS SEVERVS lib. II c. 48. ZONARAS lib. XIII c. 1, 2. THEOPHANES in Chronogr. p. 20. 21.*

Tres Helenas fuisse constat, quarum vultus et numi ut discernendi sint, *Io. IAC. CHIFLETIVS* in *Anastasi Childerici p. 278* sqq. *VVILTHEMIVS, DV CANGE, ANTONIVS GALLANDIVS* et alii expenderunt, quorum sententias profert *BANDVRIVS* in *praef. ad T. II Num. Imp.* suam adjiciens conjecturam, eam, quae FL. MAX. dicitur, Iuliano collocari oportere; Crispo, quae N. F. *Nobilissima Femina* appellatur; Constantio Chloro, quae FLAVIA est vel FLAVIA IVLIA; Vid. *SPANHEMIVS diss. XI p. 312.* De linea seu margaritarum, seu gemmarum quarumcunque, pro torque collo circundata, vid. quae dicta sunt *n. 118,* et *n. 251.*

CCXXXXVI. GALERIA VALERIA.

Diocletiani et Priscae filia, quam Galerius Maximianus, a Diocletiano adoptatus et Caesar renunciatus, conjugem sortiebatur, abjecta uxore priore; *EVTROPIVS, VICTOR.* Ipsa, volente marito, nomen dedit terrarum tractui inter Savum et Danubium, ut *Pannonia Valeria* diceretur. *AMMIANVS MARCELL. lib. XVIIII cap. 11* ibique *LINDENBROGIVS.* Eo mortuo anno 311, Valeria ad Maximinum, metu Licinii, confugit; mox nuptias ejus aversata, in solitudines Syriae ablegatur, ibique mansit usque ad annum 313, quo Maximinus obiit; tandem plebejo cultu varias provincias peragrata, Thessalonicae una cum matre comprehensa est anno 314, et utrique capita, Licinii jussu, amputata sunt. *LACTANTIVS* de *Mort. Persecut. cap. 39, 50, 51.* Conf. *SPANHEMIVS loc. cit.*

CCXXXXVII. CONSTANTINVS M.

Constantii Chlori et Fl. Helenae filius unicus, apud Naissum natus anno 272. Vid. eruditissimus *PAGI cap. ult. p. 378.* Caesar jam factus, post mortem patris Eboraci in Britannia, imperium adiit a. 306, sed hoc et initio sequentis, Caesar tantum dictus est. Add. *SCALIGER* de *Emend. Temp. p. 500,* et *PETAVIVS lib. XI de Doctr. Temp. cap. 36. PROCOPIVS* de *Aedif. lib. VI c. 2 patrem imperii* appellat, quod tenuit

tenuit annos XXX, m. VIIII, d. XXVII, et Nicomediae vita excessit a. 337, annos quinque et sexaginta natus. Vniversam generis Constantini seriem ὡς ἐν τύπῳ dedit *H. Valesivs* in *notis* ad Amm. Marcellini *lib. XIIII c. 1.* Fuit statura mediocri, latis humeris, cervice crassa, rubra facie, capillo non denso, naso aliquantum incurvo, oculis leoninis, gratiosus. *Evsebivs* de *Vita Constant. lib. I c. 13:* Σώματος μὲν γὰρ εἰς κάλλους ὥραν, μεγέθους τε ἡλικίας, οὐδ᾽ ἦν αὐτῷ παραλαβεῖν ἕτερον· ῥώμῃ δ᾽ ἰσχύος τοσοῦτον ἐπλεονέκτει τοὺς ὁμήλικας, ὡς καὶ φοβερὸν αὐτοῖς εἶναι. *Corporis compositione ad pulcritudinem apta, et staturae proceritate, nemo cum illo comparari potuit; et virium etiam firmitate tantum superavit aequales, ut illis nonnihil terroris injiceret.* Panegyricus Constantino dictus *pulcherrimi imperatoris formam* praedicat.

De capitis ornatu *Victor* in *Epit. c. 60: Habitum regium gemmis, et caput exornans perpetuo diademate.*

Scipio cum aquila in summitate, insigne consulatus erat apud Romanos. *Isidorvs Origg. lib. XVIII c. 11. Ivvenalis Sat. X v. 43:*

Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno.

Dionysivs Halicarnassevs lib. III Ant. Rom. p. 195 regum Etruscorum hoc gestamen fuisse dicit, ubi eorum legati, de pace acturi cum Tarquinio, principatus insignia afferunt, quibus suos reges ornare consueverant, coronam auream, sellam eburneam, καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *sceptrumque in summitate habens aquilam.* Annotat *Car. Bretvs de Ord. Iudiciorum Civ. apud Rom. cap. 4,* sceptrum non inter consulum, sed regum insignia esse referendum. Scipio autem consularis erat instar sceptri regalis. Conf. *Valerivs Maximvs lib. IIII c. 4 n. 5.* Plura veterum loca collegit *Alex. VVilthemivs* ad *Diptychon Leodiense p. 14.*

CCXXXXVIII. FLAV. MAXIMA FAVSTA.

Maximianae quoque nomen habet a patre, Maximiano Herculio, qui eam, ex Eutropia Syra editam, Constantino tradidit, cujusque parenti Constantio Theodoram privignam antea junxerat. Fausta impietatis tenax, maritum fascinavit, ut istam serius ejuraret. *Victor* in *epit. c. 56.* Hoc unum facinus laudabile patravit, quod dolos, genero a patre structos in Gallia, illi marito suo enunciavit, quo eosdem effugeret. *Evtropivs lib. X c. 2.* Ipsa dein Crispo privigno insidias parasse, fraudeque detecta, calido in balneo suffocata A. 326 interiisse dicitur: dicitur, inquam; pro certo enim affirmari nequit, quum multa a scriptoribus illorum temporum, Constantini insectatoribus, in odium Christianorum memoriae sint prodita, quae compertae veritatis non sunt. De Crispo certe *Sozomenvs Hist. Eccles. lib. I c. 5,* alia tradit, et Zosimum redarguit *Eva-*

GRIVS lib. III c. 41. Mater facta est Constantini II, Constantii, Constantis, Helenae item et Constantiae: nonnulli tertiam ejus filiam nominant. *ZOSIMVS lib. II* de filiis tribus, ad imperii successionem vocatis, locutus, subjungit: Ἐτέχθησαν δὲ οὗτοι οὐκ ἀπὸ Φαύστης, τῆς τοῦ Ἑρκουλίου Μαξιμιανοῦ θυγατρὸς, ἀλλ' ἐξ ἄλλης, ἣ μοιχείας ἐπαγαγὼν μέμψιν, ἀπέκτεινεν, *non ex Fausta, Maximiani Herculii filia, natos fuisse, sed ex alia, quam insimulatam adulterii, morte adfecerat.* Id vero est, quod contra historicorum fidem impius ille perhibet, Constantino, qui Christo nomen dederat, iniquior. Denique *IVLIANVS Orat. I* Maximam hanc Faustam fuisse praedicat sororem, matrem, uxorem ac filiam imperatoris, τῇ μὲν γὰρ εὐγενείας τοσοῦτον περιῆν, καὶ κάλλους σώματος, καὶ τρόπων ἀρετῆς, ὅσον οὐκ ἄλλῃ γυναικὶ ῥᾳδίως ἄν τις ἐξεύροι, *in qua tantum nobilitatis ac pulchritudinis et morum probitatis inerat, quantum in nulla alia femina facile quispiam reperire possit.*

CORONAE LAVREAE honorem cum conjugibus communicasse Imperatores, mihi quidem non liquet; certe rari quid est, Faustae caput in hac gemma laurea exornatum, qua etiam in numo Octaviani Stradae *p. 174* cingitur. *PATINVS* Helenae, matris Constantini, caput inter *Numismata Imperatorum p. 448* vulgavit, laurea gemmata conspicuum; quale coronamenti genus Constantini aevo usitatum fuisse constat. *CONSTANTINVS MANASSES p. 184* vocat στέφος καταμάργαρον λιθολαμπὲς, *coronam unionibus et gemmis exornatam.* Constantinus quippe *primus diademati inseruit lapides pretiosos,* uti est in *CHRONICO Alexandrino ad A. 330.* Neque vero hic substitit luxuria, sed ulterius progressa, effeminato prorsus luxu, diademata ex solis unionibus et gemmis invexit, qua de re viri antiquariae rei scientissimi, *VVOLFG. LAZIVS* de *Rep. Rom. lib. VIIII c. 18,* et *PH. BVONARROTI p. 387, 388, 389.* Ceterum observat Cl. *TRISTANVS,* antiquariorum antesignanus, in Theodorae numis interdum lauream, ejus capillos cingere, idque ad viri illius Gal. Maximiani victorias referri. Vel ostendit, *frons* haec *perennis,* uti *LVCRETIO* dicitur *lib. I,* Augustarum memoriam non minus aeternam fore, atque est Augustorum.

CCXXXXIIII. FAVSTA.

Constantium II in matrimonio habuisse filiam Constantii patrui, scriptores tradunt, sed eam sine nomine: unde eruditissimi viri conjectura augurati sunt, Faustam esse, cujus in numo singulari facies describitur apud *TRISTANVM App. Vol. III,* et *BANDVRIVM T. II p. 395.* Habuit idem post Eusebiam, uxorem tertiam, Flaviam Maximam Faustam seu Faustinam, quae anno 361 ei elocata, et cum praegnans Constantiam Posthumam utero contineret, maritum amisit.

amisit. Illa Constantia quum adolevisset, Gratiani Augusti uxor facta est. Post mariti obitum fatis jactabatur non semper benignis: nam capta a Procopio tyranno, et contra Valentem in aciem producta est, ut sibi militum animos conciliaret; quos eo facto prorsus abalienavit; ut itaque apud hos Faustam aliquo in honore fuisse, non male, ut quidem videtur, conjeceris. Numus, quem e Faeschiano thesauro *MEDIOBARBUS p. 494* profert, idem fortasse est, quem *OCT. STRADA p. 185* jam excudi fecerat. Certe gemma nostra ad hujus similitudinem accedit.

CCL. FLAVIA IULIA HELENA.

Filia Constantini M., a Constantio fratre nuptiis jungitur Iuliano, cognomento Apostata, quum Caesar esset declaratus, Arbetione et Lolliano Coss. A. C. 355. Ipsi vero Eusebia, Constantii conjux, quae sterilis erat, abortionis poculum miscuit, ut quotiescunque concepisset, abjiceret partum. In Galliis marem peperit, quem obstetrix, praesecto nimium umbilico, enecavit. Tandem Iuliano ab exercitibus Gallicis Augusto jam nuncupato, obiit ex partu in Illyrico, ut quidam ajunt, adhuc materfamilias, vel ut alii, jam repudiata, et expulsa e palatio, aut plane necata est A. 360. Romae sepulta juxta sororem Constantinam in suburbio viae Nomentanae. *AMMIANUS MARCELLINUS lib. XV c. 8, lib. XVI c. 10, lib. XXI c. 1* ibique *VALESIUS.*

CCLI. AELIA PLACILLA.

Hispana nobilis, Theodosii I uxor prima, Antonio Praefecto Praetorio Galliarum et Italiae, deinde Consule, genita videtur, ob vitae sanctitatem, verae religionis studium, moderationem et beneficentiam, commendatissima, quae sua prudentia, virtutum femina, animo mariti mandata, egregie fovit et excitavit. Is enim consiliis ejus libentissime utebatur. Antiocheni, qui statuas ejus dejecerant, ipsi erant invisi. Palatio, quod Constantinopoli habitabat, suum dedit nomen. Ex hac nati Arcadius et Honorius. Morbo correpta, quum Scotumini aquas in Thracia petiisset, mortem oppetiit anno 388, die 14 Septembris, quo memoriam ejus quotannis Graeci agebant; funus ejus Constantinopolim illatum. *THEODORETUS lib. V c. 18, SOZOMENUS lib. VII c. 6, NICEPHORUS lib. XII c. 42, THEOPHANES* in *Chronogr. ad a. 383 p. 61.*

De MONILI, quo tum haec, tum aliae, collum circumdant, *CYPRIANUS de Discipl. et Habit. Virg. p. m. 230: Nec distinctis auro lapillis et margaritis, contexta serie et numerosa compage digestis, monilia instituit, quibus cervicem, quem* (Deus) *fecit, absconderet.* Conf. *n. 245.*

CCLII. AELIA EVDOXIA.

Bautonis, nobilis Franci, olim Consulis, filia, seu Promoti, praefecti Constantinopolitani, filia aut neptis, quam, Eutropio suadente, Arcadius uxorem duxit anno 395 d. 27 Aprilis. Apud *ZOSIMVM lib. V init.* legitur, quod sponsus vestem et mundum e regia illi miserit; qualem videlicet numi ostendunt et gemmae. Eam anno 400 ornavit diademate, Augustamque renunciavit, quum antea tantum Nobilissima diceretur. Femina arrogans, iracunda, avaritia etiam infamis, a Io. Chrysostomo alienior, geminam illi deportationem in exilium machinata, tribus post ejus mortem mensibus, quum parturiret, foetu intra uterum mortuo, exstincta est anno 404. Sustulit ex ea maritus Pulcheriam, Flacillam, Arcadiam, Marinam, ac Theodosium juniorem, quem *CEDRENVS* ultimo loco natum asserit, in eo *MARCELLINO* contrarius, qui Marinam novissime editam tradit. *ZONARAS lib. XIII c. 20. MICH. GLYCAS Annal. P. IIII p. 258* sqq. *THEOPHANES p. 67, 68. SOCRATES Hist. Eccl. lib. VI c. 14. 16. 17. NICEPHORVS lib. XIII c. 36. BARONIVS Annal. T. V ad an. 404 n. 122. CAR. DV FRESNE in Fam. Byzant.*

CCLIII. GALLA PLACIDIA.

Galla Placidia, matre cognomine, quae altera Theodosii uxor erat, nata, adhuc impubes ab Alarico rege Visigothorum ab urbe Roma, veluti obses, captiva in Gallias ducitur a. 410; sed cultu et honore regio habita cum Ataulpho, qui Alarici uxoris frater ei successerat, nuptias celebrat Narbone, seu Foro Cornelii, mense Ianuario a. 411. Eo defuncto, a Singiricho, qui septem dies imperavit, pedibus ante equum ire coacta, tandemque a Vallia successore reddita est fratri Honorio, opera Constantii Patritii; cui eam invitam elocavit, anno 417, Honorio A. XI, Constantino, II Coss. dehinc a fratre et marito Augusta dicta est. Peperit Ataulpho Theodosium brevioris vitae; Constantio, qui in serie Imperatorum tertius numeratur, Honoriam et Valentinianum, quem voluptaria educatione instituisse, mollitieique effeminatae innutrivisse, vitio vertitur Placidiae a *PROCOPIO* de *B. Vandal. lib. II c. 3. SENATOR* autem impense hanc matrem principem laudat *lib. XI Variar. epist. 1*, facundam Attici, Romani et nativi sermonis ubertate. Post Constantii interitum, qui septimo imperii mense pleuritide exstinctus est, fratris gratiam non diu retinuit; apud eum enim in suspicionem hostium invitatorum venit; ideoque cum liberis ad Theodosium juniorem ablegata Constantinopolim a. 423, ab hoc cum Valentiniano Caesare quinquenni in occidentem remittitur a. 424, tandemque Romae extremum diem conficit a. 450 ante filium.

PROCO-

PROCOPIVS ibid. c. 4. *OLYMPIODORVS* apud Photium in *Biblioth. Cod. LXXX.* *CASSIODORVS in Chron.* *IORNANDES lib. I n. 55.* *SOZOMENVS lib. VIIII c. 16.* *NICEPHORVS lib. XIIII c. 5.* *THEOPHANES p. 65. 66.*

De monogrammate ☧, quo veſtis ſupra humerum dextrum ornatur, *HIERONYMVS epiſt. 7* ad Laetam: *Regum purpuras, et ardentes diadematum gemmas, patibuli ſalutaris* (al. *Salvatoris*) *pictura condecorat.* Add. *PATINVS Imp. Rom. Num. p. 476* ſq. *LIPSIVS* de *Cruce lib. III cap. 16.*

Πέπλους καταμαργάρους, ſeu *veſtes margaritis conſertas*, quas *CONSTANTINVS MANASSES* vocat, itemque σίνδονας μαργαρίτιδας, tum in Galla, tum in reliquis hujus et poſterioris aetatis imperatricibus, intueri licet. De illis conſulatur, ſi placet, *CLAVD. SALMASIVS* ad Solinum *c. 53 p. 826.* Nec feminarum tantum hic ornatus erat; ſed et virorum. *CLAVDIANVS* de *Laud. Stiliconis lib. II v. 88,* ubi de hereditate paterna Arcadii et Honorii:

Quin et Sidonias chlamydes, et cingula baccis
aſpera, gemmatasque togas, viridesque ſmaragdis
loricas, galeasque renidentes hyacinthis,
geſtatosque patri capulis radiantibus enſes,
et vario lapidum diſtinctas igne coronas
dividis ex aequo, ne non auguſta ſupellex
ornatusque pares geminis heredibus eſſent.

CCLIIII. AELIA PVLCHERIA.

Arcadii et Eudoxiae filia natu maxima, anno 399 d. 24 Auguſti in lucem edita dicitur *MARCELLINO* in *Chron.* et *CHRON. Paſchali Olymp. 294.* Theodoſii junioris ſoror. *CONSTANTINVS MANASSES p. 100:*

Ἦν δ᾽ ἀδελφὴ τῷ βασιλεῖ τούτῳ Θεοδοσίῳ,
σεμνότροπος, σεμνόβιος, τὴν κλῆσιν Πουλχερία,
καὶ κάλλει διαλάμπουσα σώματος εὐπροσώπου,
καὶ στίλβουσα ταῖς χάρισι τῆς ἔνδον εὐπρεπείας.

Ab hoc annos nata XV vel XVI, in imperii conſortium adſcita, Auguſtaeque nomine appellata eſt, anno 414. a. d. IIII Non. Iulias, prudentiae laude ſupra aetatem et ſexum commendatiſſima, verae religionis ſtudioſiſſima, et Graece Latineque doctiſſima, quae fratrem pietatem docuit, et ut mores, ſermonem, greſſum, riſum, veſtes, ſeſſionem, ſtatum, regio ritu componeret, erudivit. Orta dehinc inter ipſam et Theodoſium ſimultate, quam Eudocia Auguſta et Chryſaphius Eunuchus alebant, ab adminiſtratione in Hebdomum abiit, Diaconiſſa ordinata anno 446 vel 447, ibidemque ſive per quatuor ſive per ſeptem annos privata vixit. Rediit deinde, et Theodoſio mortuo anno 450, annum agens quinquageſimum primum

(*CHRO-*

(*CHRONICON Paschale* habet a. 54, perperam,) Marciano, conjugii sui nomine, Senatus omniumque ordinum consensu imperium obtulit, ut tamen semper casta viveret virgo. Vitae finem fecit pia mulier anno 453 d. 18 Februarii, Marciani imperii III vel VI. *EVAGRIVS lib. II c. 1 p. 509. SOZOMENVS lib. VIIII c. 1* sqq. *NICEPHORVS lib. XIIII c. 47* et *lib. XV c. 15. MICH. GLYCAS l. c. p. 261, 262, IORNANDES lib. I, CONSTANTINVS MANASSES l. c. MARCELLINVS* aliique. De die et anno mortis egit *CAR. DV FRESNE* in *Fam. Byz.*.

Caput est margaritis ornatum, ad pectus cum stola, et monili duplici ex unionibus circa collum.

CCLV. EVDOCIA.

Rogati Afri filia, Heraclii sponsa, *Flaviae* vel *Fabiae* nomine, quae tum morabatur Constantinopoli cum matre Heraclii, Epiphania, quando Heraclius ex Africa contra Phocam venit. Phocas itāque utramque comprehensam, monasterio, quod vocatur Novae poenitentiae, inclusit: sed ab Heraclio, regiam ingresso, iterum liberata, eadem die appellata est Augusta, qua nuptiae celebrabantur, atque tum Eudociae nomen sumsit, genuitque Epiphaniam, Eudociae itidem nomine dictam, et Heraclium Constantinum III, qui Novus dictus est. E vita abiit d. 13 Augusti, ut est in *CHRONICO Paschali*, vel d. 14. ut ait *THEOPHANES*, anno 612, vel 613, anno 2 imperii Heraclii. *ZONARAS lib. XIIII c. 15. CEDRENVS*, et *THEOPHANES ad A. C. 602 p. 250.*

CCLVI. IRENE.

Formosissima mulier Attica, Leonis IIII uxor, cui, sponsalibus die 3 Sept. celebratis, posthaec d. 17 Decembr. A. 769 in manum convenit, eademque die coronata est a Patriarcha. Mater facta est Constantini VI et Probi. Marito e vivis exemto anno 780, filii natu majoris nomine, imperii curam, plurimaque bella laudatissime gessit per decennium; et sub auspicia regiminis, Nicephori, imperium invadentis, tyrannidem exstinxit, filioque, altero imperii anno, filiam Caroli Magni, Erythrus nomine, sponsam conciliat, quam tamen uxorem non duxit. In Thraciam profecta est Berrhoeam usque, quam reparavit, Irenopolim appellans. Hinc foedera cum Francis icta solvens, filio reluctanti Mariam, Amnia oriundam, conjugem locavit m. Novembri, indictione XII. a. 789 Anno sequenti invidiam ei apud filium conflant mali homines, quae adeo invaluit, ut decedere de imperio coacta sit a militibus; quod vel insequenti anno vel post biennium denuo capessivit, et cum Constantino filio tenuit usque ad A. 796, tum vero insidiis circumventum,

tum, lumine oculorum et vita pariter privavit. Post haec perhibetur, suos quoque ex filio nepotes oculis orbasse, quinque adhuc annis orbi praefuisse, Carolum M. anno, quo Romae coronatus est, per legatos Irenes nuptias expetivisse, quas Aëtius spado, in imperii spem elatus, impedierit; ejusque Legatos Constantinopoli adhuc moratos esse, quum Nicephorus in eam insurgeret, a quo anno 802 m. Novembri, frigore asperrimo jam terris incumbente, in Lesbi insulam ablegata, vitam cum morte commutavit, d. 9 Augusti a. 803, et corpus in insulam Principis, in monasterium, quod condiderat, translatum est. *THEOPHANES pag. 374–405. ZONARAS lib. XV c. 10,* sqq. *GLYCAS pag. 285. CONSTANTINVS MANASSES p. 170–176.*

CCLVII. EVDOCIA.

Filia Ingeris, corporis forma et venustate atque pudore, inter omnes alias nobiles feminas fere princeps, quo aviam elogio mactat *CONSTANTINVS PORPHYROGENNETVS* in *Basilio Macedone p. 147.* At *SYMEON MAGISTER* in *Annal. n. 9, THEOPHANES* et alii, eam Theodorae, Michaëlis matri, δι' ἀναίδειαν exosam fuisse, diserte scribunt. Basilio, in imperii societatem cooptato, postquam a Maria divorterat, a Michaële III uxor data, peperit Constantinum Caesarem, Leonem VI Philosophum, (quos tamen non Basilii, sed Michaëlis esse volunt, Georgius Monachus, Symeon Magister, Leo Grammaticus, et alii,) Stephanum patriarcham, et Alexandrum II. Totidem quoque filias enixa est, de quibus hoc unum constat, eas, uti et masculos, sapientia imbutas, virginitatem Deo consecrasse. *CONSTANTINVS l. cit. n. 35 et 88.* Eudocia post haec arctiori, quam par erat, consuetudine Nicetae Xilinitae usa dicitur. Quando ex vita abierit, non liquet: defunctam maritus Constantinopoli sepeliendam curavit.

CCLVIII. HELENA.


Romani Lacapeni filia, concedit anno 919 in torum Constantini VI Porphyrogenneti, quem liberis beavit Romano, in imperio successore, Zoë, Theodora, quae Io. Zimiscae nupsit, Agatha, Theophanone et Anna, quas in Caniclii aedes inclusas tenuit Romanus frater, imperator factus. Maritum illa excitavit ad recuperandum imperium, postquam Christophorus et Stephanus fratres, Romanum patrem anno 944 exauctoraverant. Apud maritum, qui deinceps 14 vel 15 adhuc annos regnavit, effecit, ut publica munera venalia fierent, pessimo exemplo, eique superstes vixit aliquandiu, ac diu morbo conflictata, demum fatis concessit d. XVIIII Septembr. a. 964. *CONSTANTINVS MANASSES p. 215, 217. GLYCAS p. 302. INCERTVS* in *Constantino Porphyrogenneto,* et in *Romano jun. n. 3, 6. SYMEON MAGISTER in iisdem.*

CCLVIIII. ZOE.

Helenae et Conſtantini VII filia altera, quam Romanus III Argyrus vel Argyropulus, imperio deſtinatus, uxore priore votum et vitam cum virginibus Deo ſacris ſuſcipiente, conjugem accepit anno 1028, octo et quadraginta annos jam natam. Anno 1031 ſororem Theodoram in monialium ordinem redegit, ne, quae heres imperii eſſet, res novas moliretur. Zoe, mulier ſalaciſſima, de adulterio ſuſpecta erat cum Michaële IIII Paphlagone, quem, marito venenis tentato, et in balnei labro ſuffocato, ad imperium evexit anno 1034. Hoc poſt ſeptem annos in coenobio vita functo, Michaëlem V Calaphatem filii loco adoptat, et coronari jubet anno 1041, qui attonſam, contra datam fidem, ſtatim ejecit in exilium; ſed a populo revocata eſt cum ſorore, die 2 Aprilis anni ſequentis, et cum eadem aliquot menſes imperavit, Michaële V exacto. Tandem Conſtantinum VIII Monomachum maritum legit, et cum eo aliquam multis annis vixit immodicae laſciviae et procacitatis mulier; quae tamen mortua fere cum caelitibus culta eſt, eo quod fungus ex ejus tumulo germinaſſet. Luxit eam Conſtantinus muliebriter, ideoque facile adduci potuit, ut thecam ejus effoſſam inter caeteras ſanctorum thecas transferret in ſecretarium. Vid. *CAR. DV FRESNE* ad Annae Comnenae *Alexiadis lib. VI pag. 306, 307.* Septuagenaria anno 1050, morte antevertit ſororem, quae huic hujusque marito ſupervixit, et poſtea imperium capeſſivit. *CONSTANTINVS MANASSES p. 244:* ἡ γὰρ βασίλισσα Ζωὴ πάλαι προτεθνήκει.

Imaginem hujus Zoës ex numo dedit *OCT. STRADA*; ſed non immerito illius ſinceritatem ambiguam reddit *BANDVRIVS*, quum ornatus ſit, qualis erat Theodoſii ſaeculo.

CAPVT


Sarda.
260
Sarda alb.
261
Sarda.
262
Sarda.
263
Sarda.
264
Sarda.
265
Achates.
266
Sarda alb.
267
Sarda.
268
Amethyst.
269
Sarda.
270
Onyx.
271
Sarda alb.
272
Topazius.
273
Chalcedonius.
274
Achates.
275
Achates albus.
276
Sarda.
277
Sarda alba.
278
Sarda alba.
279
Sarda.
280
Sarda.
281
Sarda.
282
Sarda alba.
283
Sarda.
284

CAPVT V
CAPITA REGVM ET ILLVSTRIVM EXTERORVM.

CCLX. CODRVS.

Conjecturis nititur aſſertum Canini, iisque non adeo firmis, qui Codri faciem in numo quodam ſibi videre viſus eſt, in cujus altera area conſpiciebatur noctua, notiſſimum Athenarum ſymbolum. Codri certe memoriam Athenienſes, ob inſignia in patriam merita, ſanctiſſime colebant, ſtatuisque venerabantur: nec dubium valde eſt, ut teſtatior eſſet regis, patriae amantiſſimi, virtus, vultum quoque illius in aere ſignaſſe; uti et genus praeſtantiſſimis heroum imaginibus, patre Eumolpo, inſeruerunt, et a Deucalione repetiverunt. Quae de eo ſeptuagenario narratur hiſtoria, ex *Conone* apud Phòtium *p. 438, Ciceronis Quaeſt. Tuſcul. lib. I extr. Ivstini lib. II c. 6, Polyaeni Strateg. lib. I, Velleii Patercvli lib. I c. 2, Valer. Maximi lib. V c. 6,* aliisque, decantata eſt adeo, ut eam denuo inculcare omnino pigeat. Cui enim non dictus eſt

Codrus, pro patria non timidus mori?

Factum hoc eſt anno regni XXI. Id unum dolent viri docti, de ingenuitate hujus imaginis non ſatis conſtare. Eam nemo veterum, quantum memoria repetere valeo, nec ipſe *Pavsanias* deſignavit, ut illos in ſubſidium advocare poſſemus.

De Diademate, num eo videlicet veteres Graeci fuerint uſi, disputat *Begervs Theſ. Brand. Vol. I p. 230.*

CCLXI. CCLXII. AMYNTAS.

Alexandri M. avus, in ſerie regum Macedonicorum hoc nomine ſecundus; alii quartum numerant: ſed *L. Begervs,* quos Euſebius ſecundum, tertium et quartum diſtinguit, unum eundemque fuiſſe ſuſpicatur. Conf. *Rein. Reineccivs* de *Familiis Regum Macedoniae;* cui jungi meretur fragmentum *Dexippi,* vel potius *Diodori Sicvli,* e Georgio Syncello, quod in Euſebium retulit *Scaliger p. 47,* qui tamen a reliquis veterum ſaepe in diverſa abit. Ab Archelao regno pulſus, latuit in Thracia apud Sitalcem, qui eum vi armata reduxit, eique partem regni recuperavit. *Thvcydides lib. II p. 165.* Illyriis quoque in Macedoniam irrumpentibus, cedere coactus, ope Theſſalorum in illud rediiſſe dicitur. *Diodorvs Sicvlvs lib. XIIII p. 307.*

Leonis exvviae, quibus caput gemmae alterius tectum, non tam indicant morem heroum, utentium tum pro galea, tum pro

diademate, ferarum pellibus, quod notat *PHILOSTRATUS* in *Heroicis*; quam ortum ex Hercule, ut legitimam regii ſtemmatis prolem, juſtumque regni heredem ſe gereret, de qua re jam aliis bene multa dicta ſunt. *EURIPIDES* in *Herc. Fur. A. II v. 465* de Hercule:

Στολήν τε θηρὸς ἀμφέβαλλε σῷ κάρᾳ
λέοντος, ἧπερ αὐτὸς ἐξωπλίζετο.
Induviasque tuo circumponebas capiti
leonis, qua ipſe ſolitus erat tegi.

Conf. *BEGERUS Th. Palat. p. 112. 113. Th. Brand. Vol. I p. 231. IAC. DE VVILDE Sel. Num. p. 1* ſqq. *Io. FABER ad* Vrſini *Imagg. illuſtr. n. 10,* et plures.

BARBAM aluiſſe Macedonas, inde colligit Begerus, quod Alexander, ut raderentur, edicto praecepit.

CCLXIII. PHILIPPUS.

Rex Macedonum, rebus geſtis clariſſimus, libertatis Graecorum oppreſſor, a quo numi aurei nomen Philippeorum habent, hac gemma exhiberi conjectatur. Imagines ejus, quas apud Begerum et VVildium videre eſt, imberbes ſunt omnes. *GALLAEUS n. 107,* et *SANDRARTIUS T. II part. 3 p. 59,* barbatum exhibent. Eum *CLEMENS* Alexandrinus *in Protrept. p. 36* teſtatur fuiſſe τὴν κλεῖν κατεαγότα, καὶ τὸ σκέλος πεπηρωμένον, ὃς ἐξεκόπη τὸν ὀφθαλμόν, *fracto jugulo, fracta tibia, et exſecto oculo,* in obſidione puta Methonae. Oculum ſagitta effoſſum memorant *DIODORUS, PLUTARCHUS, IUSTINUS,* quorum hic dextrum fuiſſe excuſſum, indicat.

CCLXIIII. OLYMPIAS.

Neoptolemi Moloſſorum regis filia, repudiata a marito, filio Alexandro dilecta, et poſt hujus mortem Pydnae a Caſſandro interfecta eſt, δύσζηλος καὶ βαρύθυμος γυνή, *ſuſpicioſa mulier et triſtis,* uti *PLUTARCHO* audit in *Alexandro,* moroſa et arrogans. Ejus effigiem dedit numus *IAC. DE VVILDE n. 11,* ſed et facies, et ornatus capitis cum galero atque tutulo, et ſtolae amictus, nimium quantum diſcrepant. Exſtant quoque apud *GALLAEUM n. 6,* in *ANGELI CAUSEI Muſeo Romano,* itemque apud *BEGERUM Th. Br. Vol. III p. 202,* capita Alexandri et Olympiadis jugata: at neque in his quidquam ſimile. Et ſi Begeri conjectura valet, quam profert gemmam, Pyrgotelis eſſe opus, longius omnino a vero aberrare noſtram, fatendum eſſet.

CCLXV. CCLXVI. CCLXVII. CCLXVIII. CCLXIIII. CCLXX.
ALEXANDER M.

Laborant fere antiquariae ſupellectilis ταμεῖα, copia imaginum Alexandri M. quas tot gemmis inſculptas nemo mirabitur, qui principes,

principes, bonos aeque ac malos, ejus facta aemulantes noverit. Imo tanta ejus erat veneratio, ut *viri in auro et argento, mulieres in reticulis, et dextrocheriis, et in anulis et in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerint,* teste *TREBELLIO POLLIONE* in *Quieto Macriani F. tyranno.* Pictam itaque ab Apelle Alexandri imaginem, quam Bucephalus adhinniit, conferre optarem cum typo hujus regis multiplici, quo facilius de eo existimare possemus, quaenam ex tanto numero verum illius vultum referat, quae titulum tantum et nomen mentiatur? Ea quum destituamur, ex veteribus, qualis fuerit, recitabo, ut hanc ejus descriptionem cum fictis imaginibus comparare cuivis liberum sit. Ita autem *PLVTARCHVS* ex latina interpretatione: *Corporis ejus figuram Lysippi statuae maxime demonstrant, a quo voluit solo fingi. Etenim, quam praecipue successores ejus complures post et amici aemulati sunt, projectam cervicem, et in sinistrum humerum modice propensam, oculorumque lenitatem, ad unguem expressit ille artifex. Alexandrum pingens, fulmen tenentem, non repraesentavit Apelles colorem ejus. Magis fuscum et sordidiorem fecit, quum fuerit, ut ajunt, candidus, qui color in pectore et facie potissimum purpurascebat.* Conf. *PHOTIVS* in *Biblioth. p. 1198. AELIANVS Hist. Var. lib. XII c. 14* Alexandri effigiem φοβερόν τι, *formidabile quid,* admixtum habuisse, memoriae prodidit, scribens: Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Φιλίππου ἀπραγμόνως ὡραῖον λέγουσι γενέσθαι· τὴν μὲν γὰρ κόμην ἀνασεσύρθαι αὐτῷ, ξανθὴν δὲ εἶναι. ὑπαναφύεσθαι δέ τι ἐκ τοῦ εἴδους φοβερὸν τῷ Ἀλεξάνδρῳ λέγουσιν. *Alexandrum etiam, Philippi filium, sine curatione formae speciosum exstitisse perhibent. Capillos enim, qui erant flavi, retortos ei fuisse. Ferunt tamen formidabile quiddam in facie Alexandri insitum fuisse. SOLINVS c. 14: Erat forma supra hominem augustiore, cervice celsa, latis oculis et illustribus, malis ad gratiam rubentibus, reliquis corporis lineamentis non sine majestate quadam decorus.* Cl. *SPONIVS* ex arte, quae ex vultu et corporis habitu animi indicia perite colligit, Alexandri imagines dijudicans, asseverat, projectam nimis a collo faciem, itemque oculos in summo capite late apertos, et sursum attractos, neminem posse contueri, quin statim hominem agnoscat ambitione elatum, audaci animo, et praecipiti, eoque non satis circumspecto. Quam Plutarchus notat cervicem in humerum alterum projectam, etiam numismata praeferunt, notam spiritus elatioris et excelsi. Statura erat mediocri, quae parva potius dicenda, quam magna, testibus numis et historicis. Vnde versus vulgo circumfertur:

Magnus Alexander corpore parvus erat.

Sunt autem homines statura parva praediti, utplurimum vehementes et ignei magis, quam qui praealto sunt corpore; spiritus quippe magis continentur, et sanguinis motus est celerior: neque vero

 quisquam

quisquam facile Alexandro magis unquam arſit aut ardebit. Haec *SPONIVS p. 360.* In oculorum lenitate clementiam agnoſcit *BEGERVS Theſ. Pal. p. 55.* De annis nativitatis, imperii et mortis, multa doctiſſime congeſſit *ANDR. SCHOTTVS* in *Vita Demoſthenis ad a. 1 Olymp. CVI,* quo natus, et *ad a. 1 Olymp. CXIIII,* quo mortuus eſt.

Alexandri imagines omnes IMBERBES ſunt. Cauſſam petimus ex *PLVTARCHI Theſeo:* Τοῦτο δὲ ἀμέλει καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ἐννοήσαντα φασὶ προστάξαι τοῖς στρατηγοῖς ξυρεῖν τὰ γένεια. τῶν Μακεδόνων, ὡς λαβὴν ταύτην ἐν ταῖς μάχαις οὖσαν προχειροτάτην. *Nempe id Alexandrum quoque Macedonem animadvertentem, edixiſſe ajunt ducibus ſuis, ut barbas Macedonum raderent, quod anſa ſit haec in praeliis promptiſſima.*

In gemmarum altera et tertia luxurioſi CAPILLORVM cincinni circa tempora ſunt obſervandi, de quibus Aeliani locus, quem modo recitavimus, capiendus eſt.

De DIADEMATE *CVRTII* verba ex *lib. VI c. 6* affero: *Purpureum diadema,* inquientis, *albo diſtinctum, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Quod et teſtatur Diodorus Siculus *lib. XVII p. 549, 550,* apud *BEGERVM Th. Br. Vol. I p. 230.* Add. *FREINSHEMIVS* ad Curtii *lib. III c. 3, n. 19.* *SVIDAS:* Εἰς δὲ τὴν λίμνην τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἀφικόμενος, τὸ διάδημα ἀπέβαλεν ὄμβρου καταῤῥαγέντος. *Cum autem in paludem Alexandrinam perveniſſet, diadema amiſit, ob vehementem imbrem.* Et Alexandro defuncto, Perdicca ſellam regiam, in qua diadema veſtisque Alexandri cum armis erant, in conſpectum vulgi dedit, apud eundem *CVRTIVM lib. X c. 6.*

Gemmarum prima Alexandrum cum galea exhibet, in qua GRYPHVS eſt; animal, ut pleriſque videtur, fabuloſum, Apollini ſacrum, auri avidiſſimum. Grypes *VADIANVS* ita deſcribit:

Igne micant oculi, curvatur acumine roſtrum,
ſibilat et grandi lingua retorta ſono.
Fulta toris cervix praeacutis auribus exſtat,
fronsque minax acris ſigna vigoris habet.
Horreſcunt villis armi criſpantibus atri,
et nodum hirſuto turbine finis habet.

Galeae grypes inſunt, quia Aſiae theſauros diripuit; Graecis autem ante ejus aetatem rarus auri uſus, teſte *ATHENAEO lib. VI p. 231,* vel quia deus videri voluit, et Iovi Ammoni, Dianae, Mercurio, Herculi, ſe aequavit, idem *lib. XII p. 537,* fortaſſe et Palladi, quae cum Neptuno decertans de Attica, galeam grypibus utrinque ornatam habuit, uti eſt apud *PAVSANIAM lib. I c. 24.* Imo, ſi quid hariolando aſſequi valeo, ſagacitatis, qua valuit, indices ſunt, nec aliam ob cauſſam Apollini adjudicantur, uti recte cenſet *ROSINVS.*

SVIDAE

SVIDAE locus, etſi prolixior ſit, integer tamen una cum *PORTI* verſione hic legi meretur: Οὗτος ἦν τό τε σῶμα κάλλιστος, καὶ φιλοπονώτατος, καὶ ὀξύτατος τὴν γνώμην, καὶ ἀνδρειότατος, καὶ φιλοτιμότατος, καὶ φιλοκινδυνότατος, καὶ τοῦ θείου ἐπιμελέστατος· ἡδονῶν τε τῶν μὲν τοῦ σώματος, ἐγκρατέστατος· τῶν δὲ τῆς γνώμης ἐπαινουμένων, ἀπλούστατος· ξυνιδεῖν δὲ τὸ δέον ἔτι ἐν τῷ ἀφανεῖ ὄν, δεινότατος. καὶ ἐκ τῶν φαινομένων τὸ εἰκὸς ξυμβαλεῖν ἐπιτυχέστατος. καὶ τάξαι στρατιὰν δαημονέστατος· καὶ πρὸς πᾶν καλὸν ἐπιτηδειότατος· πρὸς τούτοις ἦν ἐπιεικής, καὶ θεοσεβής. *Hic* (Alexander) *corpore pulcherrimus fuit, et laborioſiſſimus*, et ingenio acutiſſimo, *et fortiſſimus, et honoris cupidiſſimus, et bellicoſiſſimus, et divini numinis ſtudioſiſſimus. Ac in corporis quidem voluptatibus continentiſſimus, laudatarum vero animi voluptatum inſatiabili cupiditate maxime flagrans: acutiſſima vero mentis acie praeditus, ut in rebus adhuc obſcuris et incertis videret, quid opus eſſet facto, et feliciſſimus futurorum ex praeſentibus conjector, et exercitus inſtruendi peritiſſimus, et ad omne pulchrum ac honeſtum ſtudium aptiſſimus. Praeterea fuit modeſtus et humanus, et religioſus dei cultor.* Conf. *SANDRARTIVS Tom. II P. III pag. 31.*

SERPENS in ſecundae et tertiae gemmae galea, non alio referendus eſt, quam ad ortum ex Iove Libyco, in anguem converſo. *IVSTINVS lib. XI c. 11. LVCIANVS* in *Dial. mortuorum. ARRIANVS, Q. CVRTIVS* aliique. Fortaſſe et Palladem aemulari voluit. Nam ſerpens Minervae Poliadis οἰκουρός, ſeu *cuſtos*, *HESYCHIO* dicitur. Add. *MEIBOMIVS ad Iusjur.* Hippocrat. *c. VI n. 27.* Inde et in numis, ab Alexandro percuſſis, galeam ejus ſerpentes ornabant.

CORNVA in quarto et quinto capite, illuſtrat *CLEMENS* Alexandrinus in *Protrept.* ſcribens: Ἐβούλετο δὲ καὶ Ἀλέξανδρος Ἄμμωνος υἱὸς εἶναι δοκεῖν, καὶ κερασφόρος ἀναπλάττεσθαι πρὸς τῶν ἀγαλματοποιῶν, τὸ καλὸν ἀνθρώπου ὑβρίσαι σπεύδων κέρατι. *Volebat et Alexander filius videri Ammonis, et cornutus a ſtatuariis effingi, pulchrum hominis vultum cornu dedecorans.* Ephippus ſcribit apud *ATHENAEVM l. c.* Alexandrum ſacras etiam veſtes in conviviis geſtaſſe, nunc quidem Ammonis purpuream, per ambitum diviſam, et cornua, tanquam deum. Idem et *PAVSANIAS* confirmat, qui *lib. V cap. 24*, nos docet, a Corinthio quodam Alexandri ſtatuam eſſe poſitam, Iovis ornatu, Διῒ εἰκασμένου δῆθεν.

FVLMEN collo ſubjectum, vel ſomnium matris explicat, quod *PLVTARCHVS* in *Alexandro ab init.* narrat, itemque *ZONARAS*, quo ſibi videbatur, quaſi Iupiter tonans ventrem ſuum de caelo tangeret, ex cujus ictu flamma late fuerit diſperſa: vel filium Iovis indicat, qualis ipſe videri, et ab Apelle pingi volebat. In Ecbatanis proclamari juſſit a praeconibus, Gorgum, armorum cuſtodiae praefectum,

ctum, Alexandrum Ammonis filium tribus aureorum millibus coronare. *ATHENAEVS l. c.*

CCLXXI. LYSIMACHVS.

Lyſimachum, Agathoclis filium, Alexandri ſucceſſorem, quum adhuc juvenis eſſet, tali facie fuiſſe ſucculenta et projecta, numorum et gemmarum fide credi poteſt. Regnavit annos 42, et annis 74 major occubuit, contra Seleucum dimicans.

DIADEMATE caput cinctum, ut regis. Regiae dignitatis hoc habuit auſpicium: *Lyſimachum deſiliens equo Alexander, haſtae cuſpide ita in fronte vulneravit, ut ſanguis aliter cludi non poſſet, quam diadema ſibi demptum rex, alligandi vulneris cauſſa, capiti ejus imponeret. Quod auſpicium primum regalis majeſtatis Lyſimacho fuit. IVSTINVS lib. XV c. 3. APPIANVS* de *Bellis Syriacis p. 128, 129, 130.*

CORNV ARIETINVM, originis ad Iovem relatae indicium eſt; uti enim Alexander, ita et ejus ſucceſſores, de Iovis progenie natos ſe credi voluerunt, ut regnum ſibi eo facilius firmarent. Conf. *CHRISTOPH. LANDVS Sel. Num. p. 23.* Reliqua hanc gemmam illuſtrantia, vid. apud *LVD. NONNIVM* ad Golzium, *IAC. DE VVILDE Sel. Num. n. 22,* et *LAVR. BEGERVM Theſ. Palat. pag. 124, 125. Theſ. Brand. Vol. I pag. 107* et *244.*

CCLXXII. CCLXXIII. PERSEVS.

Vltimus Macedoniae rex, bello cum Romanis geſto clarus, ab L. Paulo Aemilio victus, ac Romae in triumpho ductus eſt. *FLORVS lib. II c. 12,* et citati ibidem a Camerte auctores. Ὁ δ' ἀπολειπόμενος υἱὸς αὐτοῦ Περσεὺς, ἅμα τῇ βασιλείᾳ διεδέξατο τὴν πρὸς Ῥωμαίους ἔχθραν, οὐκ ὢν ἐχέγγυος ἐνεγκεῖν, διὰ μικρότητα καὶ μοχθηρίαν ἤθους, ἐν ᾧ παθῶν τε παντοδαπῶν καὶ νοσημάτων ἐνόντων, ἐπρώτευεν ἡ Φιλαργυρία. *Superſtes filius ejus* (Philippi) *Perſeus, hereditarium cum regno in Romanos ſuscepit odium, tantae moli ob ignaviam et improbos mores impar; in quo, quum vitia multa multique morbi ineſſent, dominabatur avaritia. PLVTARCHVS* in *Paulo Aemilio p. 259,* qui praeterea mollitiem et abjectum nimis animum ei exprobrat: vitiis enim erat inquinatiſſimus. Id unum *LIVIVS lib. XXXXI c. 20,* in eo celebrat, in urbium donis et deorum cultu regium illi fuiſſe animum. Conf. *BEGERVS Theſ. Brand. Vol. I p. 249. SANDRARTIVS Tom. II Part. 3 pag. 41.*

CCLXXIIII. PRINCEPS MACEDONVM FEMINA.

GVIL. CHOVLIVS de *Relig. Vet. Rom. p. 175* ſimilem imaginem exhibet, in qua capitis cultus conſpici meretur. Comae, a fronte ad aures usque eleganter tortae, connectuntur ſpiris, inde a cervice ad occiput

occiput aſſurgentibus; ipſam cervicem integunt capilli ſparſi, qui in gemma abſunt. Praeterea et tutulus gemmae ab illo Choulii nonnihil abit.

CCLXXV. PTOLEMAEVS SOTER.

Lagi filium, primum Aegypti regem, agnoſcunt ſapientes; licet artificis caelum in capillis et mento aberraverit, qui rugas fronti ſeniles impreſſit, et macilentum finxit, contra fidem numorum, quos *Io. VAILLANT* in *Hiſtoria Ptolemaeorum, Aegypti regum,* protulit, in quo libro tum Soteris, tum reliquorum vitas ſtilo accurate complexus eſt, ex vultū ſuum cuique numiſma vindicavit, ipſorumque regūm capita ſolerter omnino diſtinxit: eadem diligentia et in *Seleucidarum hiſtoria* verſatus.

MENTVM ita projectum, extremae crudelitatis indicium eſt: quam animi indolem vel diſſimulavit, vel emendavit. *S. HIERONYMVS* prudentiſſimi, fortiſſimi, doctiſſimique viri elogio eum mactat. Humanitatem ejus, clementiam, aequitatem, moderationem, paſſim praedicant veteres. *DIODORVS SICVLVS lib. XVIII c. 14. IVSTINVS lib. XIII c. 6. CVRTIVS lib. VIIII c. 8: Ptolemaeus promptiſſimus bellator, et pacis artibus quam militiae major et clarior, modico civilique cultu, liberalis in primis, adituque facilis, nihil ex faſtu regio adſumſerat.* Ἐπιμανὲς εἰς τὰς γυναῖκας, *intemperantem usque ad inſaniam in mulieres amorem,* in eo coarguit *PAVSANIAS lib. I c. 6.* Add. *BEGERVS Theſ. Brand. Vol. I p. 261,* et *Vol. III p. 30.*

CCLXXVI. BERENICE.

Quarta et ultima Soteris conjux, et ſoror, ſi *THEOCRITI* Graeco interpreti ad *Idyll. 17* credimus, ſcribenti: Βερενίκην λέγει τὴν Λάγου μὲν θυγατέρα, γυναῖκα δὲ Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος. *Berenicem dicit Lagi filiam, conjugem Ptolemaei Soteris.* Haec autem non videntur concordare cum illis, quae *PAVSANIAS l. cit.* in literas miſit, eam nimirum, Philippi Macedonis cujusdam viduam, ab Antipatro Eurydicae (quae Lagidae tertia erat uxor,) comitem in Aegyptum miſſam, Soteri nupſiſſe. Philadelphum, quem Ptolemaeus jam prope moriens, ſibi regni ſucceſſorem declaravit, in inſula Co peperit.

Cum DIADEMATE exhibetur, cirris cervicem tegentibus, et pectore ſtolato, uti eſt in numo apud *Io. VAILLANT p. 26,* in quo tamen aures coma non ſunt tectae, uti in gemma, et numo *FVLVII VRSINI,* quem et *SANDRARTIVS T. II Part. 3 p. 56* profert.

CCLXXVII. ARSINOE.

In Ptolemaeorum familia eadem aetate vixerunt Arſinoë, Soteris filia, quae Lyſimacho, eoque occiſo, fratribus Ceravno et

Philadelpho nupsit; itemque Arsinoë, Lysimachi modo dicti filia, quam Philadelphus matrimonio sibi adjunxerat, multisque ex ea liberis susceptis, conjurationis convictam, Coptum Thebaidis urbem relegavit. Mox sororis amore ille victus, hanc matrimonii jure habuit, et constantissime coluit: at progeniem ex ea non tulit: Vtraque itaque fuit Philadelphi uxor; inde quaenam in numis signata sit, disquiritur. Illustris *SPANHEMIVS diss. V p. 409* (edit. nov. *diss. VII p. 424*) Lysimachi filiam dixerat, sed *diss. VIII p. 499* a *P. SEGVINI p. 46* sqq. et *PETR. FABRI* sententia non dissentit, et Soteris esse filiam, fratri tantopere dilectam, pariter enunciat, cum quibus etiam facit *Io. VAILLANT p. 43*, ubi, cur id credat, argumentis convincit, ac praeterea de diademate, velo et loto, capitis ornamentis, breviter disserit. Add. idem in *Aegypto Numismatica p. 201.*

DIADEMA non regum modo, sed et reginarum insigne quondam fuisse, veterum auctoritate confirmat *GRVTERVS* ad Vellejum, *lib. II cap. 122.*

Arsinoës hujus crebra fit mentio apud poëtas. *THEOCRITVS Idyll. XVII: Arsinoë multifariis bonis ornat Adonin.* Apud *CALLIMACHVM epigr. 5* concha eam alloquitur:

Ὄφρα γένωμαι
σοὶ τὸ περίσκεπτον παίγνιον Ἀρσινόης,

ut essem spectanti ludus gratior Arsinoaè, quae ibidem Cypris, Zephiritis et Chloris dicitur. *AVSONIVS* in *Mosella Eidyll. 10:*

Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulae
Dinochares: quadro cui in fastigia cono
surgit: et ipsa suas consumit Pyramis umbras,
jussus ob incesti qui quondam foedus amoris,
Arsinoën Pharii suspendit in aëre templi.
Spirat enim tecti testudine Corus Achates,
afflictamque trahit ferrato crine puellam.

CCLXXVIII. PTOLEMAEVS IVNIOR.

Cleopatrae frater, Auletae filius, admodum juvenis cum sorore regni partem accipit a Caesare, qui fratrem Ptolemaeum majorem, ob Pompejum interfectum, et regno et vita mulctaverat. *HIRTIVS* de *Bell. Alex. c. 33.* *STRABO lib. XVII p. 548.* *APPIANVS.* Conf. *LEON. AVGVSTIN. Gemm. P. I n. 36*, et *VAILLANT Hist. Ptolem. p. 163 seqq.* ubi de discrimine utriusque fratris haec posuit: *Hic Ptolemaeus puer ut annorum quatuordecim natus conspicitur, cujus imago etsi aliquam fratris majoris speciem praeferat, ab eo facile ipso intuitu discernitur. Adde quod fratris capilli paullo longiores sunt, Aegyptiorum regum praedecessorum*

more

more quaſi calamiſtrati; hujus vero tonſi, Romanorum exemplo, quaſi illorum conſuetudine uti voluerit.

CCLXXVIIII. CCLXXX. CCLXXXI. CCLXXXII. CLEOPATRA.

Plures fuiſſe hoc nomine reginas Syriae et Aegypti, res eſt pervulgata; has vero imagines Cleopatrae, ultimae Aegypti reginae eſſe, *L. AVGVSTINVS P. II n. 42, Part. I n. 79, SANDRART. Tom. II P. 3 pag. 49 plag. L,* et *BEGERVS* in *Contempl. Gemmarum quarund. Dactyliothecae Gorlaei p. 37,* cenſent. Arbitrabantur *GORLAEVS,* ejusque illuſtrator, *IAC. GRONOVIVS,* (ut de poſtrema gemma priori loco dicam,) Salutis genium eſſe. At Begerus Cleopatram, aut aliam quandam aſpidis morſu deficientem feminam agnoſcit, eo quod ſerpens capite deorſum verſo papillam mordeat, et ex vultu moribunda intelligatur. Cui opinioni ſuffragari videntur tum capilli, Aegyptiorum ritu calamiſtrati, tum *ZENOBIVS Proverbiorum Cent. V n. 24* ſcribens: Ἀπόπειραν δὲ τῆς σκήψεως ποιουμένη, ἐπέτρεψεν Ναήρα καὶ Χαρμιόνη ἐχίδνας παρ᾽ ἑκατέρῳ τῶν μαζῶν ἐπιθέσθαι· αἱ δὲ τοῦτο ποιήσασαι, ἀνῃρέθησαν· εἶθ᾽ οὕτως καὶ Κλεοπάτρα βασιλικῶς ἑαυτὴν περιστείλασα, ἔχιδναν ἐπέθηκε τῷ μαζῷ, καὶ ὑπ᾽ αὐτῷ ἀνῃρέθη. *Periculum igitur faciens, Naërae et Charmionae* (vid. *A. SCHOTTI Not.* ad *h. l.*) *mandavit utrique viperas ut papillis imponerent: quo facto ipſae perierunt. Dein et Cleopatra, regio compoſita cultu, angues* uberibus *appoſuit, ſicque interiit.* Reliqui brachio, non papillae, anguem admoviſſe, fere conſentiunt, qui alias de morte mulieris hujus pugnantia tradidere.

In gemmis reliquis diademate inſignita eſt, et in una earum, diademate et velo, divinitatis ſymbolo, unde poſt mortem eſſe effictam hanc gemmam, novimus. Obiit κεκοσμημένη βασιλικῶς, *regio cultu exornata,* diademate caput redimita, uti eſt apud *PLVTARCHVM* in *Antonio p. 954:* ἡ δὲ Χάρμιον, ſcribentem, ἤδη σφαλλομένη καὶ καρηβαροῦσα, κατεκόσμει τὸ διάδημα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, *Charmium* (ancilla, quam *ZENOBIVS* Χαρμιόνην vocat,) *jam lapſabunda, et capite gravata, componebat diadema, quo redimitum erat caput ejus. GALENVS lib. de Theriaca ad Piſonem c. 6: Memoriae eſt conſignatum, inventam eſſe, manu dextera capiti admota, qua diadema, ut veriſimile eſt, teneret, ut etiam mortua, ipſam ſpectantibus, regina eſſe videretur.* Idem nos docet, ex ptyadum genere fuiſſe aſpidem, qua mortem ſibi attulerit. Add. *ZONARAS Annal. lib. X c. 31.* Denique laudatus modo *PLVTARCHVS ibidem p. 927,* veneres ejus expreſſit omnes: *Figura Cleopatrae non erat per ſe usque adeo incomparabilis, neque ut obſtupefaceret ſpectatores; ſed habebat aculeos conſuetudo inevitabiles, formaque cum ſermonis illecebris, et morum ſimul circumfuſae conſuetudinem veneres ſtimulum aliquem infligebant. Adhaec loquentis voci inerat ſuavitas, ac linguam ſicut multarum organum*

ſidium prompte ad quemlibet ſermonem vertens, perpaucis ſane barbaris per interpretem, plerisque dabat per ſemetipſa reſponſa, ut Aethiopibus, Troglodytis, Hebraeis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis. Multarum inſuper linguas aliarum gentium dicitur tenuiſſe, quum anteceſſores ejus reges ne Aegyptiam quidem percipere ſuſtinuiſſent; nonnulli etiam deſiſſent Macedonicam. Conf. *VAILLANT p.166—198.*

CCLXXXIII. CCLXXXIIII. PTOLEMAEVS APION.

Filius erat Ptolemaei Phyſconis, ſeu Evergetis II, ex pellice Irene. Ei Cyrenarum regnum teſtamento legavit parens, et filius dehinc eodem jure Romanos heredes ſcripſit A. V. C. 657. Cognomen Apionis a macie accepit; erat enim corpore macilento. *SIGONIVS lib. I* de *Ant. Iur. Provinc.* et poſt eum *SCALIGER* in *Animadv. ad Euſeb.* duos hoc cognomine Ptolemaeos, et alterum quidem aridioris Libyae regem faciunt, *EVTROPII,* ut videtur, verbis obſcurioribus decepti; quae illuſtrat *H. VALESIVS* ad Amm. Marcellini *lib. XXII extr.* ubi unum tantum Apionis cognomine regem fuiſſe, aperte oſtendit, poſt cujus obitum Cyrenarum civitates aliquandiu liberas eſſe juſſerit, indeque a tyrannis vexatas, demum in provinciae formam redegerit ſenatus Romanus.

Gemmarum altera comam habet ad radiorum modum calamiſtratam, ſicuti et pictura Iſidis habetur. Agyptiis enim mos fuit cincinnis ornari. Eſt illa fere eadem, quae *AVGVSTINI P. I n. 37.* Altera proxime accedit ad gemmam Fulvii Vrſini apud *GALLAEVM n. 121,* et in fronte gerit ſive lotum, ſive laſerpicium aut ſilphium, Cyrenenſium ſymbolum, quod Aegyptiis divinitatem indicat. *CATVLLVS epigr. 7:*

Laſerpiciferis jacet Cyrenis.

De Laſerpicio fuſe egerunt *SALMASIVS* in *Homon. Hyles Iatr. c. 96. BEGERVS Vol. I p. 518* ſqq.

CCLXXXV. ANTIOCHVS MAGNVS.

Seleuci II Callinici, Syriae regis filius, qui puer annorum quindecim fratri Seleuco Ceramno ſucceſſit; rerumque geſtarum gloria *Magni* cognomen adeptus eſt, victor Achaei cognati, qui Aſiam cis Taurum regis titulo occupaverat. Contra eum, utentem Hannibalis conſiliis, Scipio Africanus fratri Aſiatico legatus ivit, uti ex *LIVIO, APPIANO,* aliisque Latinis pariter atque Graecis, ſatis conſtat. A Romanis tandem illa Aſiae cis Taurum parte multatus eſt. Add. *Io. VAILLANT Hiſt. Regum Syriae p. 68—152.*

Antiochus M. naſi apicem prominentem habuit; Antiochus Soter


Sarda.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
285
286
287
288
289
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
Sarda.
290
291
292
293
294
Sarda alba.
Sarda
Chalcedonius.
Sarda.
Sarda alba.
295
296
297
298
299
Achates
Sarda.
Sarda.
Sarda alba.
Sarda.
300
301
302
303
304

Soter reductam. *Beger. Vol. I Thes. Brand. p. 252,* et *Vol. III p. 16: Quis alius ex Antiochis naso tam oblongo, tamque acuto insignitur?*

CCLXXXVI. ALEXANDER THEOPATOR.

Genus Seleucidarum mentitus, regnum Syriae usurpavit, Demetrio Sotere occiso. Tantae moli quum esset impar, utpote qui in ganeo lustrisque lateret iners, post quintum regni annum occisus est. *Fvlv. Vrsinvs n. 8. Vaillant. p. 245. Beger. Vol. I p. 108,* ubi agnoscitur elata facies, iidem in gemma, qui in numismatibus, lineamentorum ductus, eadem oris projectio, genarum protuberantia, capillus, et oculorum vigor.

CCLXXXVII. CCLXXXVIII. DEMETRIVS NICATOR.

Soteris filius, pessimi ingenii homo, in Parthorum venit potestatem; in regnum deinde restitutus. Redux barbam prolixam, Parthorum more, in tempus nutrivit, seu in captivitatis memoriam, seu propter luctum mortui Antiochi fratris; uti docte notat *Vaillant p. 314.* Non itaque audiendus est *P. Faber,* qui ad *Vrsini* imagines, hunc inter Macedoniae reges collocat; nam in numis, hac effigie signatis, multa occurrunt, quae Seleucidarum originem suadent, de quibus alii.

CCLXXXVIIII. SELEVCVS VI.

Antiochi Grypi et Tryphaenae filius natu maximus, in parte Syriae regnat post patris mortem; et legitimus totius imperii heres diadema adsumsit, ut regnum ab usurpatore, Antiocho Philopatore patruo, sibi vindicaret, anno Seleucidarum 215, ut vult *Begervs Vol. I p. 259,* vel 217, secundum Cl. *Vaillant,* qui successionem in a. 216, victoriam de Philopatore in a. 217 rejicit. In numis Βασιλέως Σελεύκου Ἐπιφάνους Νικάτορος titulo superbit: unde antiquariorum alii hunc vultum Seleuci Nicatoris, regni fundatoris, esse censuerunt. Recte autem monuit illustr. *Spanhemivs diss. V pag. 375,* et *edit. nov. diss. VIIII p. 412,* intercedere *Epiphanis* nomen, quo minus huic adjudicetur numus, utpote quod Seleuci successores demum adsumserint. Et Cl. *Vaillant. p. 365* docet, Epiphanis cognomen hunc servasse in memoriam patris; uti Nicatoris seu Victoriosi, in monimentum relatae de patruo victoriae.

Caput ferina, tigridis, ut videtur, pelle aut nebride tectum est, et ungulae sub mento collectae in nodum, more Bacchi et bacchantium. Bacchus autem a Syriae regibus summopere colebatur, quod ex numis patet. Conf. *2 Maccab. VI, 7.*

CCLXXXX. ANTIOCHVS.

Hanc Syriae regis faciem, ex Cardinalis Farnesii numismate Tyriorum argenteo tetradrachmali caelatam in aere, protulit *FVLV. VRSINVS n. 18.* Cujus ex pluribus Antiochis imago illa sit, arbitrari rectius poterunt, quibus numum tractare manibus continget.

CCLXXXXI. STRATONICE.

Mithridatis, cognomine Magni, uxor vel pellex potius, magnae apud eum auctoritatis, cantoris cujusdam filia, quam e convivio, quo scite psallebat, illico in cubiculum deduxit. Bello, quod cum Romanis gessit, Symphorium arcem tenuit, ubi Mithridates in terram defossos habebat pecuniarum thesauros. Hos una cum arce, desertam se succensens, emisso ad commeatum parandum praesidio, Pompejo tradidit, qui ex illis, quae ornatum templis, et triumpho existimabat praebitura splendorem, sola accepit, reliquis Stratonicen se jussit oblectare. Ea hoc unum pacta erat, ut si forte Pompejus Xipharem filium in potestatem redigeret, matri eum servaret incolumem. His cognitis, rex interfecit Xipharem ad fretum, inspectante matre ex adverso litore, et cadaver insepultum projecit. *PLVTARCHVS* in *Pompejo p.638.* *DIO lib. XXXVII p. 38.* *APPIANVS* de *Bell. Mithrid. p. 405.*

CCLXXXXII. ARIARATHES.

Inundaverat belli fluctus universam fere Asiam, Alexandri M. auspiciis. Sola Cappadocia tum intacta mansit, quam Ariarathes tenebat, dejectus posthac regno a Perdicca, quod filius ejusdem nominis recuperavit. Ex eo tempore plures reges cognomines habuit Cappadocia; cui vero ex iis tribuendum sit numisma, ex quo Fulv. Vrsinus faciem hanc edidit, in ambiguis est. *BEGERVS Th. Br. Vol. III p. 11. 12,* numum cum imagine non absimili, adscribit Ariarathi V, qui *Eusebes* cognominatur. Filius fuit Ariarathis IIII et Antiochidis, filiae Antiochi M. Haec ei peperit duas filias et filium Mithridatem, quem adultum vocarunt Ariarathem. Erat Graecas literas doctus et philosophiam, qua digne vixit. Rarum certamen filius et pater certarunt de regno, hic offerendo, ille recusando. Vnde Philopatoris cognomen accepit. *DIODORVS fragm. libri XXXI* apud Photium *Cod. 244.* *POLYBIVS Legat. 112.*

CCLXXXXIII. ARTEMISIA.

Hecatomni filia, Cariae regina, conjugalis amoris gloria enituit, exstructo monumento magnificentissimo, quod inter septem mundi

mundi miracula locum habuit. Ipſa vero potui cineres miſcuit, tandemque, quum poſt maritum Cariae regnum biennio adminiſtraſſet, luctu confecta contabuit. Hinc Italus quidam imagini ejus ſubjecit:

Quae mulier? Cariae regina. Quid haurit? amatos
Mauſoli cineres. O ſitis egregia?

Stemma confecit *BEGERVS Vol. III p. 15.* Add. *P. SEGVINVS Sel. Num. c. 2 n. 6.* De Artemiſia pleni ſunt veterum aeque ac recentiorum libri, e quibus nominare libet *HERODOTVM lib. VII, STRABONEM lib. XIIII p. 451, 452. CICERONEM Qu. Tuſc. lib. III. GELLIVM lib. X c. 18. VALERIVM MAXIMVM lib. IIII c. 6 ext. 1. LAELIVM Horar. Subſecivar. lib. XVII c. 21. A. SCHOTTVM* in *Vita Demoſthenis ad a. 4 Olymp. 106,* quo Mauſolus e vita exceſſit. Mauſolei figuram ad imitationem deſcriptionis *PLINIANAE Hiſt. Nat. lib. XXXVI c. 5, CAVINI* docta manus effinxit, qui numus exſtat in *CLAVD. MOLINETI Muſeo S. Genovefae p. 115 n. 46,* ſed cur Artemiſiae effigies, quae alteram numi aream occupat, ibi abſit, cauſſam me latere fateor. Ea viſitur apud duumviros rei literariae maximos, *SPANHEMIVM Diſſ. VIII p. 519,* et *GISB. CVPERVM Apotheoſ. Homeri p. 236.*

CCLXXXXIIII. CCLXXXXV. PHILETAERVS.

Boa, muliere Paphlagone, utcunque ortus dicitur, Tejo oppidulo, princeps generis Attalicorum regum, cujus adhuc pueri in turba hominum genitalia colliſa: dein liberaliter educatus, regiae gazae, in arce Pergamena ſupra Caycum ſepoſitae, cuſtos a Lyſimacho, flagrantibus hunc inter et Seleucum bellis, illi fere adhaeſit, qui ſuperior; tandemque Arſinoae ſe ſuſpectum exiſtimans, quod ejus feminae artibus Agathoclem ſublatum doleret, poteſtatem regiam arripuit, nomine et diademate abſtinuit. *STRABO lib. XIII p. 428, 429. PAVSANIAS lib. I c. 8* et 10. *ATHENAEVS lib. XIII.* Viginti annos imperio uſus, octoginta natus, Eumeni fratris filio poſſeſſiones, quas acquiſierat, relinquit. Ab eo pes regius, ſedecim habens digitos, *philetaerius* dictus eſt. *SALMASIVS Exerc. Plin. p. 481.*

Caput laureatum, vel laureato diademate ornatum eſt, quale numus Mediceus praeferre viſus eſt erudito nuper illius gazae cuſtodi, apud *SPANHEMIVM Diſſ. V p. 468. SANDRARTIVS Academiae Teut. Tom. II P. 3 p. 35* coronam oleaginam tribuit, de qua eruditiſſimus commentator, quem *CHRISTOPH. ARNOLDVM* eſſe novimus, non indocta congeſſit.

CCLXXXXVI. IVBA.

Βασιλέων χαριέστατος, regum gratioſiſſimus, Iubae ſenioris, qui a Iulio Caeſare devictus eſt, filius, paternae calamitatis conſors, bello captus,

captus, et Romae A V. C. 708 in triumpho ductus, vel, ut alii ſcribunt, obſes a patre Romanis datus eſt, ubi bonas literas ſcientia et cognitione comprehendens, ex libris, quos in manus hominum dedit, praeſtantiſſimis, nominis celebritatem majorem quam ex regno aſſecutus eſt. Auguſtus denique illi atque Cleopatrae, quae et ipſa Auguſti, de Antonio et Cleopatra triumphantis, currum praeiverat, pro regno paterno multas Africae partes regendas, mortuo Boccho, conceſſit A. 729. Id vero memoria dignum antiquis viſum eſt, utrumque conjugem in triumpho ductum, et deinde regnaſſe. Tandem Iuba a Caligula ſublatus, occubuit. Hic Iuba ille eſt, qui Mauris volentibus deus eſt, apud *MINVTIVM FELICEM* in *Octav. p. m. 113.* Quem plura de inſigni hoc viro noſſe juvat, luculentos quaeſo adeat auctores, laudatos in diſſertatione mea Epiſtolica de *Praecipuis Heſperidum Scriptoribus,* quam b. *Io. CHRISTOPH. VOLCAMERI Heſperidibus Noribergenſibus, A. 1713* lingua Latina evulgatis, adjeci.

CCLXXXXVII. P T O L E M A E V S.

Iuba regnum, quod ſibi habendum Auguſtus permiſerat, filio Ptolemaeo transmiſit. Hic juventa incurioſus et libertis obnoxius, Mauris, quibus imperabat, iram movit, ut ſervile illorum jugum excutere belloque mutare tentarent. Sub Cajo imperatore, quem *conſobrinum* illius vocat *SVETONIVS* in *Cajo c. 26,* (Cajus enim Antonii erat pronepos, et Ptolemaeus nepos,) cruenta morte periit juvenis, per viam interfectus, quum damnatus in exilium iſſet. *SENECA* de *Tranqu. Animi c. 11: Ptolemaeum Africae regem, Armeniae Mithridatem, inter Cajanas cuſtodias vidimus: alter in exilium miſſus eſt; alter ut meliori fide mitteretur, optabat.*

Effigiem imberbem, et nunc diademate, nunc laurea, ut Romani Caeſares, ornatam, ex numis habent *TORRENTIVS* ad Suetonii *loc. cit.* et *SPONIVS* in *Miſcellan. p. 146.* At *GALLAEVS* et *SANDRARTIVS* ex Vrſino barbatum protulere, et *Io. FABER* Mauritaniae hunc regem eſſe, aſſeruit, cujus fide et nos tantisper ſtetimus.

CCLXXXXVIII. A F R I C A.

Minor dicta, proconſulibus olim paruit, Syrtim inter et Numidiam interjecta, ubi nunc regna ſunt Tunitanum et Tripolitanum, quae cum Numidia, Tremiſen et Algir complectente, et Mauritania, ubi nunc Feſſenſe et Maroccanum regna, communi jam nomine *Barbariâ* vocatur. Vid. *SEGVIN. p. 125.*

Africae typus feroci et rubicunda facie, capillo criſpo, ſpicis et ebore,

ebore, ſeu elephanti proboſcide, comas notatus deſcribitur *CLAVDIANO* de *Laud. Stilicon. lib. II v. 245:*

Spicis, et dente comas illuſtris eburno,
et calido rubicunda die.

Atque tali ornatu eſt in numis Auguſti apud *GOLZIVM tab. 35,* et in numis gentis Caeciliae, Ceſtiae, Eppiae et aliarum, paſſim. Sunt autem incolarum plerique truces adſpectu, quod et *O. DAPPER* in *Africae deſcript. p. 28,* inficias ire non potuit. *HORATIVS lib. IIII Od. 4:*

Dirus per urbeis Afer ut Italas,
ceu flamma per tedas, vel Eurus
per Siculas equitavit undas.

Et *VIRGILIVS lib. IIII v. 40:*

Hinc Getulae urbes, genus inſuperabile bello,
et Numidae infreni cingunt, et inhoſpita Syrtis:
Hinc deſerta ſiti regio, lateque furentes
Barcaei.

CRINIVM ornatui, ἐνουλισμοῖς πλοκάμων, mirum quantum ſtudebant Afri, et raro, una deambulantes, ſe contingebant, ut manerent compoſiti capilli, nec deformarentur. *STRABO lib. XVII p. 569,* de Mauruſiis ſeu Mauris: Καλλωπίζονται δ᾽ ὅμως κόμης ἐμπλοκῇ καὶ πώγωνι, καὶ χρυσοφορίᾳ, σμήξει τὲ ὀδόντων, καὶ ὀνυχισμῷ· σπάνιόν τε ἂν ἴδοις ἁπτομένους ἀλλήλων ἐν τοῖς περιπάτοις τοῦ παραμένειν αὐτοῖς ἄθικτον τὸν κόσμον τῶν τριχῶν. *Comas cincinnis exornant, et barbam comunt, aurumque geſtant, dentes tergent, unguium incrementa reſecant, ac raro videas inter ambulandum ſe mutuo contingentes, ut capillorum ornatus intactus maneat.*

De ELEPHANTIS, quorum pellibus pedites pro clypeis utebantur, praeter *STRABONEM* et reliquos, *MANILIVS Aſtronom. libr. IIII:*

Et vaſtos elephantas habet, ſaevosque leones
in poenas foecunda ſuas parit horrida tellus.

T. PETRONIVS ARBITER p. m. 60:

Quaeritur in ſilvis Mauris fera; et ultimus Ammon
Afrorum excutitur, ne deſit bellua dente
ad mortes pretioſa ſuas.

De elephantum dentibus, quos Euſtathius, et Iuba apud *PLINIVM lib. VIII c. 3, cornua* dicunt, ſed male, videndus eſt *GVIL. HILL* in *Comment.* ad Dionyſii *Orbis deſcript. p. 366.*

CCLXXXXVIIII. AMILCAR.

Barcas cognomine, *ortus Serrana priſci Barcae de gente,* Annibalis pater, virtute in adverſis invicta notiſſimus, *Io. FABRO* creditus, invito *GRONOVIO Vol. III,* qui Pyrrhum vel Autoleontem agnoſcit,

 ſcribens:

ſcribens: *Quin tu confer hoc caput cum Pyrrho, quem Gallaeus et Faber publicarunt, vel cum Autoleonte utriusque Theſauri, animadvertes lanuginem barbamque eandem, galeam ſimiliter in fronte depreſſam, etſi diverſa fabrica, et diſſimiles ſint naſum.* Quas lites alii dirimant. De Amilcare *SILIVS ITALICVS lib. XIII v. 732:*

Si ſtudium, et ſaevam cognoſcere Amilcaris umbram;
illa eſt, cerne procul, cui frons, nec morte remiſſa
irarum ſervat rabiem.

Et *lib. I v. 142:*

Atque hominum finem, Gades Calpenque, ſecutus,
dum fert Herculeis Garamantica ſigna columnis,
occumbit ſaevo Tyrius certamine ductor.

Sed et Poenorum duces criſtas et jubas pro galeae ornamento geſtaſſe, innuit idem *lib. I v. 524:*

Deciſae in vertice criſtae
direptumque decus nutantum in caede jubarum.

CCC. PHILISTIS.

Νόμισμα Φιλιστίδειον, cujus *SVIDAS* meminit, ab hac Philiſtide nomen traxiſſe, probabile eſt. Arripui Suidam, et diligenter, quantum potui intra anguſtum temporis ambitum, numiſma illud ſcrutatus ſum, ut, ſi rem ipſam non dilucidaret, tamen ad ſuspicandum duceret: at nihil profeci, et fruſtra eſt ſusceptus labor. In quadam Siciliae vel magnae Graeciae parte, ubi ut plurimum numiſmata hujus reginae reperiuntur, regnaſſe augurantur *Io. FABER* et *PARVTA*, qui quinque ejus numos conſpiciendos dedit; *BEGERVS Th. Br. Vol. I p. 300*, ſextum vulgavit, ſagaciter conjiciens, Melites atque Coſyrae inſulis eam imperaſſe. Idem ſub velo diadema agnoſcit, decentemque comarum mundum; et in velo ſummam veſtium Melitenſium tenuitatem, quam Tullius Verri non ſemel objicit. De ea audiendus eſt *DIODORVS lib. V p. 294:* Τεχνίτας τε γὰρ ἔχει παντοδαποὺς ταῖς ἐργασίαις, κρατίστους δὲ τοὺς ὀθόνια ποιοῦντας τῇ τε λεπτότητι καὶ τῇ μαλακότητι διαπρεπῆ. *Variorum enim operum artifices habet, inter quos excellunt, qui lintea inſigni ſubtilitate ac mollitie texunt.* Opinionis porro ſuae fundamentum collocat in illo *OVIDII Faſt. lib. III v. 567:*

Fertilis eſt Melite ſterili vicina Coſyrae.

Quod eo firmius foret, ſi *IOSEPHI SCALIGERI* emendatio locum haberet, ut τὸ *Melite* in caſu tertio poſitum eſſet. Ille nimirum de *Emend. Temp. p. m. 501*, hunc verſum recitans, ſubjicit: Sciensne ita ſcripſerit Ovidius, an fraus illi a librario, neſcio. Sane Coſyra eſt frugifera, Melite infrugifera, et vere ſterilis. Vide, an ita ſcripſerit poëta: *Fertilis eſt Melitae ſterili vicina Coſyra.*

Haec

Haec *Scaliger.* Equidem Io. Quintinus Heduus apud *Ph. Cluverium Sicil. Antiq. lib. II c. 6 p. 446*, fertilitatem Melites laudibus extollit: aliunde tamen ſatis conſtat, petroſam eſſe, omnique cultura adhibita vix tantum frumenti proferre, quod incolis per trimeſtre anni ſpatium alendis ſufficeret. Frumentatum itaque abeunt tum in Siciliam, tum in vicinam inſulam, Straboni *Gaudus*, vulgo *Gozo* dictam. *Ptolemaeus* et *Silius Italicus lib. XIIII v. 273. Coſſyram* appellant; alii *Coſſuram*, vel *Coſuram*, quae hodie *Pantalarea* vocatur, Selinunti obverſa. Conf. *Luc. Holstenius* ad Stephanum *de Urbibus voc.* Κόσυρος.

CCCI. GELO.

Gelonem agnoſcunt antiquarii ex frontis, oculorum, oris atque menti ſimilitudine, quam praeferunt numi, ejus nomine ſignati, apud *Parutam, Golzium, Begerum* et alios. Naſus eſt in gemma aquilinus, artificis fortaſſe vitio, quum in numis planior appareat. Erat hic Gelo Dinomenis filius, qui ſub Hippocrate contra Leontinos equitatum duxit, ἀνὴρ λαμπρότατος, *vir praeclariſſimus*, *Herodoti* judicio. Ex plebejo dux creatus contra Amilcarem Carthaginienſem eduxit, eumque ad Himeram ſtratagemate circumvenit, omnemque ejus exercitum concidit. Mox pacem aequis conditionibus conceſſit, atque ita benevolentia tum Poenos, tum Anaxilam, qui a partibus eorum ſteterat, ſibi adjunxit. Poſt hanc victoriam pari comitate inermis, ſolo tectus pallio, in concionem armatam prodit, omniumque favorem, ipſamque regiam dignitatem facile promeretur: qua et moderatiſſime uſus eſt per annos VI. Mortuum cives ſtatua honorarunt, ejusque conjugem praediis donarunt. *Conon Narrat. 42* apud Photium *Cod. 186 p. 450. Diodorus lib. XI p. 17, 29, 30. Polyaenus Stratag. lib. I.*

CCCII. HIERO.

Frater Gelonis natu maximus, vitiis ſuis deſiderabilem effecit fratrem, a quo regnum acceperat a. 3. Olymp. 76. Vicit Hiero Olympia et Pythia. Regno praefuit annos XI, menſes VIII. Fatis conceſſit Olymp. 78, quum altera vice Celete victoriam obtinuiſſet. *Pindarus Pyth. III* invidendo eum elogio mactat:

> \- - - Βασιλεὺς
> πραῢς ἀστοῖς, οὐ φθονέων ἀγαθοῖς,
> ξείνοις δὲ θαυμαστὸς πατήρ.
> *Rex clemens civibus, non invidens bonis,*
> *hospitibus autem admirandus pater.*

Conf. *Diodorus Siculus l. cit. p. 51.*

T 2 Corona

CORONA ornatus eſt ex olea ſeu oleaſtro, aut ex lauru, ut Olympiorum vel Pythicorum victor. Iſtud vero, quod ab aliis jam obſervatum eſt, et hic repetiiſſe non injucundum erit, neque Hieronem, neque reliquos ad Hieronymum usque Siciliae reges, diadema geſtaſſe. *LIVIVS lib. XXIIII cap. 5: Nam qui per tot annos Hieronem* (Hieroclis is eſt filius,) *ejusque filium Gelonem, nec veſtis habitu, nec alio ullo inſigni differentes a ceteris civibus vidiſſent, conſpexere purpuram ac diadema, ac ſatellites armatos.* Sed de quatuor Graecorum ludis, eorundemque praemiis epigramma eſt *ARCHIAE* poëtae in *Anthologiae lib. I:*

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα· Τέσσαρες ἱροὶ,
οἱ δύο μὲν, θνητῶν, οἱ δύο δ', ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,
ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.
Graecia concelebrat duo bis certamina ſacra,
quorum hominum duo ſunt, caetera caelicolûm.
Sacra Iovis, Phoebique, Palaemonis, Archemorique,
dona, oleaſter, erunt, mala, ſelina, pitys.

Legi omnino merentur doctiſſimi *ERASMI SCHMIDII Prolegom.* in Pindari *Olympionicas p. 9,* cui ex *P. FABRI Agoniſt. lib. II c. 22* addo, victores athletas, taeniis quoque, loco coronarum, donari ſolitos. Denique digni ſunt verſus *EVRIPIDIS* in *Autolyco,* qui ex *ATHENAEI lib. X p. 413* una cum verſione huc transcribantur:

Τὶ γὰρ παλαίσας εὖ, τί δ' ὠκύπους ἀνὴρ,
ἢ δίσκον ἄρας, ἢ γνάθον παίσας καλῶς,
πόλει πατρώᾳ στέφανον ἤρκεσεν λαβών;
Πότερα μαχοῦνται πολεμίοισιν ἐν χεροῖν
δίσκους ἔχοντες, ἢ δι' ἀσπίδων χεροῖν
θείνοντες ἐκβαλοῦσι πολεμίους πάτρας;
Ὀυδεὶς σιδήρου ταῦτα μωραίνει πέλας
στάς· ἄνδρας ὀυν ἐχρῆν σοφούς τε κἀγαθοὺς
φύλλοις στέφεσθαι, χ' ὅς τις ἡγεῖται πόλει
κάλλιστα σώφρων καὶ δίκαιος ὢν ἀνὴρ.
Ὅςτις γε μύθοις ἔργ' ἀπαλλάσσει κακὰ,
μάχας τ' ἀφαιρῶν καὶ στάσεις. τοιαῦτα γὰρ
πόλει τε πάσῃ, πᾶσι θ' Ἕλλησιν καλά.
Ecquid enim feliciter luctatus, ecquid pedum celeritate pernix,
aut diſcum in ſublime tollens, aut malas feriens probe,
coronam adeptus, patriae ſuae civitatique prodeſt?
An vero cum hoſtibus pugnaturi ſunt, in manibus
diſcos habentes? aut ſcutis, dum pedibus
currunt, hoſtem e patria aliquando ſunt ejecturi?
Sic nemo delirat, qui ad ferrum propius

conſtiterit.

constiterit. Aequum igitur, sapientes homines atque bonos
foliis coronari, et si quis civitatem optime
regit, temperatus ac justus vir:
qui oratione sua prava facinora submovet,
rixas et seditiones compescit: haec scilicet
sunt et toti civitati decora, et universae Graeciae.

CCCIII. ASANDER.

Quum Pharnaces, Mithridatis filius, rex Bospori Cimmerii, Romanis, bello Pompeji atque Caesaris civili distractis, bellum faceret in Armenia, Asander regni curator in Bosporo relictus, contra regem suum insurgit, spe Bosporani regni ab eis accipiendi. Deinde Pharnacen a Caesare fugatum, et Bosporum vi intrare nitentem, repulit atque interemit. Ἀσιτίᾳ vitam finivit anno aetatis 93, uxori Dynami regnum relinquens, quae postea Polemoni conjux data ab Agrippa, novo suo marito regnum firmavit. *Dio lib. XXXXII p. 233,* et *lib. LIIII p. 616.*

CCCIIII. RHOEMETALCES.

Thrax natione, frater Cotyis senioris, qui Rhescupori filio tutorem reliquit, eo necato in fugam conjectus est a Vologeso, contraque hunc defensus a Romanis, M. Lollio duce. Memor hujus beneficii, vicissim cum Romanis contra Dalmatas arma sociat, sub auspiciis Tiberii. Steterat antea ab Antonii partibus; inde ad Augustum discedens, sua opera Augustum superiorem evasisse arroganter jactabat, ab eoque responsum audiebat: *Proditionem amo, proditorem non laudo.* Denique sub Cajo Cotyos regnum ei concessum. *Dio lib. LIIII p. 612,* et *lib. LVIIII p. 745,* ex quo et *Tacito* historiam ejus luculente breviterque comprehendit *P. Seguinus Sel. Num. cap. 2 p. 32.*

CAPVT VI

CAPITA PHILOSOPHORVM, ORATORVM, POETARVM.

CCCV. CCCVI. CCCVII. CCCVIII. HOMERVS.

Adspice Maeonidem, a quo, ceu fonte perenni,
vatum Pieriis ora rigantur aquis.

OVIDIVS Amor. lib. III eleg. 9. Ejus vultum non traditum, ſed fictum, uti *PLINIVS* loquitur *lib. XXXV c. 2,* cum tantum habeamus; qualem tamen finxerint antiqui, ex Cedreno et Poëta Graeco diſcimus, quorum loca nobis praeivit illuſtr. *GISB. CVPERVS* in *Apoth. Homeri p. 6, 7. CEDRENVS* quippe, narrans incendium, quo Conſtantinopoli octogonum deletum eſt, accurate operis antiqui ſignum deſcribit: Ἑιστήκει τοιγαροῦν μετὰ τῶν ἐξαιρετῶν καὶ νοῦν ὑπερβαινόντων τούτων, καὶ Ὅμηρος, ὁποῖος ἦν, συνάγων τὸν νοῦν, τὼ χεῖρε συνζεύξας ὑπὸ τὰ στέρνα. καὶ πώγων αὐτοῦ ἁπλῶς καθεῖτο, θρίξ τε ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ὁμοία ἐν τοῖς ἑκατέρωθεν τοῦ βρέγματος ἀραιουμένη, τετριχωμένῳ δὲ τῷ προσώπῳ γήρατι καὶ ταῖς ὑπὲρ τοῦ παντὸς φροντίσι, ῥὶς μὲν ἦν μετρίως ἔχουσα πρὸς ἅπαντα, ὄμματα δὲ συνημμένα τοῖν βλεφάροιν, οἷον καὶ ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος ἔχει, τυφλὸν ἐμφαίνοντα, ἀνεβέβλητο δὲ καὶ τριβώνιον ἐπὶ χιτῶνι, καὶ ὅσον εἰς βάσιν ἱμάς τις χαλκοῦς τοῖς ποσὶν ὑπέκειτο, id eſt, vertente Xylandro: *Inter praecipua et ingenium ſuperantia opera ſtabat et HOMERVS, qualis fuerat cogitabundus, manibus conſertis infra pectus, barba ſine cultu promiſſa: capilli capitis aequales, rari ab utraque ſincipitis parte, facies prae ſenio hirſuta, ac curis de univerſo; naſus ad reliquas partes proportione aequali: oculi palpebris affixi, ita ut caeci formam prae ſe ferrent, qualem eum fuiſſe fama fert: ſupra tunicam pallio erat amictus, et ad baſin, infra pedes ejus lorum aeneum ſubjectum.* At cum πρόσωπος τετριχωμένος, vel *facies hirſuta prae ſenio et curis,* Homero, cujus jam barbam deſcripſit, convenire nequaquam poſſit, Cupero videtur ſcribendum, τετρυχωμένῳ, id eſt, attrito, confecto vultu, lapſis genis. Sic *HERODIANVS* καμάτοις καὶ φροντίσιν aliquem τετρυχωμένον, *laboribus et curis confectum;* Homerus ἐτείρετο γήραϊ λυγρῷ, et epigrammatis auctor, γήραϊ καὶ πενίῃ τετρυμένον dixerunt. Lorum autem pedibus ſubjectum forte reſpicit Ὁμηρομάστιγας, eosque a ſe indicat praeſtantia carminum ſuperatos. Similem ſtatuam poëta Graecus anonymus memorat *Anthol. lib. V:*


Αὐχένι μὲν κύπτοντι γέρων ἐπεσύρετο βότρυς
χαίτης εἰς ὀπίσω πεφορημένος, ἀμφὶ δ᾽ ἀκουὰς
πλαζόμενος κεχάλαστο· κάτω δ᾽ εὐρύνετο πώγων

ἀμφιτα-


Sarda.
305


Achates niger.
306
ΟΜΗΡΟΣ


Sarda.
307


Sarda.
308



Sarda.
309
ΚΡ


Sarda alba.
310



Sarda.
311


Sarda.
312



Sarda.
313



Achates niger.
314


Sarda.
315



Sardonyx.
316


Sarda.
317



Sarda.
318


Sarda.
319


Chrysolithus.
320
ΠΙΤΤΑΚΟΣ


Topasius.
321



Sarda.
322


Chryso. lithus.
323


Sarda.
324


Sarda.
325


Sarda.
326


Sarda.
327


Sarda.
328


Achates.
329



ἀμφιταθεὶς, μαλακὸς δὲ καὶ εὔτροχος· οὐδὲ γὰρ ἦεν
ὀξυτενὴς, ἀλλ' εὐρὺς ἐπαύετο, κάλλος ὑφαίνων
στήθεϊ γυμνωθέντι καὶ ἱμερόεντι προσώπῳ.
Γυμνὸν δ' εἶχε μέτωπον, ἐν ἁπλοκάμῳ δὲ μετώπῳ
ἥστασα σωφροσύνη κουροτρόφος.
A cervice quidem incurva cani pendebant cincinni
per tergora; circa tempora autem
negligentes volitabant: deorſum dilatabatur barba
undique protenſa, aequalis et mollis; neque enim erat
in acutum tendens, ſed lata, pulchritudinem conciens
pectori nudo et amabili vultui.
Nuda frons; in illa vero
ſtabat prudentia juvenes nutriens.

Adjicitque mox *γῆρα γλυκὺ, amabilem ſenectutem; σέβας ἀπολάμπειν μορφῆς, formae venerationem effulgere; et binas genas κοιλαίνεσθαι, καὶ γήραϊ ῥικνήεντι κατασχέτους, excavatas, et ſenectute rugoſa afflatas eſſe.* Haec *CVPERVS.* Vnicum hoc bene dicendi et bene judicandi ſive ſentiendi exemplum, et *στόμα κόσμου,* quibus elogiis poëtam collaudant *PH. MELANCHTHON* in *Schol. ad* Βατραχομ. et Epigrammatarius apud *SVVERTIVM* in *Analect. lib. I c. 11,* in numis, gemmis atque ſtatuis varie cuſus, fictus et ſcalptus habetur, modo cum diademate, veluti rex poëtarum, uti eum vocat *PLINIVS lib. VII c. 29,* modo nudo capite, coma et barba ad gratiam criſpa, interdum et promiſſa. Monet Cl. *BEGERVS Th. Br. Vol. I p. 419,* dubiam cenſeri effigiem, quae apud Vrſinum eſt; veriorem, quam Nob. Perottus ad Tabulam Iliacam attulit. Plures congeſſit *GRONOVIVS T. II tab. 18, 19, 20, 21.* Praeterea publicata eſt a *IAC. DE VVILDE Gemm. 158, p. 149,* a Cl. *MOLINETO* inter numiſmata *Muſei S. Genovefae Tab. XXII n. 8,* et inter numos Cavinianos *n. XXXXI p. 112.* A *PETITO* inſertus eſt diſſertationi de *Amazonibus c. 35. SERV. GALLAEO* de *Sibyllis p. 442.* Laudes Homeri, veteres aeque ac recentiores multo ſtudio cecinere, e quibus nomino *THEOCRITVM Idyll. XXII v. 218. NONNVM lib. XIII v. 50,* ad quem locum Ger. Falckenburgius Graeca quaedam epigrammata, in laudem Homeri et Menandri ſcripta, publicavit; *LVCRETIVM lib. III v. 1051. HORATIVM Art. Poët. v. 74. MANILIVM Aſtron. lib. II ab init. LEON. ALLATIVM* de *Patria Homeri et de ejus Natalibus. SCALIGERVM ad* Euſeb. *SELDENVM ad Marm. Arundel.* Praeclarum illud rei literariae ſidus, *IO. ALB. FABRICIVM Bibl. Graec. lib. II cap. VII* prioribus.

Gemmarum una caecum refert, quo caecitatis vitio ſive naturali ſive arceſſito laboraſſe, teſtatum reliquit tum ipſe *in Hymn. Apollinis,* tum vitae conditores, *HERODOTVS* atque *PLVTARCHVS;* itemque

que *PAVSANIAS lib. II c. 33,* et *lib. IIII c. 33.* *HESYCHIVS* Milesius de *Vitis Philosoph. p. 31,* ubi Suidam et alios testes nominat *Io. MEVRSIVS* in notis; dissentiente *VELLEIO lib. I c. 5.*

CCCVIIII. CCCX. C R I T H E I S.

CANINVS, et post eum *SANDRARTIVS,* hanc imaginem venditant pro Hecates sacerdote, quae Crysame dicatur, atque recitant historiam stratagematis, cujus ipsa Cnopo auctor fuerit. Noveram ex *POLYAENI lib. VIII,* eam Χρυσάμην dici. Neque ignotum erat, a Latinis literam H frequenter omitti; vid. *REINESIVS Inscript. Class. 1 n. 2 p. 6.* Legeram apud *Io. HENR. MEIBOMIVM in* Hippocr. *Iusjur. c. 1 n. 8,* in Asclepiadarum familia *Crisamin I* et *II,* quem apud *TZETZEM Hist. VII Chil. CLV, 953* Κρισάμιδα vocari; in gemma vero non hominem, sed feminam observabam. Ita mens in varias opinationes versa, nihil certi statuere audebat. Tandem quum in *GRONOVII Thesauro* animadverterem, ab ipso conjectura non improbabili vindicari hanc gemmam Homeri matri, cui *Critheis* nomen, in ea tantisper acquiescendum judicavi, dum certiora promere detur: neque enim de ipsa matre, quam Ietae *Clymenen,* Cyprii *Themisto,* dictitant, certi quid habetur. Vid. *PAVSANIAS lib. X c. 24.* Matris ingenium non rude ad has artes fuisse videtur, ipseque foecundam istam venam ex matre traxisse. *ALLATIVS* de *Patr. Hom. c. 12.* Critheis ex insula Io, quum uterum ferret, Aeginam concessit, indeque a latronibus abducta, Maeoni Smyrnaeo regi venibat, qui illam in matrimonium accepit. Ad Meletem deinde Homerum enixa, statim post partum exstincta est; (*HERODOTVS* narrat, Critheida, a ludimagistro solicitatam, pepigisse filii institutionem, et demum post maritum fatis concessisse;) at Maeon puerum pro suo educabat. *EPHORVS* tres fratres Cumanos fuisse memorat, Atellem, Critheidis patrem, Maeonem et Dium, Hesiodi genitorem. Critheida tutor Maeon compressit, ex quo furto Homerus natus sit; in quo consentit *HERODOTVS:* sed parentem Melanopum appellat.

De LAVRV, *μαντικῆς συμβόλῳ,* est apud *IVL. CAES. BVLENGERVM* de *Sortibus lib. I c. 3, GYRALDVM* de *Poëtarum hist. dial. 2.* et alibi quoque a nobis actum est.

CCCXI. H E S I O D V S.

Cumae natus, patre Dio, Ampelidis filio, et Ascrae educatus, gustata lauru, poëta factus est. De primatu certasse dicitur cum Homero, quod certamen in lucem emisit *H. STEPHANVS anno 1573.* Sub judice tamen adhuc lis est, utrum aequalis, vel major vel posterior,

rior, aetate fuerit. *GYRALDVS* et *FABRICIVS l. c.* unde de conjugio, liberis et morte ejus plura, ſi lubet, petantur.

In vultu tranquillitatem faciei agnoſcit *GRONOVIVS*, unde fluxerit diviſio meditationum, ut ſeparatim mores, deos, origines aliaque tractaret, quae Homerus fervidior omnia potuit conjungere, uti animadvertit *MAXIMVS TYRIVS*. *OVIDIVS Faſt. lib. VI v. 13.*

Ecce deas vidi, non quas praeceptor arandi
viderat, Aſcraeas quum ſequeretur oves.

PROPERTIVS lib. II eleg. 34:

Tu canis Aſcraei veteris praecepta poëtae,
quo ſeges in campo, quo viret herba jugo.

Tumulo ejus ab Orchomeniis hoc additum eſt monumentum:

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου· τοῦ πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστὶν
ἀνδρῶν κρινομένων, ἐν βασάνῳ σοφίης.

Fertilis Aſcra quidem patria eſt, verum morientis
pugnaces Minyae condita membra tenent
Heſiodi, cujus ſuper omnes plurima laus eſt
ſpectatosque viros, judicio Sophiae.

CCCXII. CCCXIII. CCCXIIII. CCCXV. CCCXVI. CCCXVII.

S O L O N.

De more Graeco prodeo in ſcenam Solon,
ſeptem ſapientum fama cui palmam dedit.

AVSONIVS in *ludo VII Sapientum.* Exceſtridis filius, illuſtri genere, ex Cypria Salamine oriundus, ad principatum Athenis adſpiravit, quem tenuit a. 3, Olymp. 46, quo tempore ſaluberrimis legibus remp. firmavit. Poſtea quum Piſiſtratus tyrannidem invaſiſſet, ſua ſponte in exilium abiit, et in inſula Cypro octuagenarius diem ſupremum clauſit. Plura de ejus poëſi legi poterunt apud *GYRALDVM dial. 3.* Sententias ejus ſelectiores, verſibus complexus eſt idem *AVSONIVS*, quas et hic legiſſe non pigebit:

Dico tunc beatam vitam, quum peracta facta ſint.
Par pari jugator conjux, quicquid impar, diſſidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveris.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.
Certa ſi decreta ſors eſt, quid cavere proderit?
Sive ſint incerta cuncta, quid timere convenit?

Quatuor Solonis gemmas recenſet et cenſet ὁ πάνυ *GRONOVIVS T. II n. 31.* Vrſinianae fere conveniunt noſtrae calvitie, crinibus, fronte

V rugoſa,

rugoſa, oculis, naſo adunco. CALVITIES prudentiae indicium. In *DIOGENE LAERTIO* totus vertex crinibus ſemiflexis tectus eſt.

Vltima gemmarum anonymi vultum impreſſum habet, quem Solonis eſſe, ex ſimilitudine lineamentorum conjicimus.

CCCXVIII. CCCXVIIII. CCCXX. CCCXXI. PITTACVS.

Mitylena oriundus Pittacus ſum Lesbius.

Moderationis ſpectatae exemplum, qui, ut Suidas habet, remp. per decem annos tenuit, optimeque conſtituit: deinde ad privati fortunam reverſus, feliciſſime et citra invidiam vixit ad annum LXXI, vel C, ut Lucianus indicat. Mortuus eſt a. 3 Olymp. LII. Alcaei dicacitate impetitus, cui φύσκων propter craſſitiem, καὶ γάστρων, καὶ ἀγάσυρτος, dicebatur, eo quod diſſolutus, negligens atque etiam ſordidus eſſet. Sed et ipſe poëtica laude inclaruit, ſcripſitque elego carmine non pauca. Cenſuram exemplorum, quae Vrſinus, Bellorius, Caninus, Gallaeus, propoſuere, apud eundem *GRONOVIVM T. II n. 32,* rectius leges. Sententias ex *AVSONIO* hic repeto:

Loqui ignorabit, qui tacere neſciet.
Bono probari malo, quam multis malis.
Demens ſuperbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisque legem ſanxeris.
Plures amicos re ſecunda compara.
Paucos amicos rebus adverſis proba.

CCCXXII. MILO CROTONIATES.

Viribus ille
confiſus periit, admirandisque lacertis.

IVVENALIS Sat. X. Et ingenii et corporis viribus inclytus, a Crotoniatis dux creatus, cum C millibus ſuorum fudit fugavitque hoſtium Sybaritarum CCC millia. *Ὁ γὰρ ἀνὴρ οὗτος ἑξάκις ὀλύμπια νενικηκὼς, καὶ τὴν ἀλκὴν ἀκόλουθον ἔχων τῇ κατὰ τὸ σῶμα φύσει, λέγεται πρὸς τὴν μάχην ἀπαντῆσαι κατεστεφανωμένος μὲν τοῖς ὀλυμπιακοῖς στεφάνοις, διεσκευασμένος δὲ εἰς Ἡρακλέους σκευὴν, λεοντῇ καὶ ῥοπάλῳ. αἴτιον δὲ γενόμενον τῆς νίκης θαυμασθῆναι παρὰ τοῖς πολίταις. Hic vir cum vires animi naturae corporis conſentaneas haberet, ſexies ad Olympiam victor exſtiterat: et tum Olympicis redimitus corollis, Herculisque ritu leonina pelle et clava inſignis, pugnae certamen adibat: et quod victoriae popularibus cauſſa fuiſſet, magnae illis admirationi fuit.* De eo *CICERO* in *Catone c. 9. OVIDIVS Metam. lib. XV v. 229. PLINIVS lib. VII c. 20. VALERIVS MAXIMVS lib. VIIII c. 12. SOLINVS c. 4. PAVSANIAS lib. VI c. 14. STRABO lib. VI p. 181. AELIANVS Hiſt. Var. lib. II c. 24,* et *lib. XII c. 22.*

c.22. *SVIDAS.* *SCHOLIASTES* in Ariſtophanis *Ranas.* *AFRICANVS* in ἀναγραφῇ, unde conſtat, eum πάλη viciſſe Olymp. 62, non prima, uti *GELLIVS lib. XV c.16,* dicit, ſed perperam. Conf. *GVL. LLOYD* in *Serie Chronol. Olympiadum ad Olymp. 1* et *62.* Epitaphium Milonis apud *ATHENAEVM lib. X p. 412,* exſtat:

Τοῖος ἔην Μίλων, ὅτ' ἀπὸ χθονὸς ἤρατο βρῖθος
  τετραετῆ δάμαλιν ἐν Διὸς εἰλαπίναις,
ὤμοις δὲ κτῆνος τὸ πελώριον ὡς νέον ἄρνα
  ἤνεγκεν δι' ὅλης κοῦφα πανηγύρεως.
Καὶ θάμβος μέν· ἀτὰρ τοῦδε πλέον ἤνυσε θαῦμα,
  πρόσθεν Πισαίου ξεῖνε θυηπολίου.
Ὃν γὰρ ἐπόμπευσεν βοῦν ἄζυγον, εἰς κρέα τόνδε
  κόψας, πάντα κατ' ὂυν μοῦνος ἐδαίσατό νιν.

Talis erat Milo, cum e terra ſuſtulit onus, quadrimam juvencam in Iovis conviviis, pecudem ſane ingentem, tanquam novellum agnum leviter ferens per totum illum hominum conventum. Ad quod obſtupuerunt: verum quod majori dignum eſt admiratione, ille patravit ante aram, o hoſpes, ad quam Piſis Iovi ſacrificant: quem enim bovem jugo ſolutum in pompam deduxit, in carnis fruſta diſciſſum comedit ſolus. Statua ejus aenea qualis fuerit, Apollonius declaravit apud *PHILOSTRATVM* in *Vita lib. IIII cap. 28.* Plura de eo *BEGERVS* dabit *Th. Br. Vol. I p. 97, 98.*

CCCXXIII. CCCXXIIII. ALCAEVS.

Non, ſi priores Maeonius tenet
  ſedes Homerus, Pindaricae latent
  Ceaeque et Alcaei minaces,
  Steſichorique graves Camaenae;
Nec, ſi quid olim luſit Anacreon,
  delevit aetas.

Erat Alcaeus bibax poëta lyricus, qui poëmata ſua bene potus condebat, *ATHENAEVS lib. X p. 429, 430,* perennis Pittaci inimicus, cui et carminibus illudebat, forte quod contra ipſum, cum ſociis exſilio mulctatum, Mitylenaei elegerant Pittacum. *DIONYSIVS* Halicarnaſſeus *Antiq. Rom. lib. V p. 336.* Hic vero, quum in manus veniſſet, captivum impune dimiſit. Nihilominus, quia tyrannos inſectabatur, aureo eum plectro donatum eſſe, teſtantur *HORATIVS lib. II od. 13,* et *QVINTILIANVS lib. X cap. 1.* Reliqua videantur apud *GYRALDVM* et caeteros. Obiter hic fragmentum interſero, quod inter Lyricorum λείψανα, a *STEPHANO* edita, non reperitur. Eſt illud ab *ARISTIDE* conſervatum apud *PHOTIVM p. 1289:* Μόνος δέ μοί δοκεῖ πάντων ἀνθρώπων ἢ κομιδῇ γε ἐν ὀλίγοις δεῖξαι Θεμιστοκλῆς ἀληθῆ τὸν λόγον ὄντα, ὃν πάλαι μὲν Ἀλκαῖος ὁ ποιητὴς ἔιπεν· ὡς ἄρα ὀυ

 λίθοι,

λίθοι, οὐδὲ ξύλα, οὐδὲ τέχνη τεκτόνων αἱ πόλεις εἶεν, ἀλλ᾽ ὅπου ποτ᾽ ἂν ὦσιν ἄνδρες αὐτοὺς σώζειν εἰδότες, ἐνταῦθα τείχη καὶ πόλεις. Solus porro vel inter paucos admodum videtur hoc dictum Themiſtocles comprobaſſe, quod cum Alcaeus poëta protuliſſet olim, multi poſtea uſurparunt : Non lapides, non ligna, nec fabrorum artem civitates efficere ; ſed ubi viri ſunt, qui ſe ipſos ſervare norint, ibidem et urbes eſſe et moenia.

Quae de Alcaei imaginibus disputat *GRONOVIVS*, pluſcula ſunt, quam ut hic repetantur ; maxime quum litem ab eo viris ſummis, Vrſino, Bellorio, Gallaeo, Canino aliisque intentatam, nec ſuscipere liceat, nec repellere.

CCCXXV. SAPPHO.

Decima illa Muſa, quam vocant, a Mitylenaeis et Graecis paſſim culta ſtatuis, imaginibus et numis, quorum unus itemque alter ad nos pervenit, a *GOLZIO* et aliis ſervatus. Gemma noſtra a Golziano numo parum discrepat. Amore infamem reddere nituntur maſculam Sappho non pauci veterum, quorum loca collegit *IO. MEVRSIVS* ad Heſychium *de Viris claris p. 194, 195 ;* ſed incaſſum. Conf. *IOS. SCALIGER Auſon. Lect. lib. II c. 18.* Reliqua petas licet ex *GYRALDO, VOSSIO* et reliquis. *HORATIVS lib. II Od. 13:*

Quam paene furvae regna Proſerpinae
et judicantem vidimus Aeacum,
ſedeisque deſcriptas piorum, et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

Apud *OVIDIVM Epiſt. XV v. 29,* ipſa de ſe Sappho:

Nec plus Alcaeus, conſors patriaeque lyraeque,
laudis habet ; quamvis grandius ille ſonet.
Si mihi difficilis formam natura negavit ;
ingenio formae damna rependo meae.
Sum brevis. at nomen, quod terras impleat omnes,
eſt mihi: menſuram nominis ipſa fero.
Candida ſi non ſum ; placuit Cepheïa Perſeo
Andromede, patriae fuſca colore ſuae.

TAENIAE, *κεκρυφάλου* ſeu reticuli in modum caput circumligantes, Graecis *ἀναδέσμη* et *ἀνάθημα* dicebantur. *HESYCHIVS : Ἀναδέσμη, μίτρα* (non *μήτρα,*) *ἀνάδημα. οἱ δὲ εἶδος κόσμου ἐπὶ κεφαλῆς.* Quod *PAVLVS* confirmat *l. 26 D. de auro, arg. legat.* ſcribens : *Similiter ornamentorum eſſe conſtat, quibus uti mulieres venuſtatis et ornatus cauſſa coeperunt ; neque referre, ſi quaedam eorum alium quoque uſum praebeant, ſicuti mitrae et anademata: quamvis enim corpus tegant, tamen ornamentorum, non veſtis eſſe.* Latinis vocantur *rica* vel *ricula ;* (vid. dicta

cap. I

cap. I n. 40.) et generali voce *redimiculum*. Glossae veteres: *Redimiculum*, καθετὴρ, ἀνάδεσμος. FESTVS. *Redimiculum vocant mulieres catellam, qua maxime utuntur ornatus caussa*. Ἀναδήματα Etymologicum M. explicat στεφανώματα. ἀναδεῖσαι, τὸ ταινιοῦσθαι. Et *HESYCHIVS* jam citatus: Ἀνάδημα, στέμμα, ᾧ τοὺς ἱερονίκας ἀναδεσμοῦσιν. Et *SVIDAS*: Ἀναδέσμη, ὅμοιόν τι διαδήματι, ἢ μίτρα κεφαλῆς. *Simile quiddam diademati, vel capitis fascia. Capitis ornamentum, Redimiculum. Vittae.* POLLVX ex Aristophanis *Thesmophoriazusis* μιτρὰς et ἀναδήματα conjungit *lib. VII c. 22*, itemque *PHILOSTRATVS* in *Vita Apollonii lib. IIII c. 28*, μίτραν et ταινίαν promiscue ponit. Sed accuratius in haec talia abstrusae antiquitatis lenocinia, si tanti videbuntur, inquirant alii.

CCCXXVI. ANACREON TEIVS.

Tanti erat nominis, ut literae A. T. dicerent, quem nosse volebant alii. Polycratis tyranni favorem sectabatur, gulae et veneris appetentissimus, uti ipsius carmina loquuntur. Vixit, ut plerique tradunt, Olympiade LXII, et quinque octoginta annos natus obiit, acino uvae passae suffocatus. Quam hic conspicis effigiem, Canini exemplo accedit; eam vero *GRONOVIVS* ita diversam judicat, ut vix quidquam simile habeat Vrsinianae, ac plane dicas exhiberi caput Bathylli, vel crinium positus ab ipso *ANACREONTE* descriptos *Ode 29*:

Λιπαρὰς κόμας ποίησον,
τὰ μὲν ἔνδοθεν, μελαίνας,
τὰ δὲ ἐς ἄκρον ἡλιώσας.
Ἕλικαν δ᾽ ἐλευθέρους μοι
πλοκάμων ἄτακτα συνθεὶς,
ἄφες ὡς θέλουσι κεῖσθαι.

Taenia nimirum cincti sunt crines sursum se erigentes; in quo nonnemo artificis manum ingeniosam agnoscit, sapientius quid sub hoc schemate occultantis, quasi Platonis illud in animo habuerit, typo aliquo oculis mortalium subjicere, hominem esse arborem inversam, cujus radices sint crines. Quae nos solerter excogitata in medio relinquimus.

CCCXXVII. ZALEVCVS.

Sola Vrsini fide hucusque agnita est Zaleuci tranquilla facies, eaque lauro coronata. Ille quidem ex numismate eam protulit primus; at hoc suspectum habetur. Erat autem Zaleucus ex Pythagorae schola legislator Locrensium adeo severus, ut legum disciplinam vel in suos et in se ipsum non remiserit, atque pro altero filii adulteri oculo suum sibi erui pateretur. Charondae plerumque jungitur; quorum

pari *C. RITTERSHVSIVS*, ſplendidiſſimum quondam Academiae Noricae ſidus, orationem dicavit,in qua non indiligenter congeſſit,quicquid de celeberrimis hisce duobus legumlatoribus apud optimos quosque utriusque linguae auctores exſtat memorabile, qua ad eorum vitam, qua ad legislationem pertinens. De hac quoque *LVDOV. MALQVYTIVS* legi poterit de *Vera ICtorum Philoſ. lib. II c. 23.* Zaleuci praeceptum inter alia hoc erat: *Si quis Locrorum epizephyriorum ſine medico biberit aeger, ſanatus quoque morti dator, quoniam ſine imperio bibit.* Cujus praecepti memores eſſe velim non eos tantum, qui ipſi ſibi medicinam faciunt; ſed illos maxime, qui artis iatricae ſacris nequicquam initiati, ad medica auxilia aliis ferenda proſiliunt; ne poſthac ſive ſuam ſive aliorum vitam periculis temere exponant.

CCCXXVIII. CCCXXVIIII. CCCXXX. CCCXXXI. CCCXXXII.
SOCRATES.

Naturae hoc miraculum forma quidem adeo deforme erat, ut convitio locum dederit; ſed anima, cui tam ridiculum hospitium metata erat natura, excellentior intus latebat, quam factis et dictis plane divinis nobilitavit, ut ſapientiſſimus ab oraculo, et *ſermones Socratici* pro optimis, haberentur *PLINIO lib. III epiſt. 12.* Tantus quum intus lateret ſpiritus, Silenis, quibus facie ſimilis erat, et Marſyae eum comparabat Alcibiades: erant autem Sileni turpiſſimo vultu imagunculae, ſed ita confectae, ut apertae divinitatem oſtenderent. Ceterum hoc cultu Socratem in ſcenam fuiſſe productum, facile cuivis perſuadeo. *POLLVX lib. IIII ſegm. 143: Comicae perſonae veteris quidem comoediae plerumque hominibus, quos ſugillabant, ſimiles erant, aut majori cum ludibrio effingebantur.* Convitio autem iſti ipſe videtur anſam praebuiſſe, qui ridibundus doceret, cujusque omnes disputationes ſuavem prae ſe ferrent ironiam. *CICERO* de *Orat. lib. III: Socrates fuit is, qui omnium eruditorum teſtimonio, totiusque judicio Graeciae, cum prudentia et acumine, et venuſtate, et ſubtilitate, tum vero eloquentia, veritate, copia, quam ſe cunque in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps.*

De ſene hoc uti populi, urbes, homines, quondam certarunt ſpectando; ita artifices fingendo et ſculpendo: unde tantus imaginum numerus apud *GORLAEVM, CHIFLETIVM, GRONOVIVM, BEGERVM* et alios.

CALVITIVM omni quidem aevo probroſum fuit habitum idiotis, quum revera non ſit vitium, ſed probitatis indicium, quod veneratione dignos innuit, docente *IO. BONIFACIO* in libro ingenioſiſſimo, cui titulus: *L'Arte de' Cenni, Part. I c. 11,* et canente illius nepote, *BALTHASARO BONIFACIO:*

Depilis

Achates niger
332

Sarda.
331

Hyacin-thus.
330

Sarda.
333

Jaspis.
334

Sarda.
335

Acha tes.
338

Chalcedo-nius.
336

Sarda.
337

Topasius.
339

Sarda.
340

Sarda.
341

Sarda.
342

Grana-tus.
343

Sarda.
344

Sarda.
345

Chalce-donius.
346

Acha tes.
347

Chalce-donius.
348

Achates.
349

Sarda Alba.
350

Jaspis.
351

Sarda.
352

Sarda.
353

Jas Opis ?
354

[illegible]

Depilis est factus vertex, ut pulchrior esset,
utque foret coelum, quod modo terra fuit.

CAPILLOS in cervice promissos parum curabat, quod exprobrat illi *ARISTOPHANES* in *Avibus:*

Ἐκόμουν, ἐπείνων, ἐῤῥύπουν, ἐσωκράτουν,
Comabant, esuribant, squallebant, socratisabant.

Ὄμματα ταυδαράσται convitio objiciuntur Socrati a *LVCIANO*, *THEODORETO Graecar. Affect. serm. 12*, a *SENECA epist. 104*, Lucilio apud *NONNIVM* in *signare*, aliisque.

De BARBA *PERSIVS Sat. IIII:*

Barbatum haec crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae.

Sed Iliada post Homerum scriberem, si post *CHIFLETIVM* de Socratis forma, calvitie, tuberosa fronte, naso simo, taurino adspectu, oculis emissitiis, eminentibus superciliis, boni ponderis barba, qualem τάλαντα πώγωνος dicit *SYNESIVS*, plura subjicere laborarem. Socratem itaque *in* illius *Socrate* quaerat, qui reliqua de eo nosse desiderat. Videndi quoque sunt, praeter citatos hinc inde scriptores, *SCALIGER* ad Eusebium *p. 102*, *SELDENVS* ad *Marm. Arundell.* et alii.

CCCXXXIII. CCCXXXIIII. HERACLITVS.

Blysonis vel Heraciontis filius, Ephesius, claruit circa Olymp. LXVIIII. Σκοτεινός, aqua intercute laborans, fimo bubulo oblinitus, et a canibus laceratus, obiit sexagenarius; luctu et lacrymis, quas profudisse memoratur, quoties prodiret, notissimus. *SIDONIVS APOLLINARIS carm. 2:*

Quicquid Pythagoras, Democritus, Heraclitus,
deflevit, risit, tacuit.

Gemmas nostras verbis Cl. *BEGERI* describo, qui *Thes. Br. Vol. I* fere similem exhibet. *Caput vides,* inquit, *admirando sculptoris artificio elaboratum. Non tam vultum refert, quam animum, acerbo miseriarum dolore subactissimum. En contracta in luctum supercilia! en abditos in lacrymas oculos! en marcentes doloribus genas! Quid barbam memorem, et prolixa et inculta lenitate venerabilem? quid pallium* (quod gemmarum altera non habet,) *infra barbam, neglecto fluore volubile? Et barba et pallium philosophum arguunt: et inter philosophos Heraclitum arguit luctus, quem gemma praefert, nativis ductibus expressum.*

De BARBA Cynicorum et Stoicorum, *LVCILII*, itemque poëtae incerti, exstant epigrammata, *Antholog. lib. II c. 52.* Add. *CASAVBONVS* ad Persii *Sat. I in fin.*

De PALLIO philosophorum, *SALMASIVS* in *notis* ad Tertullianum de *Pallio p. 3 seqq.* et *FRANC. FRANCVS* (qui ipse est *SALMASIVS*,)

in

in *Confutat. Animadv.* Ant. Cercoëtis (qui Petavius eſt) *p. 5 ſqq.* Vnicum ex latina verſione adſcribo locum *ARRIANI* ad Epictet. *lib. IIII c. 8: Quid hoc? hic philoſophus. Quare? quia pallium habet et comam. Praeſtigiatores vero quid habent? Propterea ſi quis eos aliquid indecore facientes videt, ſtatim dicit: Ecce philoſophus facit: cum potius ob indecore facta negandum eſſet, eum eſſe philoſophum. Nam ſiquidem id philoſophi inſtitutum eſſet atque profeſſio, habere pallium et comam; recte dicerent: ſin illa potius eſt, ut nihil delinquat, cur non potius, quia profeſſioni ſuae non reſpondet, appellationem eam iſti adimunt?* Et poſt pauca: *Quae praecepta illius ſunt? num quo pacto barba magna fiat, aut coma promiſſa?*

De barba et pallio medicorum, *Io. HENR. MEIBOMIVS* in Hippocratis *Iusjur. c. 5 n. 32 ſqq.*

CCCXXXV. DEMOCRITVS.

Fictam gelaſini alicujus cachinnantis perſonam pro Democritea exhibitam eſſe ex marmore, *GRONOVIVS* judicat. Subtiliſſimus hic antiquorum omnium, quo elogio eum condecorat *SENECA Nat. Quaeſt. lib. VII c. 3,* frater erat Herodoti et Damaſi, qui egentem aluit: ille enim omnia ſua partim patriae donavit, partim ſtudiis et peregrinationibus inſumſit. *AELIANVS Hiſt. Var. lib. IIII cap. 20.* Ad Magos usque penetravit, illorumque et aliorum ſui aevi doctorum inſtitutis ingenium acuit, multaque rerum cognitione imbutus, omnia vana eſſe ſenſit, ideoque deriſit. *HORATIVS lib. II epiſt. 1 v. 194:*

Si foret in terris, rideret Democritus.

IVVENALIS Sat. X v. 28:

Iamne igitur laudas, quod de ſapientibus alter
ridebat, quoties de limine moverat unum
protuleratque pedem; flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi cenſura cachinni:
mirandum eſt, unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, quanquam non eſſet urbibus illis
praetexta et trabeae, faſces, lectica, tribunal.

Add. *SENECA* de *Tranquill. animi c. 15,* et de *Ira lib. II c. 10.* A Medicina eum laudat *Q. SERENVS SAMMONICVS c. 29.* Mortuus eſt 109 aetatis anno. *LVCRETIVS lib. III v. 1053:*

Denique Democritum poſtquam matura vetuſtas
admonuit, memores motus langueſcere mentis,
ſponte ſua leto caput obvius obtulit ipſe.

De coecitate ejus vid. *TVLLIVS Tuſcul. Quaeſt. lib. V,* et de *Finib. lib. V c. 29.* Laberius apud *GELLIVM lib. X c. 17:*

Demo-

Democritus Abderites, physicus philosophus,
clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
oculos effodere ut posset splendore aereo.
Ita radiis solis aciem effodit luminis,
malis bene esse ne videret civibus.
Sic ego fulgentis splendorem pecuniae
volo elucificare exitum aetati meae;
ne in re bona esse videam nequam filium.

De insania HIPPOCRATES *epistola ad Philopoemenem T. II opp. edit. L. B. pag. 907,* et *epistola Abderitarum p. 901.* *Io.* TZETZES *Hist. I Chil. LXI. 978.* Vitam praeterea illustrarunt HESYCHIVS de *Viris claris.* SCALIGER ad Eusebii *Chron.* IONSIVS. MENAGIVS. OLAVS BORRICHIVS de *Chemicorum Sapientia.* MICH. MAIERVS *Symbol. Aureae mensae lib. III p. 91 sqq.* TH. STANLEIVS et plures.

CCCXXXVI. CCCXXXVII. CCCXXXVIII. HIPPOCRATES.

Stirpem divini hujus senis, a gente paterna Asclepiadarum et Heraclitarum materna deductam, post REINERVM REINECCIVM et HIERON. HENNINGESIVM, ex omni antiquitate collegit diligentissimus *Io.* HENR. MEIBOMIVS in *Iusjur.* Hippocratis *c. I n. 8.* Vitam vero SORANVS Ephesius scripsit. Et DAN. LE CLERC in *sua Medicinae Historia,* integrum *partis I librum III, capitibus 33* constantem, vitae Hippocratis et dogmatibus describendis impendit; et in frontispicio libri gemmam cum illius imagine profert ex cimeliarchio regis Galliae, quae cum prima nostra sic satis convenit. Natus Olymp. 80, vixit annos 104. MACROBII elogio, tam fallere quam falli nesciebat. NICOMEDIS vel BASSI distichon ἀντιστρέφον est in *Anthol. Graec. lib. I c. 39:*

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαῶν
   ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.
Lux hominum Hippocrates, populos tutatus, in orco
   fecit, ut umbrarum copia rara foret.

Incertus ei tale posuit epitaphium, *ibid. lib. III c. 15:*

Θεσσαλὸς Ἱπποκράτης, Κῷος γένος, ἐνθάδε κεῖται,
   Φοίβου ἀπὸ ῥίζης ἀθανάτου γεγαώς,
πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὅπλοις ὑγιείης,
   δόξαν ἑλὼν πολλὴν οὐ τύχῃ, ἀλλὰ τέχνῃ.
Thessalus Hippocrates, Cous genere, hac jacet urna,
   Phoebi immortalis semine progenitus.
Crebra tropaea tulit morborum, armis medicinae:
   laus cui magna, nec id sorte, sed arte, fuit.

 Imagi-

Imaginem *FVLV. VRSINVS* primus dedit ex numiſmate aereo, in cujus altera area baculus Aeſculapii ſerpente circumvolutus. *L. BEGERVS Th. Br. Vol. I p. 417*, Coorum numiſma edi curavit, quod idem baculi inſigne habet, et Aeſculapium comatum laureatumque, ut fere ambigant doctiores, utri horum, Hippocrati, an Aeſculapio, iſta imago ſit vindicanda. *PROSPER MARCIANVS* in frontiſpicio *Magni* ſui *Hippocratis*, caput poſuit pectore tenus, humeros pallium integit; qualis forte erat imago palliata, cujus ex *BELLORIO GRONOVIVS* meminit. Barba verecunda eſt; non adeo hirta et prolixa (uti in gemmis noſtris poſterioribus) neque projecta. Antiquis pingebatur CAPITE TECTO. *Io. TZETZES Hiſt. VII Chil. CLV. 979:*

Ἑπτὰ οἱ Ἱπποκράτεις μέν· οὗτος δ' ἐζωγραφεῖτο
σκέπων αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ τῷ ἱματίῳ.
Τέσσαρας τὰς αἰτίας δὲ τούτου φασὶν ὑπάρχειν·
ἢ γὰρ ἀλγῶν τὴν κεφαλὴν, ἢ ὡς τῶν ἀποδήμων,
ἢ ὡς δεικνὺς τοῦ λογισμοῦ ὄργανον ταύτην εἶναι,
ἢ πῶς ἐν χειρουργίᾳ δὲ χρὴ κεφαλὰς καλύπτειν.
Τοῦτο ἐποίει ὁ ἀνὴρ, καὶ οὕτω ζωγραφεῖται.
Septem Hippocrates quidem: iſte autem pingebatur
contegens ſuum caput ſuo cum veſtimento.
Quatuor autem cauſſas hujus dicunt eſſe:
vel enim dolens caput, vel velut peregrinus,
vel tanquam oſtendens ratiocinationis inſtrumentum id eſſe,
vel quo modo in chirurgiis oporteat caput operire.
Hoc faciebat vir, et ſic depingitur.

SVIDAS: Ἐν δὲ ταῖς εἰκόσιν ἱστορεῖται τὸ ἱμάτιον ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀναβεβλημένος, καὶ σκεπόμενος· ἢ ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν αὐτῷ, ἢ διὰ τὸ φιλαπόδημον, ἢ τὸ ἴδιον ἐν ταῖς χειρουργίαις. *In imaginibus autem traditur ipſum habere caput veſte involutum et tectum, vel quod hic eſſet ejus mos, vel propter peregrinandi ſtudium, quo flagrabat, vel ob peculiarem in Chirurgia morem.* Eadem habet et *SORANVS* in vita, unde priora tantum verba huc transfero: Ἐν δὲ ταῖς πολλαῖς εἰκόσιν ἐσκεπασμένος τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ γράφεται, ὡς μέν τινες λέγουσι, ἐν πίλῳ παράσημον εὐγενείας, καθάπερ Ὀδυσσεύς· ἄλλοι δὲ τῷ ἱματίῳ. καὶ τούτων οἱ μὲν δι' εὐπρεπίην, ἐπεὶ φαλακρὰ ἦν, et reliqua. *Porro in multis imaginibus velato capite pingitur, ut quidam ajunt pileo, quod nobilitatis ſignum eſt; nam hoc modo etiam Vlyſſes pileatus cernitur: alii autem pallio velatum dicunt, atque ex his aliqui decoris gratia id fieri aſſerunt, quandoquidem calvus erat* etc.

CCCXXXVIIII. CCCXXXX. ARCHYTAS.

Duo omnino fuere Archytae Tarentini, ſenior alter, ipſius Pythagorae diſcipulus, *IAMBLICHO* in *vita Pythagorae* memoratus; alter

alter junior, Heſtiaei filius, Empedoclis magiſter, qui ſua auctoritate Platonem a Dionyſio tyranno liberavit. *PATRITIVS Discuſſ. Peripat. T. II lib. I f. 182, 183*, et *OLEARIVS* ad Euſebium in *Hieroclem*, inter *Philoſtratorum Opera p. 439.* Vter horum in gemmis exſtet, non definio; maxime quum et numorum et gemmarum antiquitas nondum firmiter ſit probata. Archytas hic in patria praetor factus, bellica laude floruit, nunquam in praeliis victus. *TVLLIVS* eum magni in primis et praeclari viri, docti item hominis et plane ſapientis elogio mactat in *Catone maj. c. 12*, et *Tuſc. Qu. lib. V c. 22.* Scripſit librum de Sapientia, cujus fragmentum exſtat apud *IAMBLICHVM* in *Protrept. c. 3.* Fuit et ſummus arithmeticus, *THEO* Smyrn. de *Arithmetica*; ſcripſit librum de Decade, uti idem docet *c. 49* de *Muſica.* *VARRO* de *Re Ruſt.* refert Archytam inter quinquaginta ſcriptores rei ruſticae. Fuit et Archytas Harmoniacus, teſte *ATHENAEO lib. XIII c. 8.* Conf. *SAM. TENNVLIVS* ad Iamblichum *in* Nicomachi *Arithmeticam p. 80.* Muſici etiam meminit *HESYCHIVS* de *Viris claris*, ubi *Io. MEVRSIVS* quaedam huc facientia commentatur. Vitam habemus a *LAERTIO.* *HORATIVS lib. I Od. 28:*

Te maris et terrae, numeroque carentis arenae
menſorem cohibent, Archyta,
pulveris exigui prope litus parva Matinum
munera: nec quidquam tibi prodeſt
aërias tentaſſe domos, animoque rotundum
percurriſſe polum, morituro.

Diſcrimen, quod eſt inter Auguſtini gemmam, et numum Vrſini, *GRONOVIVS* explicat. Auguſtinus ex ſarda protulit, eo diſcrimine, ut nullo cervix operiatur crine, qui conſpicuus, denſus et inflexus etiam, in numo.

CCCXXXXI. SOPHOCLES.

Apis Attica, Athenienſis, Periclis in praetura collega, natus Olymp. 73. Homerus Tragicus audit Polemoni apud *LAERTIVM lib. IIII ſegm. 20*, quippe in tragoedia principatum obtinuit; a liberis male accuſatus, abſolvitur a judicibus. Victorias 23 reportavit, quarum ultima cum inſperato contigiſſet, gaudio exſtinctus eſt, annum agens 95. *PLINIVS lib. VII c. 29.* *VALERIVS lib. IIII c. 3, lib. VIII c. 7, lib. VIIII c. 12.* *PLVTARCHVS.* *ATHENAEVS lib. XIII p. m. 603, 604.* *LVCIANVS.* Sotades apud *STOBAEVM.* *HESYCHIVS* de *Viris Claris.* *GYRALDVS* aliique. *VIRGILIVS Eclog. VIII v. 10:*

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Add. *IVVENALIS Sat. VI.* *MARTIALIS lib. III epigr. 20, lib. V ep. 31.* Sepulchro ejus Siren inſculpta fuiſſe perhibetur; ipſe certe Nova Siren

 dicitur

dicitur apud *PAVSANIAM* in *Atticis cap.21.* In illud exſtat epigramma *SIMONIDIS lib. III Anthol. Gr. c.1.* *PHILOSTRATVS* junior *n.13* Sophoclis iconem, et *PAVSANIAS l. cit.* ſtatuam exhibent, ſed quarum neutra huc quidquam adferat.

De DIADEMATE et PALLIO jam alibi dictum.

CCCXXXXII. EVRIPIDES.

Ipſe natalis dies,quo inſignem a Xerxe victoriam navalem Athenienſes reportarunt, Euripidi, Salamine edito, victoris coronam ſpopondit, quam quidem ex parentis voluntate, qui a robore corporis inter athletarum certamina olympica eſſe petendam ſtatuebat, ſemel retulit: at ille ab ingenio gloriam conſequi pulchrius exiſtimans, Prodico Rhetori, Anaxagorae Phyſico, Socrati denique adhaeſit; et potiſſimum ad tragoediam ſcribendam animum appulit, annos duodeviginti natus; in qua tantum excelluit, ut Socrates Euripidis audiendi cauſſa in theatra deſcenderet, illiusque ſapientia *AELIANO lib. II c.12, PLVTARCHO* de *Glor. Athenienſium* aliisque celebretur. Et licet *ARISTOPHANES* τὸ κομψὸν in eo non probet; tamen quinquies victor eſt renunciatus. Athenis tandem diſcedens, Archelai regis Macedoniae aulam ſectatus eſt, ibique indigna morte periit. Canina quippe invidorum rabies in eum, a coena regia diſcedentem, canes immiſit, a quorum morſu animam efflavit anno aetatis 75, Olymp. 93. Luxit eum rex mirifice, et prope Arethuſam in Macedonia condidit. Macedones quoque Athenienſibus, oſſa civis ſui repetentibus, haec denegarunt: illi ergo cenotaphio inſcripſerunt hoc ſeu *THVCYDIDIS* ſeu *TIMOTHEI* carmen:

Μνᾶμα μὲν Ἕλλας ἅπασ' Εὐριπίδου. ὀστέα δ' ἴσχει
  γῆ μακεδών. ἡ γὰρ δέξατο τέρμα βίου.
Πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλὰς, Ἀθῆναι. πλεῖστα δὲ μούσας
  τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Vitam *GELLIVS lib.XV c.20* deſcripſit, itemque *HESYCHIVS, MANVEL MOSCHOPVLI* et *THOMAS MAGISTER.* Add. *SCALIGER* in *Chron.* Euſeb. *p.108.* *SELDENVS* ad *Epochas Arundelianas.* De moribus ejus *ALEXANDER* Aetolus hos verſus compoſuit:

Ὁ δὲ Ἀναξαγόρου τρόφιμος ἀρχαίου
στρυφνὸς μὲν ἐμοί γε ἔοικε προσειπεῖν,
καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον
μεμαθηκώς, ἀλλ' ὅ, τι καὶ γράψαι τοῦτ' ἂν
μέλιτος καὶ Σειρήνων ἐτετεύχει.
At Anaxagorae alumnus veteris ille,
durus quidem ad ſalutandum videtur,
et ridendi oſor, et jocari ne ad vinum quidem

conſuetus:

consuetus: verum quicquid scripserit, id
a melle et Sirenibus profluit.

SVIDAS: Σκυθρωπὸς δὲ ἦν τὸ ἦθος, καὶ ἀμειδής, καὶ φεύγων τὰς συνουσίας. ὅθεν καὶ μισογύνης ἐδοξάσθη. *Fuit homo severis moribus praeditus et tristis, et qui congressus fugiebat: unde etiam osor mulierum est habitus.*

CCCXXXXIII. LYSIAS.

E patre Syracusano Cephalo, Athenis natus, anno 2, Olymp. 82. eo floruit tempore, quo decem clarissimi oratores Athenis se efferebant, quorum nulli cessit gloria. Οὐδεὶς οὔτε ἀκριβέστερος, οὔτε χαριέστερος Λυσίου. *Nemo diligentior gratiorque Lysiae*; quod *DIONYSII* Halicarnassaei in Isaeo judicium est. Quas docte conscripserat orationes, aliis fere recitandas dabat; ipse rarius in forum descendebat. Olymp. 98 in Dionysium tyrannum orationem scripsit, et Olymp. 100 anno 2 vel 3 ad plures abiit, aetatis 81. Conf. *CICERO* in *Bruto* et *lib. I* de *Oratore*. *VALERIVS MAXIMVS lib. VI c. 4. PLVTARCHVS* de *X Rhetoribus*, *DIOGENES LAERTIVS lib. II segm. 40.* De imagine *GRONOVIVS T. II n. 69* haec habet: Gallaeus publicat Lysian apud Cardinalem Farnesium in marmore sub vultu prorsus alienissimo, naso nimis longo, cum fronte omnino reclina, ut loqui volunt Apulejum, vel magis tota nuda, ac ornamento crinium destituta, quum Vrsinus eam conspicua pilorum nota insignem ostendat, ut merito deseruerit Gallaeum Bellorius etc.

CCCXXXXIIII. EVCLIDES.

Philosophus non obscurus, conditor Megaricorum disciplinae tandem evasit. Hic ille est, quem poena capitis, in advenas Megarenses statuta, avocare non potuit, quin noctu clam adiret Socratem; post cujus obitum Platoni et reliquis, tyrannorum Atheniensium vi perterritis, Euclidis domus tutissimus fuit locus, quo perfugerent. *CICERO Quaest. Acad. lib. IIII. GELLIVS lib. VI c. 10.* Summus quum esset disputator et dialecticus, istum interrogandi modum, qui ἐγκεκαλυμμένος audit, a *MENAGIO* ad Laërtii *lib. II segm. 108* explicatus, artifici, caput hujus philosophi velatum fingenti, ante oculos esse obversatum, oculo nimis acuto vidit *T. II n. 82 GRONOVIVS,* cujus viri auctoritatem, harumque rerum peritiam alias magni facio. *DIOGENES* enim inventionis gloriam transcribit Eubulidi, Euclidis discipulo, non ipsi Euclidi. Itaque ratio capitis velati in more philosophorum, pallio caput obducentium, de quo *PHOTIVS p. 190.* quaerenda est. Descripsit quoque hanc effigiem ex numo Patriarchae Camilli Maximi *SANDRARTIVS T. II Part. 3 p. 56.*

 Denique

Denique et illud monendum eſt, Euclidem, de quo agimus, mathematico cognomine minimum annos XC fuiſſe ſeniorem.

CCCXXXXV. CCCXXXXVI. CCCXXXXVII. CCCXXXXVIII. PLATO.

Moſes Atticus et philoſophorum Homerus, paternum Ariſtonis genus per Codrum ad Neptunum, maternum Perictyones, Glauci filiae, ad Solonem referebat, a quo ſextus erat in ordine. *APVLEIVS* de *Dogm. Platon.* Natus eſt die VII Thargelionis, anno 3 Olymp. 87, auctoritate *ATHENAEI*; quamvis alii natalem in Olymp. 89 rejiciant. Ille praeſtantiſſimos non Graeciae tantum doctores, Socratem in primis, audivit; ſed et Aegyptios, Babylonios, Thraces, Aſſyrios, Hebraeos, teſte *CLEMENTE* in *Protrept. p. m. 46.* Plures, qui de peregrinationibus ejus mentionem injecere, nominat *TH. GALE* ad Iamblich. de *Myſteriis lib. I c. 1 p. 183.* Dionyſiorum Siculorum familiaritate dignatus, probra ideo avaritiae et gulae nomini ſuo inuſta tulit, quae ſolide abſterſit *FRANC. MOTHAEVS VAYERIVS* tract. Gallice ſcripto *de la Vertu des Payens, Opp. Tom. I P. II p. 599.* Add. *H. ERNSTIVS* de *Vera Philoſ.* §. *93 p. 191.* Tantae fuit auctoritatis, ut mortuo ſacrificarent, *SENECA epiſt. 58,* et heroibus adnumerarent, Labeo ex Varrone apud *AVGVSTINVM* de *Civ. Dei, lib. II c. 14.* Obiit vel ſcribens, ut *CICERO* tradit, vel in nuptiis coenans, ut *LAERTIVS,* aetatis anno 81, die natali, Olymp. 108. Sed de anno natali et emortuali *SCALIGER* ad Euſeb. *p. 107.* Ne vitae ſcriptores nominem, otium fecerunt *ANT. TEISSIERIVS, IO. ALB. FABRICIVS* et reliqui. Conf. Cardinalis *BESSARION* in *Calumniat. Platonis* paſſim, maxime *lib. I c. 3.* *HORATIVS lib. II Sat. 4:*

Non eſt mihi tempus aventi
ponere ſigna novis praeceptis; qualia vincant
Pythagoram, Anytique reum, doctumque Platona.

MARTIALIS lib. VIIII epigr. 48 in Pannicum:

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
quicquid et hirſutis ſqualet imaginibus,
ſic quaſi Pythagorae loqueris ſucceſſor, et haeres:
praependet mento nec tibi barba minor.

Conf. *LVCANVS lib. X,* et *Anthol. Graec. lib. I c. 86,* et *lib. III c. 32.*

CCCXXXXVIIII. ARISTIPPVS.

Hedonicae ſeu Cyrenaicae ſectae conditor, a Socrate quidem bene formatus, quum ingenio eſſet facili, facilis quoque in vitia flectebatur; ideoque ob intemperantiam non ſemel notatus eſt antiquioribus, *ATHENAEO lib. XII* et *XIII, GELLIO lib. I c. 8, LACTAN-*

TIO lib. III c. 8, et *15*. Vitam ex *DIOGENE LAERTIO*, *HESYCHIO* et aliis dedit *TH. STANLEIVS Hiſtor. Philoſ. P. III p. 241 ſqq.* *HORATIVS lib. I Epiſt. 17*:

Si pranderet olus patienter, regibus uti
nollet Ariſtippus. - - -
Omnis Ariſtippum decuit color, et ſtatus, et res,
tentantem majora, fere praeſentibus aequum.

Et *lib. II Sat. 3*:

- - *Quid ſimile iſti*
Graecus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum
in media juſſit Libya, quia tardius irent
propter onus ſegnes.

In Ariſtippo hoc cernis capillos magis arte, quam ingenio ſuo, ad ſpeciem flexos, ut agnoſcas hominem non utique philoſophiae, etiam Laidi ſe ornantem, judice *GRONOVIO T. II n. 84*.

CCCL. CCCLI. ANTISTHENES.

Ἁπλοκύων ille, qui purus putus canis eſt, ex patre Athenienſi cognomine et matre Threſſa editus, Socrate familiariter utebatur, cujus praeceptoris ſui mortem Anyti exilio, et Meliti capite expiavit. Gymnaſio ſe continebat, quod *Cynoſarges* dicebatur, ſuosque Herculis exemplo tolerantiam animique tranquillitatem docebat. Morum doctrinam, quam magni faciebat, decori negligentia foedabat, adeo ut turpiſſima quaeque ſui ſibi licere non erubeſcerent. Sua omnia publice tribuit, peram, baculum et pallium ſibi ſervans. Hinc illa corpuſculi mirifica tenuitas, et praerogativa tabis; tabe enim exſtinctus eſt, ſed in laetiſſima mentis, mirabiliter ab eo per literas ΚΑΙΝΟΥ commendatae, agitatione, quam et repentinis dictis jaculando liberrime teſtatus fuit non ſine ingenti ſale. *GRONOVIVS n. 87*. *AVSONIVS epigr. 26*:

Inventor primus Cynices ego. Quae ratio iſtaec?
Alcides multo dicitur eſſe prior.
Alcida quondam fueram doctore ſecundus:
nunc ego ſum Cynices primus, et ille deus.

CCCLII. DIOGENES.

Mordacem Cynicum, uti *HORATIVS* vocat,

quem duplici panno patientia velat,

nunc *mirabor*, qualis ſpectatur apud *GRONOVIVM n. 88*. Duplex, quo amiciebatur, pannus ille διπλοΐς vocabatur, eo quod pannus interius aſſutus fuerit pallio, ſi *ACRONI* fides. Conf. *OCTAV. FERRARIVS* de *Re Veſtiar. P. I lib. III c. 2*, et *P. II lib. IIII c. 19*. Hic anno

no 3 Olymp. 91 natus, cum patre Icesio trapeziticam exercuit: dehinc Antistheni etiam nolenti adhaesit. In captivitatem abductus Corinthum, et Xeniadae venditus, hanc se artem callere professus est, imperare hominibus. In summa paupertate dolium suum cum regia Alexandri permutare noluit, cui et ipsum praefert *MARCVS ANTONINVS lib. VIIII:* Ἀλέξανδρος δὲ καὶ Γαΐος, καὶ Πομπήϊος, τί πρὸς Διογένη, καὶ Ἡράκλειτον, καὶ Σωκράτην; οἱ μὲν γὰρ εἶδον τὰ πράγματα, καὶ τὰς αἰτίας, καὶ τὰς ὕλας, καὶ τὰ ἡγεμονικὰ ἦν αὐτῶν ταυτά· ἐκεῖ δὲ ὅσων πρόνοια; καὶ δουλεία πόσων; *Alexander, Cajus et Pompejus, quid hi ad Diogenem, Heraclitum, vel Socratem? Hi enim noverunt res, earum caussas, materias; haec illorum principatus et regna, ibi autem quantum ignorantiae, tantum servitutis.* Philosophiae moralis professor, voluptatum alias sectator, et communionis mulierum auctor, laudatur ab his, culpatur ab illis. *BARTOLI* in *Charactere hominis literati pag. 8,* nimius est in eo laudando; sed sale satyrico perfricat hominem *LVCIANVS* in *Auctione vitarum.* Praeter veteres, itemque *IONSIVM, TH. STANLEIVM* et reliquos, consulas, si lubet, *IO. AM. COMENII* libellum, cui titulum fecit, *Diogenes Cynicus.* Monumenta illius plura collegit *GRONOVIVS,* ex Gallaeo, Vrsino, Bellorio, Sponio, Rubenio, Augustino, Achille Statio. Conf. quoque *BERN. DE MONTFAVCON T. III c. 4 tab. 4.*

De BARBA et COMA Cynicorum res est notissima ex *ATHENAEO lib. IIII c. 18. DIOGENE LAERTIO lib. VI.* Imo *philosophi habitus, supercilium, pallium, barba,* indicantur *l. 8 C.* de *Profess. PERSIVS Sat. I v. 133:*

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

OVIDIVS de Ponto:

Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus.

IVVENALIS Sat. XIIII v. 308:

Dolia nudi non ardent Cynici.

et *v. 311:*

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
passurus gestis aequanda pericula rebus.

CCCLIII. CCCLIIII. ARISTOTELES.

Anno I Olymp. 99 natus, vitam produxit ad ann. 2 Olymp. 114. Ἄθεος est *LACTANTIO lib. I c. 5* et aliis. At Philosophi Colonienses sanctorum numero eum quondam intulisse dicuntur; adeo placuit ὁ νοῦς τῆς διατριβῆς. Felix erat genere, quod per Nicomachum a Machaone ducebat; praeceptore Platone, quem viginti annos audivit;

audivit; discipulo Alexandro M. Lyceo denique, quod ſua doctrina illuſtravit. De eo pleni ſunt omnium eruditorum libri, *DIONYSII* Halicarnaſſei, *LAERTII*, *SVIDAE*, *HESYCHII*, *AMMONII*, *NVNNESII*, *OCTAVIANI FERRARII*, *PATRICII*, *IONSII*, *HORNII*, *VAYERII*, *OL. BORRICHII*, *ERNSTII*, *TH. STANLEII* et aliorum, quos laudant *ANT. TEISSIER* et *IO. FRID. REINHART* in *Theatro Prudentiae eleg. p. 65.* Statura fuit non magnus, deformis praeterea, gibboſus et balbutiens, voce gracili, parvis oculis, exilibus cruribus, veſte inſignis et annulis, et tonſura utens. Diffiteri non poſſum, gemmas noſtras μακρόμματον potius et bene barbatum oſtendere, ut ab artifice antiquitatum harum non ſatis perito factas, facile intelligas. Quae de diſcrimine barbati et imberbis ſentiant Critici, apud *GRONOVIVM* legas, ſi lubet, ſuadeo.

De TONSVRA addi meretur Muſonii elegans locus apud *IO. STOBAEVM*: Καρτέον μόνης ἕνεκα τῆς ἀφαιρέσιως τοῦ περιττοῦ, καὶ οὐχὶ κόσμου χάριν, ὡς οἴονται δεῖν ἔνιοι, τὰ μὲν γένεια λεαινόμενοι, καὶ μιμούμενοι τοὺς ἀγενείους, ἢ νὴ Δία τοὺς ἄρτι γενειάσκοντας· τὴν δὲ κεφαλὴν οὐχ ὁμοίως κειρόμενοι, διαφόρως δὲ τὰ πρόσω τῶν ὀπίσω. De BALBVTIE teſtatur *PLVTARCHVS* de *Adul. et amici diſcrim.* ὡς που καὶ Πλάτωνος ἀπομιμεῖσθαί φασι τοὺς συνήθεις, τὸ ἐπίκυρτον, Ἀριστοτέλους δὲ τὸν τραυλισμὸν, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ βασιλέως τὴν ἔγκλισιν τοῦ τραχήλου, καὶ τὴν ἐν τῷ διαλέγεσθαι τραχύτητα τῆς φωνῆς. *Familiares ajunt Platonis curvitatem imitatos, et balbutiem Ariſtotelis, et Alexandri regis colli inflexionem, inque dicendo vocis aſperitatem.*

Imaginis meminit *TVLLIVS lib. IIII. epiſt. 9 ad Atticum.* Eandem ex Codice MS. fideliter delineatam, aerique inciſam, ſpectamus in *DAN. NESSELII Catal. Biblioth. Vindob. P. IIII p. 36.* Spirans quoque illius imago, et merito antiquitatis adoranda, marmore ſculpta affabre, erat quondam in larario Neronis Claramontenſis Electi, quam licet illiteratus in pretio habebat et venerabatur, teſte *IO. SAVARONE* ad Sidonii *lib. VIIII epiſt. 9.* *IVVENALIS Sat. II:*

Plena omnia gypſo
Chryſippi invenies: nam perfectiſſimus horum eſt,
ſi quis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit,
et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Commodum erit, hoc loco adſcripſiſſe *SIDONII APOLLINARIS* judicium, quod de plerisque tum Graecis, tum Latinis philoſophis atque oratoribus tulit *lib. IIII epiſt. 3*: *Sentit ut* Pythagoras, *dividit ut* Socrates, *explicat ut* Plato, *implicat ut* Ariſtoteles, *ut* Aeſchines *blanditur*, *ut* Demoſthenes *iraſcitur*, *vernat ut* Hortenſius, *aeſtuat ut* Cethegus, *incitat ut* Curio, *moratur ut* Fabius, *ſimulat ut* Craſſus, *diſſimulat ut* Caeſar, *ſuadet ut* Cato, *diſſuadet ut* Appius,


persuadet ut Tullius. Deinde cujuslibet illorum imaginem agnoscimus ex ejusdem *SIDONII lib. VIIII epist. 9,* ubi haec habet: Qui lacessiverit, sentiet te *non caesariem pascere, neque pallio aut clava, velut sophisticis insignibus gloriari, aut affectare de vestium discretione superbiam, nitore pompam, squalore jactantiam, neque te satis hoc aemulari, quod per gymnasia pingantur Areopagitica, vel Prytaneum,* Zeusippus *cervice curva,* Aratus *panda,* Zenon *fronte contracta,* Epicurus *cute distenta,* Diogenes *barba comante,* Socrates *coma candente,* Aristoteles *brachio exerto,* Xenocrates *crure collecto,* Heraclitus *fletu oculis clausis,* Democritus *risu labris apertis,* Chrysippus *digitis propter numerorum indicia constrictis,* Euclides *propter mensurarum spatia laxatis,* Cleanthes *propter utrumque corrosis, quin potius experietur* etc.


CCCLV. CCCLVI. THEOPHRASTVS.

Tyrtami, quod a patre Melanta fullone est impositum, nomen Aristoteles ei mutavit ob insignem linguae pariter atque vitae suavitatem. Et certe augustissimo huic nomini respondit et in sentiendo et in loquendo; adeoque et philosophus scholae successorem sibi eum verecunde delegit. *STRABO lib. XIII p. 299. GELLIVS lib. XIII c. 5. TZETZES Chil. VI. 390.* Erat beneficus, variarum rerum maxime studiosus, summaeque prudentiae; qua et civium Atheniensium et auditorum frequentium, duo enim millia ad eum accurrerunt, in se studia provocavit. Senex lectica ferri per urbem solitus, annum aetatis 86 attigit: *HIERONYMVS* in *Epistola ad Nicephorum* vitam produxisse refert ad annum 107; hereditate librorum ad Neleum Scepsium transmissa, a quo ad inertes homines recidit atque indoctos. Vitam *LAERTIO, SVIDAE* et aliis debemus, plurimum illustratam a *BESSARIONE, CASAVBONO, MENAGIO* et reliquis. Dixi de eo quaedam in *differt. de Scriptoribus Hesperidum,* b. Volcameri *Hesperidibus Noriberg.* praemissa.


CCCLVII. DEMOSTHENES.

Laudari viros bonos publice interest, quo stimulus infigatur in aliorum animis, ut paria honestatis studia sectentur. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria. Demosthenem, patre ὁμωνύμῳ natum anno 4 Olymp. 99, gloria Callistrati, qui tum Athenis florebat eloquentiae laude insignis, statim excitavit, ut a studio dicendi neque parentis maturus obitus, quem septennis amisit, neque tutorum malitia, qui patrimonium quindecim talentorum exhauserunt, neque gracile corpusculum aut valetudo minus firma, neque vox balba, neque Platonis praeceptoris auctoritas, avertere potuerint. Vel se ipsum et naturam, quae iniquior videbatur,


Achates.
355


Sarda.
356


Sarda.
357



Amethyſtus.
358


Sarda dicolor ſeu Camens.
359


Amethyſtus
360


Sarda.
361


Sarda.
362


Chalcedonius.
363


Sarda.
364


Sardonyx.
365


Sarda.
366


Achates niger.
367


Jaſpis.
368


Amethyſtus.
369



Chalcedonius.
370



Chalcedonius.
371



Sarda.
372


Sarda.
373


Chalcedonius.
374


Sarda.
375


Sarda.
376


Sarda.
377


Sarda alba.
378


Sarda
379

batur, ſuperavit feliciter crebra exercitatione. Itaque oratorum maximus evaſit, qui fere ſolus voce obſtitit Philippo Macedoni, Graecae libertatis oppreſſori, quem et ipſe periculoſiſſimum habuit inimicum, poſt cujus interitum Alexander ſibi eum cum oratoribus dedi poſtulabat, nempe canes lupis, uti Demoſthenes interpretabatur. Tantus hic vir, qui patriae urbis muros refecit et defendit, Harpali tamen artibus ſolum vertere coactus eſt. Vrbe excedens: *O domina,* inquit, *Minerva, quid tribus beſtiis teterrimis delectaris, noctua, dracone, et hoc populo?* Poſtea iterum ſummo cum honore ab univerſa civitate receptus eſt, tandemque ſumpto veneno, ne in manus Antipatri veniret, ſexagenarius periit anno 3 Olymp. 114, eodem ſcilicet, quo Ariſtoteles. Mortuo populus Athenienſis ſtatuam poſuit aeneam, inſcripto epigrammate:

Εἴπερ ἴσην γνώμῃ γνώμην Δημόσθενες εἶχες,
οὔ ποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών.
Ipſa tibi ingenio quod ſi vis aequa fuiſſet,
Argolicas Macedo non domuiſſet opes.

Vitam poſt *PLVTARCHVM* et reliquos, eruditiſſime ſcripſit *AND. SCHOTTVS* ad Marc. Velſerum in *Parallelis*: inde excerpta et addita eſt operibus. *IVVENALIS Sat. X v. 114 ſqq:*

Eloquium aut famam Demoſthenis, aut Ciceronis
incipit optare, et totis Quinquatribus optat.
Eloquio ſed uterque perIt orator: utrumque
largus et exundans letho dedit ingenii fons.
- - *Saevus et illum*
exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
torrentem, et pleni moderantem fraena theatri.
DIs ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro,
quem pater ardentis maſſae fuligine lippus,
a carbone et forcipibus, gladioſque parante
incude, et luteo Vulcano, ad rhetora miſit.

Add. *SIDONIVS carm. II* et *XXIII, MARTIANVS CAPELLA lib. V.* Caeterum noſtra gemma a Tarraconenſi imagine nonnihil abit. Auguſtinus nempe, Vrſinus, Bellorius, Sandrartius, imberbem et capillis non adeo prolixis decorum ſiſtunt, qui in noſtra bene barbatus eſt et capillatus.

CCCLVIII. THEOCRITVS.

Syracuſanus genere, Ptolemaeorum tempore Lagidae et Philadelphi floruit, Praxagorae et Philinnae filius, Philetae Coi auditor, carminis paſtoritii ſcriptor, quem ob maledicentiam ab Hierone tyranno vel laqueo ſtrangulatum, vel capite caeſum, prodidere veteres. *GYRALDVS dial. 3.* *OVIDIVS* in *Ibide v. 545:*

Vtque Syracosio praestricta fauce poëtae,
sic animae laqueo sit via clausa tuae.

ANDR. ALCIATVS uti hanc Theocrito notam abstergere velit, apud ipsum videas quaeso, *lib. VIIII c. 24 Parergωn juris.* Ipse parentes et patriam indicat noto epigrammate:

Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδε γράψα,
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρηκοσίων.
Υἱὸς Πραξαγόραο, περικλειτῆς τε Φιλίννης,
Μουσῶν δ' ὀθνείην οὔποτ' ἐφελκυσάμην.

VIRGILIVS Eclog. VI:

Prima Syracusio dignata est ludere versu
nostra, nec erubuit sylvas habitare, Thalia.

Faber et Bellorius foliis pineis hanc ejus imaginem esse coronatam voluere, quia pinus arbor Pani, velut Bucolici poëmatis praesidi deo, dicata sit. Praeterea δοκεῖ σιμός τις τὴν πρόσοψιν εἶναι, *videtur simus aliquis faciem esse,* veteri cuidam, qui genus Theocriti scripsit. Hanc tamen notam Gronovius in vultu ejus comperire non potuit.

CCCLVIIII. EPICVRVS.

Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes
restinxit stellas, exortus uti aetherius sol,

LVCRETIVS lib. III v. 1056. Atheniensis erat, pago Gargettius, natus a. 3 Olymp. 109, et relictis Grammaticorum nugis, lectisque Democriti libris, philosophiae operam dare coepit decimo quarto aetatis anno. Valetudine minus commoda erat, multisque annis consurgere e sella nequiverat. Dicax in omnes, ab omnibus vicissim lacessitus. Scholam rexit Mitylenes, et Lampsaci. Deinde Athenis docuit in Horto, cui inscripsit: HORTVS VOLVPTATIS, quam castam sectabatur; quanquam discipulorum intemperantia, illi videlicet *Epicuri de grege porci,* impuritatis suspicionem auxerunt. Taceo veteres, qui eo sive laudando, sive damnando quasi certarunt: ex recentioribus solum appello duo orbis eruditi lumina, *THOM. GATAKERVM,* qui in praefatione Antonino praemissa graviter in eum invehitur; atque *PETR. GASSENDVM,* qui doctissimis *Animadversionibus in* Diogenis Laërtii *librum de Vita, Moribus Placitisque Epicuri,* eundem defendit, ejusque philosophiam revocavit. Add. *DES COVSTVRES Morale d' Epicure, IO. CHIFLETIVS* in *Socrate p. 18. PAGANINVS GAVDENTIVS, ALEXANDER AB ALEXANDRO, A. SCHOTTVS, HORNIVS, IONSIVS, TROGILLVS ARNKIEL* de *Epicuri philosophia et schola, MORHOFIVS, STANLEIVS, FABRICIVS* aliique innumeri. Finivit anno 2 Olymp. 127, quum 72 vitae implevisset annos. *IVVENALIS Sat. XIIII v. 319:*

Quan-

Quantum, Epicure, tibi parvis ſuffecit in hortis.

STATIVS *lib. I Sylv. 3 v. 93:*

Deliciae, quas ipſe ſuis digreſſus Athenis
mallet deſerto ſenior Gargettius horto.

CCCLX. CCCLXI. PHILEMON.

Damonis filius, Syracuſis vel Soli in Cilicia ortus, floruit Olymp. 111, mediae comoediae ſcriptor, Menandro proximus, qui riſu percitus diem obiit, annos natus 97 vel 99. LVCIANVS in *Longaevis*, SVIDAS, VALERIVS *lib. VIIII c. 12*, APVLEIVS in *Floridis*, PLAVTVS in *Trinum. prolog.*

Huic nomen Graece eſt Theſauro fabulae:
Philemon ſcripſit, Plautus vertit barbare,
nomen Trinummo fecit.

Et *in prolog. Mercatoris:*

Graece haec vocatur Emporos Philemonis,
eadem Latine Mercator Marci Accii.

Add. ſupra *cap. I n. 13.* De imaginibus iterum disputat GRONOVIVS *T. II n. 99.*

CCCLXII. CCCLXIII. CCCLXIIII. ARATVS.

Civis Philemonis, ortus Pompejopoli, quae tum Soli a Solone dicebatur, patre Athenodoro, Timonem audivit et Menedemum philoſophos, itemque Ariſtotherum mathematicum. Olymp. 127 anno 1 cognoſcitur. In aula Antigoni Gonatae ad vitae finem permanſit, atque ignarus aſtrologiae, ornatiſſimis atque optimis verſibus de caelo et ſtellis ſcripſit, uti CICERO de *Oratore lib. I* confirmat, cujus et Ovidii, itemque Caeſaris Germanici et Rufi Feſti Avieni ſolertiam provocavit, ut latinis verſibus ipſius carmina redderent. Conf. Suidas, VOSSIVS *p. 63*, BORRICHIVS *p. 14.* THEOCRITVS *Idyll. VI:*

Δαμοίτας καὶ Δάφνις ὁ βουκόλος εἰς ἕνα χῶρον,
τὰν ἀγέλαν πόκ᾽ Ἄρατε συνάγαγον.

CINNA apud Iſidorum:

Haec tibi Arateis multum invigilata lucernis
carmina.

OVIDIVS: *Cum ſole et luna ſemper Aratus erit.*

Incertus:

Πάνθ᾽ Ἡγησιάναξ τε, καὶ Ἕρμιππος τὰ κατ᾽ αἴθρην
τείρεα, καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ Φαινόμενα
βίβλοις ἐγκατέθεντο, ἀποσκόπιοι δ᾽ ἀφάμαρτον.
Ἀλλὰ τὸ λεπτολόγου σκῆπτρον Ἄρητος ἔχει.

 Add.

Add. Antipatri in Aratum epigramma, *Anthol. Graec. lib. I c. 46*, itemque GRONOVIVS *T. III lit. d.* et ANDR. MORELLVS in *Specim. rei Num. ant. tab. XXV p. 241.*

CCCLXV. TERENTIVS.

Quid vos eloquii canam Latini,
Arpinas, Patavine, Mantuane,
et te, comica qui doces, TerentI?

SIDONIVS *Carm. XXIII v. 144.* Quem Africa servum genuit, ingenium et forma Scipioni et Laelio, sed mature manumissum, conciliavit, a quibus in comoediis scribendis adjutum, fama erat. In Stymphalo Arcadiae oppido mortuus est, vel e Graecia in Italiam rediens, in mari periit A. V. C. 595, seu anno 2 Olymp. 155. Fuisse autem dicitur statura mediocri, gracili corpore et colore fusco. SVETONIVS, AELIVS DONATVS, CRINITVS, SCALIGER, DAN. HEINSIVS de *Sat. Horat.* et alii. AFRANIVS:

Terentio similem non dices quempiam.

HORATIVS:

Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.

OVIDIVS *Tristium lib. II:*

Nec liber indicium est animi: sed honesta voluntas
plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius esset atrox: conviva Terentius esset;
essent pugnaces, qui fera bella canunt.

MORELLVS in *Specim. tab. III p. 47* ex numo Schvvarzburgico imberbem expressit. Quae vero imago, Morelli ex numo, an Vrsini ex membrana Vaticana, magis sit ingenua, GRONOVIVS definire noluit; neque nostrum nunc est, hac de re quidquam decernere.

CCCLXVI. CCCLXVII. CCCLXVIII. M. TVLLIVS CICERO.

Quem praeceptores se non posse satis vel laudare vel admirari professi sunt, cujus laudes plena manu in astra tulerunt ornatissime, viri in dicendo recteque sentiendo exercitatissimi, eum verbis commendare inconditis, temeritas esset. Ex regio Volscorum genere, patre Marco, matre Helvia, III Non. Ianuar. A. V. C. 647 natus, per omnes honorum gradus adscendit, toga, et eloquio maxime, tum sago clarus, trucidatur jussu Antonii atque Fulviae in villa Cajetana A. V. 710, VII Idus Decembr. Vitam accuratissime digessit FRANC. FABRICIVS. Annum mortis, quam deploravit CORN. SEVERVS, disquisivit SCALIGER ad Euseb. *p. 160.* Super imagine disputant BEGERVS *Thes. Brand. Vol. I p. 115, 116*, ubi gemmam Thesauri Palatini contra Gronovii censuras vindicat, et GRONOVIVS *Vol. III*

Thes.

Thes. Ant. Gr. cujus quaedam verba, quominus hic repetam, impetrare a me non possum. Commendat duos numos, prae quorum veritate omnes gemmas contemnit, itemque gypso expressam marmoream veterem Ciceronis faciem, ex porticu Magni Etruriae Ducis; et deinde subjungit: *Vnde est, ut neque hanc formam in Museo Romano ex gemma sardonyce Exc. P. Gasparis Altieri venditatam pro Cicerone agnoscere valeam, quum nihil omnino vivacissimi vigoris ejus ac laetitiae praeferat, quae summa in Cicerone, ad jocos lepidissimo, fuerunt, quod ex Plutarcho notavit etiam Io. Faber; neque nasus aliaque ad Ciceronem appropinquent. Sed omnia etiam intercedunt, quominus pro Cicerone adspici possit ille, quem exhibuit Caninus, alieno certe toto ejus filo, et naso nimium quantum incurvato ac projecto.* Haec Gronovius; neque enim reliqua, quibus Begeri Thesaurum suggillat, hic legisse juvabit. Numi apud multos, tum apud DAN. NESSELIVM exstant, *Bibl. Vindob. App. p. 177 lit. V,* sed et inter Cavini numos est in *Museo S. Genevevae n. 49 p. 116.* SILIVS ITALICVS *lib. VIII v. 405:* *Tullius*

Regia progenies, et Tullo sanguis ab alto.
Indole pro! quanta juvenis, quantumque daturus
Ausoniae populis ventura in saecula civem.
Ille super Gangem, super exauditus et Indos,
implebit terras voce, et furialia bella
fulmine compescet linguae, nec deinde relinquet
par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Add. CATVLLVS *epigr. 46,* IVVENALIS *Sat. VIII v. 244,* et *Sat. X v. 114.* Et cui non dictus est Tullius?

CCCLXVIIII. SALLVSTIVS.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus, Romana primus in historia.

MARTIALIS *lib. XIIII ep. 191,* Amiterni natus a. 2 Olymp. 173. V. C. 668. Quaesturam et tribunatum gessit, sed sine laude, Tullio infestus. Amoribus infamis, anno post, qui erat urbis 703, senatu motus est. Deinde cum esset a Caesare restitutus, et praetura auctus, Numidiaeque regendae praefectus, hanc provinciam exhausit, et ex illa praeda forum et hortos emit, qui hodieque Sallustiani nominantur. Hinc republica omissa, de posteris bene mereri instituit, res suo tempore actas breviter, nervose atque ex vero perscribens, hac una parte laudatus. Ad plures abiit quadriennio ante Actiacum bellum, ut EVSEBIVS auctor est in *Chron.* ubi SCALIGER videndus. SIDONIVS APOLLINARIS:

Qua

Qua Criſpus *brevitate placet, quo pondere* Varro,
quo genio Plautus, *quo flamine* Quintilianus,
qua pompa Tacitus, *nunquam ſine laude loquendus.*

Cl. CAR. PATINVS in *Theſauro p.* et in *Theſ. Mauroceno p. 89.* Salluſtii vultum ex numo profert, ſed ſenilem et bene barbatum.

CCCLXX. CCCLXXI. P. VIRGILIVS MARO.

Poëtarum Plato, quo eum elogio Imperator Severus mactavit, Pollioni, Maecenati et Auguſto chariſſimus, cui e Graecia redeunti quum occurreret, morbo, ex ſolis aeſtu contracto, interiit Brundiſii X Kal. Septembr. A. V. C. 733. Monumentum, quod ei Neapoli poſitum eſt, ſpectandum praebet *BERN. MONTFAVCON T. V. part. I lib. III c. 12.* Ipſe poëta de ſe canit *Georg. lib. IIII:*

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis otI.

Add. *HORATIVS lib. I Od. 3, lib. I Sat. 5* et *10,* et *lib. II Epiſt. 2. PROPERTIVS lib. II Eleg. 34. MARTIALIS lib. VIII epigr. 56* aliique, quorum verſus recitat *IAC. PONTANVS Prodidagmat.* in *Virgilium c. 10.* Silius ejus ſtatuas habebat, et religioſe venerabatur, teſte *PLINIO lib. III epiſt. 7.*

Magnanimae indolis laetiſſimus et ſatis venuſtus vultus, ac varietate meditationum nequaquam inconcinnus, ſpectatur in his gemmis, quarum altera ad Vrſini et Gallaei gemmam propior accedit cum coma fere Apollinea dependente a cervice: altera capillis ab occipite velut revinctis, etiam lemniſcis ab laurea dependentibus et alio genere velamenti, quod taeniae humeris annectunt, ac larva ad humerum accedente, non oculis et naſo obverſa: uti *GRONOVIVS* explicat. Larvam cum fronte alata in ara vel columna ſtatutam, *IO. FABER* refert ad poëſin bucolicam; *LEON. AVGVSTINVS* putat exprimi memoriam a poëtis invocatam: Gronovius vero, ab utroque diſcedens, cenſet adſpici manium et umbrarum ſpecimen, quod traditum fuerit apparuiſſe Virgilio, ſecreta eorum nimis detegenti, qui tamen non terrefactus, clariora ex hoc viſu ſingula ſe ſcripturum denunciat. Rationes, quibus id planum facere et firmare conatur, probabilitati non adeo contrarias adjungit *Vol. III lit. rrr.*

CCCLXXII. CCCLXXIII. Q. HORATIVS FLACCVS.

Tenui quidem in re natus in Apulia VI Idus Decembr. A. V. 688, L. Cotta, L. Torquato Coss. Romae et Athenis didicit philoſophiam, *nullius addictus jurare in verba magiſtri.* Vrbanis deliciis innutritus, ingenii jucunditate, Maecenati et Auguſto gratiſſimus,

Virgilio

Virgilio amicus, Pindari admirator, deceſſit V Kal. Decemb. A. V. 745. C. Mario Cenſorino, C. Aſinio Gallo Coss. Vid. *Lev. Torrentivs*, et reliqui. *Ovidivs:*

Pervenit ad noſtras numeroſus Horatius aures,
dum ferit Auſonia carmina culta lyra.

Persivs Sat. I v. 116:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
tangit, et admiſſus circum praecordia ludit,
callidus excuſſo populum ſuspendere naſo.

Sidonivs Apollinaris Carm. XXIII v. 452:

Mordacem faciat ſilere Flaccum,
quamvis poſt ſatyras lyramque tendat
ille ad Pindaricum volare cycnum.

Isidorvs lib. XVIIII c. 32, epigramma Maecenatis, Horatio dicatum refert, quod, quia corrupte ibi legitur, emaculavit *Kirchmannvs* de *Funer. Rom. lib. II c. 17:*

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos,
beryllos neque, Flacce, nec nitentes
ſemper-candida quaero margaritas,
nec quos Thynica lima perpolivit
anellos, nec iaſpios lapillos.

CCCLXXIIII. TITVS LIVIVS.

Olympiad. 180 anno 2 natus Patavii, ante Ciceronis obitum annis 18. Hiſtoricorum e Latino genere princeps, ingenti animo univerſa Romani orbis fata, ab urbis initio ad ſua usque tempora, complexus, et ſtilo exſecutus eſt eloquentiſſime libris CXLII. Admirabilis ideo viſus eſt non ſuae tantum aetatis hominibus, qui ab ultimis Gadibus Romam contenderunt Livii viſendi cauſſa, uti *Plinivs lib. II epiſt. 3* teſtatur; ſed et poſteris. In patria urbe ex hac vita migravit quarto Tiberii anno, quo et Ovidius deceſſit Tomis, uti habet *Evsebivs* in *Chronicis*. Ex iis, qui vitae Livianae hiſtoriam condiderunt, facile principes ſunt *Iac. Phil. Tomasinvs*, (niſi *Io. Rhodii* iſte liber eſt, vid. *Casp. Hofmanni Epiſtola ad Reineſium p. 57,*) *Morhofivs, Dan. Gvil. Mollervs*, et *Fabricivs*. Epitaphium *Sertorivs Vrsatvs* interpretatus eſt. Acerrimus ille imaginum cenſor, quem toties laudavimus, celeb. *Gronovivs Vol. III,* hunc vultum non Patavini, ſed liberti, cognomine Halys, eſſe pronunciat, etſi Bellorius faciei hujus titulum ornaret eximiis illis dotibus, quas in hiſtorico, vero juſtoque Livii nominis herede, amavit ipſe Caeſar Auguſtus. *Stativs lib. IIII ſilv. 7:*

Sed tuas artes puer ante discat,
omne queis mundi senium remensus
orsa Sallusti brevis, et Timavi
reddis alumnum.

CCCLXXV. AVR. CORNELIVS CELSVS.

Medicorum Cicero, Romanus seu Veronensis patria, Columellae σύγχρονος, uno saeculo vetustior Galeno, arte salutari facienda popularibus profuisse creditur a Tiberii principatu ad Trajani usque tempora. Sed et scriptis inclaruit, quae recensent QVINTILIANVS *lib. XII c. ult.* et *lib. II c. 15, lib. III c. 6,* VOLATERRANVS *Anthropol. lib. XIIII,* et IAN. DOVSA *in Sylva extemp.*

Facta urbana tuo res rustica *munere, scriptis*
nec minus illustris est medicina *tuis.*
Hinc quoque militiae *tractasti commoda* rhetor.
Hoc Martem Musis jungere, Celse, fuit.

Quibus *Veterinaria* adjicienda, et *Philosophia,* ex eodem Quintiliano *lib. X c. 1.* Vitam IO. RHODIVS, Danorum gloria; IO. SAMBVCVS imaginem conservarunt.

CCCLXXVI. CCCLXXVII. L. ANNAEVS SENECA.

Sanctitatis et continentiae exemplum eo illustrius, quo plura lasciviae irritamenta elusit. Corduba Romam delatus, philosophiae ita se addixit, ut fori pericula ne defugeret. Inde post quaesturam adulterii suspectus in Corsica insula delituit, mox ob studiorum claritatem per Agrippinam revocatus, et Neronis juventuti praepositus, praeturam adeptus est, tandem velut conjurationis Pisonianae conscius, venis sectis, fortiter occubuit. LIPSIVS. DELRIVS. Conf. *I. H.* MEIBOMII *Maecenas c. 22 n. 3 sqq.* IVVENALIS *Sat. V v. 108:*

Nemo petit, modicis quae mittebantur amicis
a Seneca.

Et *Sat. VIII v. 212:* *Quis tam*
perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni?

Sat. X v. 16:

Magnos Senecae praedivitis hortos *clausit.*

STATIVS: *Hoc plus, quam Senecam dedisse terris,*
et dulcem generasse Gallionem.

De MACIE, quam et in gemmis videmus, ipse *epist. 78: Vexari te destillationibus crebris et febriculis, quae longas destillationes et in consuetudinem adductas sequuntur, eo molestius mihi est, quia expertus sum hoc genus valetudinis; quod inter initia contempsi. Poterat adhuc adolescentia injurias ferre, et se adversus morbos contumaciter gerere: deinde succubui, et eo*

perductus

perductus ſum, ut ipſe deſtillarem. Ad ſummam maciem deductus, ſaepe impetum cepi abrumpendae vitae: patris me indulgentiſſimi ſenectus retinuit. Etiam *TACITVS* memorat, ſenile ei corpus, et parvo victu tenuatum fuiſſe.

COMAM nutrivit longiorem, uti aliarum ſectarum philoſophis, praeter Stoicos, in uſu fuiſſe docet *TVRNEBVS Adverſ. lib. XV c. 17.* In Stoicis vero *IVVENALIS Sat. II v. 15* notat *ſupercilio breviorem comam.*

CCCLXXVIII. A. PERSIVS FLACCVS.

Volaterris, patre equite Romano, matre Fulvia Siſennia natus, Romae a Rhemnio Palaemone, Fl. Virginio et Annaeo Cornuto, bonis literis eruditus. De hoc ipſe teſtatur *Sat. V:*

Teneros tu ſuscipis annos
Socratico, Cornute, ſinu.

Morum ipſe exemplar leniſſimorum, perverſos ſaeculi ſui mores ſtilo caſtigavit acerbiſſimo, Lucilii imitatione ſatyras componens, de quibus, philoſophia verborumque cultu optime temperatis, quid ſentiant viri doctiſſimi, *SCALIGER*, *CASAVBONVS* et *HEINSIVS*, nemini adeo ignotum eſſe poteſt. Fuit praeterea verecundiae virginalis, formae pulcrae, pietatis erga matrem, ſororem et amitam exemplo ſufficientis, frugi denique in rerum, quibus affluebat, copia, et pudicus. Deceſſit octavo Neronis anno, novem circiter diebus prius, quam annum vitae vigeſimum octavum impleret, ut Caſaubonus ſupputat. *MARTIALIS lib. IIII epigr. 29:*

Saepius in libro memoratur Perſius uno,
quam levis in tota Marſus Amazonide.

HEDERA, ſatyricis poëtis ad coronam deſtinata, et hujus capillos alligat, quam tamen aliis remittit in *prologo: Quorum imagines lambunt hederae ſequaces;* quem locum idem laudatiſſimus commentator optime, uti reliqua, illuſtravit. *HORATIVS lib. I carm. 1:*

Me doctarum hederae praemia frontium
dis miſcent ſuperis.

Et *lib. I epiſt. 3 v. 25:*

- - Seu condis amabile carmen,
prima feres hederae victricis praemia.

VIRGILIVS Eclog. VII v. 25:

Paſtores, hedera creſcentem ornate poëtam.

NASO de Art. A. lib. III v. 411:


Nunc hederae ſine honore jacent, operataque doctis
cura vigil Muſis, nomen inertis habet.

CCCLXXVIIII. L. APVLEIVS.

Duumvirali patre Madaurae natus, Carthagine atque Athenis praecepta philoſophiae, Romae linguam et jus Quiritium excoluit, ut cauſſarum patronum ageret. Aemiliae Pudentillae vetulae nuptias non aſpernatus eſt juvenis, corpore et animo elegans. Ejus certe accuſatores, qui iſtas artibus magicis procuratas, in eo criminabantur, crimina intendebant nimium munditiarum ſtudium, vultus liberalitatem, capillos delicatos, atque ad lenocinium decoris promiſſos; quae ipſe extenuat in *Apologia*. Doctrinae praemium, quod meruiſſet ampliſſimum, conſecutus non eſt; neque enim ad honores pervenire potuit: quare ſacris initiatus, Aeſculapii antiſtes, et in collegii Iſiaci paſtophoros cooptatus, tum Oeae, tum Carthagine, ſtatuas ex decreto recepit. In tempore vitae ejus aſſignando variant auctores. *GRONOVIVS* tamen ex numo, per Cl. Morellum edito, confici poſſe putat, vixiſſe eum temporibus Severi, Caracallae et Getae. Vitam operibus praefixerunt clariſſimi editores. *CHRISTODORI* in eum epigramma exſtat, quod et hic repetiiſſe, non erit injucundum:

Καὶ νοερῆς ἄφθεγκτα Λατινίδος ὄργια μούσης
ἄζετο παπταίνων Ἀπολήϊος· ὅντινα μύστην
Αὐσονὶς ἀῤῥήτου σοφίης ἀνεθρέψατο σειρήν.

CAPVT


Achates.
380
Sarda.
381
Sarda
382
Sarda
383
Sarda.
384
Sarda alba.
385
Sarda.
386
Achates
387
Hijacin-thus.
388
Achates.
389
Sarda.
390
Jaspis.
391
Jaspis.
392
Sarda.
393
Sarda.
394
Achates niger.
395
Achates.
396
Sarda.
397
Sarda.
398
Sarda dicolor.
399
Sarda.
400
Jaspis.
401
Sarda.
402
Cyanus.
403
Sarda.
404

CAPVT VII
MISCELLANEA.

CCCLXXX. ALLION.

Eandem hanc imaginem, adſcripto nomine ΑΛΛΙΟΝ, ex gemma in aes incidi curavit *LEON. AVGVSTINVS P. I n. 32*, et *SANDRARTIVS T. II P. III p. 57*. Ille athletam et victorem ludis pythiis fuiſſe perhibet, coronae laureae indicio motus, quae iſtis victoribus dari conſuevit, uti notum eſt ex *OVIDII Metam. lib. I fab. 9*, cauſſam hujus rei aperiente *PAVSANIA* in *Phocicis c. 7*. Doctiſſimus operis Sandrartiani enarrator, *CHRISTOPH. ARNOLDVS*, laureae honorem praeter iſtos victores, ex Car. Paſchalio monet competere ſacra facientibus Herculi, Latonae ſeu Dianae et Iunoni; ipſe vero nihil definit.

Si in re obſcura conjecturae locus eſt, omnino hic ſpectari mihi perſuadeo, *ἄυξησίν τε καὶ ὑγείαν, καὶ ἰσχὺν ὀυ δικαίαν, ἀλλ᾽ ἄδικον, ἢ σφαλερὰν καὶ ἀθλίαν, ὡς ἡ τῶν ἀθλητῶν ἐξ ἀναγκοφαγίας περιγίνεται*, quae *CLEMENTIS* verba ſunt *Paedagog. lib. II c. 1.* Facies enim ſucculenta, malae diſtentae, cervix et artus toroſi, *ἀθλητὴν καλὸν καὶ ἐλευθέριον* robore et forma excelluiſſe oſtendunt. Conf. *H. MERCVRIALIS* de *Arte Gymn. lib. I c. 15.* Tholoſani Senatus olim princeps, *P. FABER, Agoniſt. lib. III c. 2, 3*, et *ὁ πάνυ G. OLEARIVS* in *notis* eruditiſſimis ad Philoſtrati *Vitam Apollonii lib. IIII c. 25.* Sed ubi et quando vicerit? illud vero eſt, quod praeſtat inter ea referre, de quibus pronunciatur, NON. LIQVERE. *GVILELMO LLOYD* in *Serie Chronologica Olympiadum*, ubi victorum in ludis iſtis nomina ſedulo annotavit, neque Allion, neque Nampheros hoplomachus, ſcuto galea, thorace, ocreis munitus, aut mirmillo, ut vult *GRONOVIVS*, cujus imaginem idem profert Auguſtinus *n. 166*, cogniti ſunt. Obiter hic addo, Mirmillones, ab armatura gallica, cui nomen ex piſce erat inditum in galea efficto, dici, annotante vetere Scholiaſte Iuvenalis ad *Sat. VIII v. 200.* Iulii Africani *ἀναγραφή*, cujus fragmenta Euſebius conſervavit, ad manus non erat, ut illam ſuper hac re conſulere licuiſſet.

Quod nudus eſt, et nonniſi humerum ſiniſtrum, ut videtur, integumento tectus, *πρωτότυπον* gemmae Graeci eſſe operis innuit; inde in mentem venit, utrum heros hic fuerit ex Graecorum genere, *ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι, a ſaliendo* dictus? an ex familia Romana Allia oriundus, in quem Graeci cujusdam clientis haec foret pietas, ut patroni effigiem annulo incluſam geſtaret? Non puto.

 Dum

Dum mentionem injeci familiae Alliae, ſubit memoriam *Io. Vaillantii,* viri in antiquis rebus ſagaciſſimi, obſervatio, quod primis temporibus Aelia gens, cum pronunciatione aſpera ſit vocata *Allia,* deinde tenuiore, *Ailia,* et tandem *Aelia.* Quae licet ita ſeſe habeant; certum tamen non minus eſſe videtur, fuiſſe inter Romanos, qui Caeſarum priorum aevo Allii nomine inclaruerint: eos vero omnes ex Aeliorum gente eſſe, aſſeverare nollem. Reperiuntur inſcriptiones non paucae apud Gruterum, Reineſium, Fabrettum, Malvaſiam, aliosque, in quibus Alliorum nomen legitur. *Io. Lvcivs* in *Inſcript. Dalmat.* quem libellum cum *Regno Dalmatiae,* patria lingua nuper edito, recudendum curavi, deſcripſit lapidem:

C. ALLIO. T. F. FAB. LVCAE. VETER. LEG. XX
C. ALLIO. PRISCO. F. ANN. X
C. ALLIA. C. L. METHE
PATRONO. ET. FILIO. VIVA. BENEMERENTI
IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XVI
ET. C. ALLIO. VITALI. FILIO.

Hunc eundem etiam *Reinesivs Claſſ. VIII n. 7,* ſed cum aliquo discrimine, exhibet. Hic, quod ad rem praeſentem facit, notaſſe ſufficiat, legionem XX, quae et Pannonica dicebatur, vix ſemiplenam, Meſſala Corvino duce, barbarorum XV millia praelio deviciſſe, a Tiberio Caeſare in Dalmatiae oras adductam. *Velleivs lib. II c. 112.* Eodem tempore vixit T. Allius, T. F. Rufus, IIvir Piſanus, de quo eſt in Cenotaphio Piſano. Denique et Commodus inter reliquos conſulares Allium Fuſcum ſuſtulit, teſte *Lampridio* in *vita.* Ab Alliis diverſi videntur Aillii, cujus familiae mentio eſt in inſcriptione apud *Raph. Fabrettvm c. V n. 335:* IOVI. OPT. M. Q. AILLIVS. Q. L. CORVMBVS. VI. VIR. AVGVSTALIS. ET. AILLIA. Q. L. CHILA. S. P. D. D. Sed haec modice adſperſiſſe, ſatis erit.

CCCLXXXI. L V C I V S.

Quo ordine hic Lucius ſit cenſendus, ego quidem ignoro. Lucii enim praenomen plurimis in hiſtoria Romana illuſtribus eſt commune. Contuli hanc faciem cum Lucio, Auguſti nepote, quo nomine gemma offerebatur; cum Lucio, Antonini collega,

Ἦν δὲ καλὸς ὁ Λεύκιος τὸ σῶμα καὶ τὴν γνώμην,
εὐμήκης, εὔοπτος, ἡδὺς, ξανθοκόμος, ῥοδόχεους,

dicente *Constantino Manasse p. 87,* imo et cum aliis, quae hoc nomine proſtant, monumentis antiquis; quod autem ſimile perſpicerem, nihil erat.

Attentius conſiderans frontem extenſam, tempora multum cava, ſupercilia tumentia, oculos minores, concavos et profunde reconditos,

conditos, nasum longiorem, a fronte gibbosum, desinentemque in uncum, mystacem, seu barbam in labro superiore, collum musculosum, humeros torosos, vestitum fluitantem, et laxiorem, quam virum deceat; haec, inquam, considerans, videre mihi videor hominem arrogantem, iracundum, impium, impudentem, et cum lascivia crudeliter saevientem. Nam secundum *LVCANVM lib. VIII v. 413, saevitia stimulata Venus.* De NASO *PIERIVS lib. XVIIII c. 3: Quin etiam,* inquit, *invenias homines eo naso praeditos, cujusmodi aquilae rostrum est, pro regiis aestimari solitos. Quod Plato tradit, et Plutarchus receptum asseruit, Persaeque hominum id genus mirum in modum commendabant, ejusmodi fuisse Cyrum, historiarum auctores tradunt, atque ea se specie factum gloriari solitum. Sed quoniam rostri τὸ γρυπὸν illud est, quod isti regium existimant, animadvertendum, duplex esse τοῦ γρυποῦ genus, unum, cui a fronte statim nasus insurgit, id impudentis animi signum ponit Aristoteles, similitudinemque eam ad corvum propius accedere: alterum, cui nasi curvatura separatur a fronte, circaque medium intumescit, et in unci speciem exit. Hoc esse magnanimitatis indicium, et ad aquilam referri, philosophus idem tradit.*

CCCLXXXII. INCOGNITA.

Caput bene comatum, crines diademate distincti, et a cervice in nodum coacti, aure exstante. Vid. *SANDRART. T. II S. II p. 62.*

CCCLXXXIII. INCOGNITA.

Moribus antiquis cultam, hoc est, ἄπλαστον καὶ οὐδαμῶς καλλωπισμένην, sine ornatu ullo decoram feminam, priori jungimus, testem priscae simplicitatis, cujus inter veteres Romanos viri pariter ac feminae erant amantissimae, uti exemplis aliquot Romanarum mulierum demonstrat ὁ πάνυ *ARNOLDVS* ad Sandrart. *loc. cit. p. 30. MENANDER* Comicus apud Clementem *Paedag. lib. III c. 2:*

Νῦν δ' ἔρπ' ἀπ' οἴκων τῶνδε· τὴν γυναῖκα γὰρ
τὴν σώφρον' οὐ δεῖ τὰς τρίχας ξανθὰς ποιεῖν.
At nunc abi ex his aedibus: nam feminam
turpe est pudicam facere flaventes pilos.

Recte omnino idem presbyter Alexandrinus paulo post subjungit: Κεκρύφαλοι μέν γε, καὶ κεκρυφάλων διαφοραὶ, καὶ περίεργοι πλοκαὶ, ἀλλὰ καὶ τῶν τριχῶν οἱ μυρίοι σχηματισμοὶ, κατόπτρων τε πολυτίμητοι κατασκευαὶ, οἷς κατασχηματίζονται, θηρῶσαι τοὺς δίκην παίδων ἀφρόνων, περὶ τὰς μορφὰς ἐπτοημένους, τέλειον ἀπηρυθριακυιῶν ἐστι γυναικῶν· ἃς ἑταίρας καλῶν, οὐκ ἄν τις ἁμαρτάνοι· προσωπεῖα ποιούσας τὰ πρόσωπα. *Vittae certe, et earum permultae differentiae, et curiosae ac supervacaneae capillorum plicaturae, et crinium innumerabiles figurae, et speciosae speculorum structu-*

structurae, quibus se componunt, dum venantur eos, qui puerorum more insipientium formas admirantur, sunt feminarum, quae omnem pudorem exuerunt: quas qui meretrices vocaverit, is non aberraverit, ut quae ex vultibus suis personas faciunt. His consona habent *TERTVLLIANVS* et *CYPRIANVS*, de *velandis virginibus*, deque *disciplina et habitu virginum.*

CCCLXXXIIII. INCOGNITVM.

L. AVGVSTINVS P. I n. 38 notabile esse hoc caput pronunciat, ob crines, non multum dissimiles comae Alexandri Ammonis, quem idem habet *n. 33*. Laudatus antea operis Sandrartiani enarrator, Thesei tonsurae iconem in hoc capite contemplatur, ad *PAVSANIAM* provocans, qui *lib. I n. 19* χιτῶνα ἔχοντος αὐτοῦ ποδήρη, καὶ πεπλεγμένης δὲ εὐπρεποῦς τῆς κόμης, *talaris pallae et comae eleganter plexae*, meminit; et ad *PLVTARCHVM* maxime, qui tonsuram ejus describens: Ἐκείρατο δὲ, ait, τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον. *Tonsum fuit autem sinciput ejus solum.* Conf. *MEVRSII syntagma de Theseo.* Posses etiam credere Phoebum, vel Narcissum aliquem, aut alium diis hominibusve ob formam dilectum puerum; quales cirrati Romanis lautioribus ministrabant, muliebri plerumque habitu, coma fluente et longa. *SENECA epist. 119: Si pertinere ad te judicas, quam crinitus puer, et quam perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis.* Add. *LIPSIVS* ad Senec. de *Brevitate Vitae c. 12*, et *HADRIAN. IVNIVS* de *Coma*.

CCCLXXXV. INCOGNITVM.

Habitu oris, crinium et vestitus, haud dispar est caput, quod *AVGVSTINVS P. II n. 49* profert. Iuvenile nimirum est, coma curiose circumtonsa, et veluti rotundata. *VARRO: Alii sunt circumtonsi, et torti atque unctuli, ut mangonis esse videantur servi.*

CCCLXXXVI. MILES.

Graeci alicujus herois faciem esse suspicatur *AVGVSTINVS P. I n. 41*, quia nudus est et capite galeato, ut conspecti sunt Achilles et Diomedes, ex more Graecorum, qui nudos fingebant heroas. Heroum autem titulo Graecos decorasse quoscunque de aliquo populo bene meritos, constat ex *SERVIO, MARTIANO CAPELLA*, aliisque. Et Atheniensibus visum est, ὡς ἥρωα τιμᾷν Θησέα, *honorem, ut heroi, Theseo tribuere. PLVTARCHVS* in *Theseo p. 17*.

CCCLXXXVII. MILES AFRICANVS.

Ducem fuisse Africanum, conjicit eruditissimus *ARNOLDVS l. cit.* tum ex galea, quae similitudine quadam respondet galeis Dacorum in

in columna Trajani; tum ex facie et cultu capillorum, quos more Africano comtos asserit. Afros quoque barbam nutrivisse, discimus ex *SVETONII Iulio c.71*, qui *Iubae regis* Heimpsalis *filio in altercatione barbam invaserit*.

CCCLXXXVIII. MILES.

Senile caput, galea (nisi pileus sit,) tectum simplicissima, cujus nec bucculae sunt, malas et latus munientes, nec silae, uti *FESTO* voce *Silus*, vocantur extremitate galeae repanda; nec apex, aut insigne ullum. *LVCANVS*:

Illic plebeja contectus casside vultus.

CCCLXXXVIIII. REGINA.

Incognita feminae facies, capillitio septem annellis egregie comto, et mitra, ut videtur, tecto, palmae ramum respicit: reliqua coma per humeros et pectus defluente. Caeterum nuda est, mamma exserta. Felicissimus antiquitatum interpres, *PH. BVONARROTI tab. 36 n.2 p.411, 412*, similem fere exhibet imaginem, et de mitra more suo, id est, doctissime commentatur. Videas et apud alios capita huic non prorsus dissimilia; nec tamen lux affulget, quae caliginem dissiparet. Arsinoë hoc fere capitis ornatu est apud *SANDRARTIVM T. II p.41*, et sol in lampade, quam ex Begero, suo intulit thesauro celeberrimus *MONTFAVCON T. V P.II tab.162 p.218.*

CCCLXXXX. INCOGNITVM.

Regis caput altero oculo capti, certe obducti, cum corona radiata quatuor radiis, et duplici circulo constructa. De hoc nihil amplius habeo dicere, nisi quod in *GORLAEI P.II n.214, 236, 237, 275*, visantur fere gemina. Primum Antiochi Evergetae, qui et Sidetes, censet esse Gronovius; secundum et tertium, regum externorum, ad quorum tamen hoc accedat Victorinus junior. An orientis vel providentiae typos dicemus? quales sunt in Tristano *Vol. I, p. 464*, et *Vol. II p. 162.*

CCCLXXXXI. ANONYMVS.

Veterani cujusdam ducis vultus, ex barbae, galeae et armorum rudi cultu dignoscitur, Romanae originis non fuisse, sed Scythicae; Tamerlane truculentior, horridus adspectu est, bucculentus et physcon.

CCCLXXXXII. ALEXANDER.

Alexandro juncta capita Aristotelis, Arati et arietis cum Ammonis cornu, significare videntur, rerum agendarum fulcrum esse

vividae juventutis indoli junctam ſenilem ſapientiam, quae docet occaſione a fronte capillata, poſthaec depili, ſapienter uti forti divitiisque firmata conſtantia, quae tamen omnia Iupiter largiatur, cui ideo faciles praebere aures conveniat.

ARIETEM, machinam bellicam, ſymbolum eſſe fortis conſtantiae, uti aries, pecus lanigerum, eſt divitiarum, nemo ignorat; et nuperrime oſtendit *Io. CAR. SCHOTTVS*, in ſchediaſmate, Teutonica lingua conſcripto, quod titulum gerit: *Boni Principis virtutes praecipuae in gemma ſcalptae*, die Haubt-Tugenden eines löblichen Landes-Herrn, *p. 20 ſqq.*

Sed ludere animus eſt, aliasque et varias aenigmatis comminiſci interpretationes, ut oſtendamus, quam fecunda ſint aenigmatum argumenta. Alterum itaque myſteriorum quod habere videtur gemma, hoc eſt, ut doceat principem, imo omnem hominem, ad majora natum, qui laudis ſuae decus nolit conſeneſcere, primas deferre debere ſolidis ſapientiae praeceptis, quibus Ariſtoteles Alexandrum imbuit: ſecundas partes poëſi artibusque liberalibus, tertias denique divitiis, roborive eſſe deputandas.

Contemplari porro in hoc lapide quis poſſet principis majeſtatem, eamque laeta ſpecie mitem, comem et benignam omnibus: illam vero contineri ſapientia vera, quae res non tam humanas, quam divinas contemplatur, ex placito Ariſtotelis, veram in entis cognitione philoſophiam quaerentis: deinde prudentia rebus humanis reique publicae moderandae apta, cujus praecepta, ſub jucundo fabularum involucro, commendarunt poëtae: denique multitudine ſubjectorum, qua fretus, cornua, hoſtibus formidanda et improbis, obvertere valeat. Num ſignificare voluit fictor gemmae, bonum principem decere, ut deum, deinde conſiliarios prudentes, (Ariſtoteles enim et Aratus in aula vixerunt;) audiat; ac tum demum viribus confiſus in hoſtes moveat?

Imo ſicuti Ammonis reciprocicornis (Laberii voce utor) nota intelligebant veteres, deum omnium ſaluti proſpicere; *PIERIVS lib. X c. 36*; ita qui gemmam finxit, denotare fortaſſe voluit, boni principis eſſe, omnes ſapientiae prudentiaeque nervos intendere, quo cunctis ſub ipſius imperio degentibus bene ſit, omniumque ſalus, quae ſumma lex eſt, aut eſſe debet, imperantibus dicta, procuretur, maxime quia ſubjectorum ſalute ſalus quoque principis et majeſtas continetur.

Niſi rotunde dicere malimus, et regis, et purpuratorum, et civium illis ſubditorum, curam gerere deum, a quo cuncta habeant principium et ortum. Quam conjecturam peperit cogitatio, menti obveniens, unumquodque horum capitum, quibus aenigma componitur, literam A in fronte habere. At claudendi ſunt rivuli; ſat prata biberunt.

CCCLXXXXIII.

CCCLXXXXIII. VENVS ET CVPIDO.

Celeri greſſu incedentes: hic nudus; illa fluitante palla talari tenuiſſima, pectus cincta, velo poſt terga ventis dato, λευκόλενος *niveis hinc atque hinc viva lacertis*, et πυροφόρος, ſeu facem praeferens quaſi ad libidinem.

Veneri CVPIDO filius jungitur: nulla enim Venus ſine Cupidine.

Venus in capite APICEM geſtat, quem πόλον dici, ex Pauſaniae *lib. II c.10*, obſervavit deſideratiſſimus *LOCHNERVS*, qui factus videbatur ad omnia, de *Papavere p.109*.

VESTITA eſt, φάρει κόλπον ἔχουσα ἐπίσκιον, quia Venus occulta eſt, et occulta eſſe debet; unde *Melaenis* vocatur. *ELIAS SCHEDIVS* de *Diis Germanorum Syngramm. I c.9 p.130*.

Ἀμφὶ δὲ μαζοῖς κεστὸς ἕλιξ, pectus coopertum eſt CESTO, honeſti amoris indice, quem *COLVTHVS* de *Raptu Helenae v.154* μελίφρονα δεσμὸν ἐρώτων, *mellitum amorum vinculum*, et *APVLEIVS pallium bombycinum*, nuncupat, de quo, poſt *HOMERVM Iliad. Ξ v.214*, Graeci pariter ac Latini poëtae ſatis multa ſunt nugati. Quid ſit CESTVS? doctiſſimus *NIC. RIGALTIVS* in *Notis* ad Onoſandri *Strateg. c.10 p.25, 26, 27*, disquirit, itemque *IO. TRISTANVS*, qui ejus occaſione de linteo Tarentino non inerudita congeſſit. Caeterum Venus mammis nudis ſe oſtendens, melioris habebatur ominis, quam ſi tecto pectore appareret. *ARTEMIDORVS lib. II c.42*: Ἀεὶ δὲ ἀγαθὴ νενόμισται ἡ μέχρι ζώνης τὰ κάτω ἐσκεπασμένα ἔχουσα, διὰ τοὺς μαζούς, οἳ εἰσὶ τροφιμώτατοι, γυμνούς τε ἔχειν καὶ ἐπιδείκνυσθαι. *Semper autem bona judicata eſt, quae infernas partes usque ad zonam velatas habet, propterea quod mammas, quae maximum alimentum praebent, nudas habeat ac oſtendat.*

FACE, qua Cupido exarmatus eſt, inſtructa Venus, in monumentis antiquioribus frequens eſt. Eandem ardentem pectore proferebat Venus apud Saxones, annotante *GYRALDO Synt. XIII p.387*. Face enim, dum lucet, nihil gratius oculis; dum comburit, nihil moleſtius: quae omnia inſunt amori, ut ſit et ſuaviſſimus et moleſtiſſimus, uti Cupidinis faces explicat *PLVTARCHVS* apud Stobaeum. Quod ſi non facem, ſed SCEPTRVM quis mallet agnoſcere, illud eburnum gerebat, ut omnium domina ac regina, quae jura det caelo, omneque terrae genus contineat.

CCCLXXXXIIII. CVPIDINVM LVCTA.

Erotis et Anterotis, fratrum uterinorum ex Vulcano et Marte, natales luculenter expoſuit *PORPHYRIVS*. Eſt autem Cupidinum

poteſtas, contraria ſibi viſa, concors admodum, eo connitens, ut alter alterum amore ſuperet; ita ut Anteros poenas ſumat de eo, qui amatus non redamat. *BEGERVS Th. Br. Vol. I p. 35, 36.*

Platonici quoque duos Cupidines admiſere, *caeleſtem* alterum, alterum *terrenum*. *Ille* purus atque ſincerus, in caelis habitans, juvenili corpore, lucido ac maxime pulchro fingitur, qui ſoli ſimilis omnia luce ſua permeat, calefacit, pectoraque ad caeleſtium contemplationem inflammat, ut radii ejus ad ſe reflectant. *Hic* ex libidine naſcitur, calore ſeu Vulcano excitata. Nolo huc vocare, quod iidem, ex diſciplina Orphei, ἔρωτα deum antiquiſſimum, per ſe perfectum, ſapientiſſimumque praedicant, quem eſſe id, quod Moſes in libro creationis *Spiritum* nuncupat, *AVGVSTINVS STEVCHVS* de *Perenni Philoſ. lib. VII c. 10 p. m. 430* comprobare nititur; utpote quae longius petita, ad gemmae illuſtrationem non pertinent; uti nec illa, quae de duobus principiis, bono et malo, philoſophi apud *PLVTARCHVM lib. de Iſid. et Oſir.* disputant.

Vtrique ALAS addunt; quarum munus eſt, gravia per ſe corpora, et humi ſidentia, in ſublime attollere. Et *caeleſti* quidem, quod animae ab omni materiae labe ſejunctae extollant ſe ſupra humana: *terreno*, quod inconſtantia omnia in amore, amantiumque cogitationes leves huc illuc agitentur. Scriptorum vetuſtiſſimi de alis nihil prodidere: poſtea *aureas* alii a tergo ſplendentes, alii *nigricantes* et *puniceas*, alii *verſicolores* affinxere.

Marmoreusque tibi, Dea, verſicoloribus alis
in morem picta, ſtabit Amor pharetra.

Lepidiſſimus Mileſiarum ſcriptor, *APVLEIVS lib. V*, Cupidinis cubantis effigiem ita deſcribit: *Per humeros volatilis dei pinnae roſcidae micanti flore candicant, et quamvis alis quieſcentibus, extimae plumulae tenellae, ac delicatae, tremule reſultantes, inquiete laſciviunt. PHILOSTRATO Iconum lib. I. n. 29* γέγραπται πτηνὸς, τὸ εἰωθός, et *CALLISTRATO* in *Statuis n. 3,* πτέρυγας ἔχων, *alis praeditus* eſt. Plura dabit vir ſaeculorum memoria digniſſimus, Illuſtr. *CVPERVS* in *Apoth. Hom. p. 173.*

CCCLXXXXV. VVLCANVS.

Niſi Dacus fuerit, Scythave, quo nomine gemma ad nos pervenit, vel Cyclopum unus, ferrum exercens,

Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon,

brachia quippe et pedes nudi ſunt, et capita fabrorum ferrariorum pileata; dicerem Vulcanum eſſe, qui opus fabrile tractet in incude.

PILEVS, quo caput tegitur; eſt autem ille caeruleus, teſte *EVSEBIO*, et caeleſtis ſymbolum volutionis; malleus item, forceps, veſtitus brevior, ſedile, cum antiquis monumentis conſentiunt. *AR-*

NOBIVS

NOBIVS *lib. VI, cum pileo,* inquit, *Vulcanus et malleo.* ARRIANVS ad Epicteti *Enchirid. lib. IIII c. 8: Ne Vulcanum quidem praeclarum fabrum judices, nisi pileolum capiti ejus impositum videas.*

De fumigata BARBA Vulcani, nuptias cum Venere sua celebrantis, DAN. HEINSIVS *lib. I eleg. 7:*

Illa quidem nollet, quoties fuligine pectus
adspicit, et nigras ignibus esse genas.

Et post paulo:

Oscula pacturus, Venerem fuligine tinxit:
ad choreas voluit pergere, claudus erat.
Vix lachrymas tenet illa suas: sed proximus illi
Mars fuit, et priscam spondet amator opem.

CCCLXXXXVI. MARS ET MERCVRIVS.

Martem κορυαίολον, nudo pectore sedentem sub arbore, Mercurius, a Iove missus, e Thracia, ubi in nemorosa silva templum habebat, ad bellum Thebanis excitandum evocat. STATIVS totam hanc fabulam exponit *lib. VII Thebaid. init.*

Hic steriles delubra notat Mavortia silvas.

De Mercurio idem:

Nec Arcadii bene proteget umbra galeri.

Vnica arbore in monumentis antiquis silvam denotari, notum est.

CCCLXXXXVII. P A N.

Typus huic similis, qui est in numo ΝΥΖΑΙΕΩΝ apud PATINVM in *Num. Imp. p. 306,* gemmae nostrae dat, et vicissim lucem ab ea accipit. Satyrus, seu potius Pan deus, Bacchi comes perpetuus censebatur, quem LVCIANVS vocat τῶν Διονύσῳ θεραπόντων τὸν βακχικώτατον. Dubitat Patinus, capram trahat, an hircum? De capra SILIVS *lib. XIII:*

Dextera lascivit caesa Tegeatide capra.

In gemma τράγος τῷ γενείῳ θαῤῥῶν, uti vocat AELIANVS *lib. VII c. 26,* agnoscitur, ut, divinare si liceat, Pana Mendem exhiberi istoc typo suspicer, qui describitur pudendum habens septem circiter digitorum arrectum. Vnde CLEMENTI in *Protrept. p. 40* πανίσκοι τινὲς καὶ γυμναὶ κόραι, καὶ σάτυροι μεθύοντες, καὶ μορίων ἐντάσεις conjunguntur. HERODOTVS: Καλέεται καὶ ὅ, τε τράγος καὶ ὁ Πᾶν αἰγυπτιστὶ Μένδης. Et STEPHANVS ex Strabone Mendesios coluisse docet τὸν Πᾶνα καὶ τράγον. Conf. BEGERVS *Th. Br. Vol. I p. 155, 156.*

Inde porro non improbabili fortasse ratione colligo, Nyzam, in qua urbe numus est percussus, esse Nyzam Aegypti, de qua consu-

consulendi sunt interpretes *STEPHANI* de *Vrbibus*, voc. *Mendes* et *Nyza*; itemque *KIRCHERI Chronographia Aegypt.*

CCCLXXXXVIII. SPES.

Florem, herbam seu lilium, sinistra tenet, dextra vestem sublevat, accedens ad spicam, quae in vase seu urceo plantata, spem frugum et messem in herba significare videtur. *AVGVSTIN. Part. I n. 121. GORLAEVS P. I n. 15.*

IVVENCVLA fingitur, quod ea in aetate spes laudetur, non res, ut ait Cicero. Inde et pannum ab humero alterutro dependentem habet, sicut et dea Iuventus: juventutis quippe ardor animum ad majora incitat. *ARISTOTELES Problem. XXX qu. 1:* Ἡ νεότης, ἐλπίδος πλήρης. *CVRTIVS lib. VIIII c. 9: Quo propius spes admovetur, crescit ardor animorum.*

HILARIS est, tam quia res sperata animum exhilarat, quam quia spes condimentum est vitae, quae sine illa foret plane injucunda. Ἐλπὶς γάρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν, dicit *SOPHOCLES* apud Stobaeum *Serm. 261.* Et *STAGIRITA l. cit. qu. 7:* Χαίρομεν καὶ μεμνημένοι καὶ ἐπλίζοντες τοιαῦτα. Non enim solum gaudemus praesentibus, sed et spes futurorum jucunda est, docente eodem philosopho *Rhetor. lib. I c. 11. LEVCIPPVS* apud Stobaeum *Serm. 260,* τὰ μὲν ἡδέα κἂν μήπω παρῇ, τέρπει ταῖς ἐλπίσι. *PLINIVS* in *prooem. lib. XXVIIII: Blanda est sperandi pro se cuique dulcedo.*

VESTE amicta est LONGA, quod longa plerumque praecedat, antequam re potiamur: *difficilis* autem *est hominibus utcunque conceptae spei mora. VELLEIVS lib. II c. 67;* illam enim, incertam valde, velut e longinquo tantum futuram cernimus: LAXA, quod res sperata non in nostra sit potestate; sed variis fortunae procellis, et perpetuo dubitationis vento, adhuc obnoxia: TENVI, cujus perlucidus contextus, rem quidem ipsam, sed obscure admodum, oculis cernendam sistit. Nec alia de caussa vestem ATTOLLIT, quam ut rei ipsius particula, quae in oculos se ingerit, ejusdemque quasi praeceptio animum sperantis attrahat, alliciat, confirmet, ne diuturna exspectatione deficiat. Vel indicatur, spem menti celerrime se insinuare.

Quare et GRADIENS fingitur, ut quae quotidie appropinquet, sive celeri pede, atque tunc bona est spes; sive tardo, et tacitis tantum gressibus, quando spes anxia mentem

extrahit, et longo consumit gaudia voto.

STATIVS Theb. lib. I v. 323, ad quem locum C. Barthius doctissime est commentatus. Praeterea admonet, spem, sicuti et gressus non ultra quam par est, esse extendendam. Nam ἄλογοι τῶν ἀξυνέτων ἐλπίδες,

ἐλπίδες, inquit *DEMOCRITVS* apud eundem Stobaeum *Serm. 261.* Et *EPICTETVS ibid.* Καὶ τοῖς σκέλεσι καὶ ταῖς ἐλπίσι τὰ δυνατὰ δεῖ διαβαίνειν, *ut crura, sic spem quoque, non amplius extendere convenit, quam fieri commode potest.* Quod vero adipisci arduum, id etiam sperare nimium est. *PLINIVS lib. IIII epist. 8.*

FLOREM tenet. Τῶν προσδοκωμένων ἀγαθῶν ἡ θλίψις ἄνθος ἐστί· διὰ οὖν τὸν καρπὸν καὶ τὸ ἄνθος δρεψώμεθα. *GREGORIVS* Nyssenus apud eundem Stob. *Serm. 260.* LILIVM nonnulli existimant, suasque in partes advocant *ARTEMIDORVM Oneirocrit. lib. I c. 79,* qui coronas ex liliis plexas, ut certum rem in spes differendi ac prolatandi augurium notat. *TRISTANVS T. II p. 34. SPANHEM.* de *Vsu et Praest. Num. diss. II p. 118. ed. vet.*

SPICA proventum frumenti uberiorem, fructuum feracitatem, bonorumque copiam ostendit. *PIERIVS lib. LVI c. 6,* interdum etiam spem victoriae in ludis notat. Ea in VASE plantata, istud *SOCRATIS* apud Stob. *l. c.* confirmat: Οὔτε γυνὴ χωρὶς ἀνδρὸς, οὔτε ἐλπὶς ἀγαθὴ χωρὶς πόνου, γεννᾷ τι χρήσιμον. *Neque mulier sine viro, neque bona spes sine labore, utile quidquam parit.*

CCCLXXXXVIIII. CCCC. FORTVNA.

Nec te praetereo, populi Fortuna potentis
publica,

quam imperatores auream in cubiculo servarunt, *CAPITOLINVS* in *Antonino Pio,* et alibi. Post Spei typum colloco, quasi signum τύχης εὐελπίδος, cui in longo angiportu Romani aram dedicaverant, uti legimus apud *PLVTARCHVM* de *Fort. Romanorum T. II Opp. p. 323.* Homeri quidem aetate, qui neque in Iliade, neque in Odyssea illius meminit, annotante *PAVSANIA lib. IIII c. 30,* et *MACROBIO Saturn. lib. V c. 16,* nondum in deorum numerum relata fuisse verisimile est: interim late regnabat inter Graecos Romanosque, omnisque eam Italiae ora maritima, ab Antio ad magnam Graeciam, cumprimis colebat: templa Romae illi dedicata, plurimaque signa erecta, quorum Plutarchus *loc. cit.* meminit, et *DIO CASSIVS lib. LIIII* templum Fortunae pantheum describit. Conf. *HERB. DE CHERBVRY* de *Relig. Gent. c. 12, p. 212.*

Fortuna symbolis dignoscitur CORNV COPIAE. Ὑμνούμενον ἐκεῖνο τοῦ πλούτου κέρας, sinistra gerit: cuncta siquidem mundi bona administrare, divitias, abundantiam, felicitatem, largiri, imo bona et mala dispensare credebatur. *PRVDENTIVS lib. I contra Symmach.*

Formatum Fortunae habitum cum divite cornu.

ARNOBIVS lib. VI: Fortuna cum cornu, pomis, ficis aut frugibus autumnalibus pleno. LACTANTIVS Instit. lib. III c. 28: Simulacrum ejus cum copia *et gubernaculo fingunt, tanquam haec et opes tribuat, et humanarum rerum*

regimen

regimen obtineat. Copiam vocat, fere ſicut et *AMMIANVS lib. XXII c. 9: Velut mundanam cornu copiam fortuna geſtans propitia.*

GVBERNACVLVM innuit, penes ipſam eſſe mundi regimen. Conf. *DIO Orat. 64* et *65 de Fortuna.*

Illud in priori gemma GLOBO imponit, ut jus et dominium in terras notaret; quo ſchemate Fortuna redux in numis imperatorum frequens conſpicitur, indicans terra marique iter eſſe confectum. Conf. *L. AVGVSTIN. P. I n. 123, P. II n. 31.*

CCCCI. FORTVNA.

Oleae ramum, uti videtur, pro gubernaculo dextra gerit, ut teſtetur, ſe eſſe originem felicis laetitiae. Cornu copiae, quod ſiniſtra amplectitur, terrae innititur. *GORLAEVS P. II n. 156* fortunae typum exhibet, in quo ramus gubernaculo jungitur, cujus ſignificationem ſe ignorare faſſus eſt vir ſummus, *BERN. MONTFAVCON T. I P. II lib. I c. 10.* Quod ſi non oleae, ſed lauri ramus foret, felicitatem ex victoria notari, credibile eſt.

Ceterum ne quis miretur, Fortunam dici, quae paucis adeo hujus deae ſymbolis dignoſcitur, *PLVTARCHI* locum ex laudato jam libello de *Fortuna Romanorum*, recito, ubi ita eam deſcribit: *Fortuna Perſis et Aſſyriis deſertis, cum leviter pervolaſſet Macedoniam, celeriterque abjeciſſet Alexandrum, Aegyptumque deinde et Syriam peragrando regna diſtuliſſet, et ſaepe converſa Carthaginienſes tuliſſet, poſtquam transmiſſo Tiberi ad Palatium appropinquavit, alas depoſuit, talaria exuit, ac infideli et verſatili illo globo miſſo facto, ita Romam intravit, ut manſura: ac talis jam adeſt ad judicium: non enim incerta eſt, qualis apud Pindarum, neque geminum verſat gubernaculum; ſed rectius dicitur Iuſtitiae et Suadae ſoror, ac* προμηθείας *ſeu Providentiae filia; quomodo genus ejus Alcman deſcribit. Illud vero omnium ſermonibus celebratum cornu copiae in manu habet, non frugibus ſemper florentibus refertum; ſed largiſſime omnia profundens, quae omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla, portusque ferunt.* Hactenus Plutarchus.

CCCCII. FORTVNA ET CVPIDO.

Bona, quod dicitur, fortuna redeunt in memoriam, quae *PAVSANIAS* habet *in Achaicis* ſeu *lib. VII c. 26.* His enim ad exprimendos gemmae ſenſus vix alia lucidiora reperiri poterunt. Ita autem ille: *Οἶδα καὶ οἴκημα ἐν Αἰγείρᾳ θεασάμενος. Ἄγαλμα ἦν ἐν τῷ οἰκήματι Τύχης, τὸ κέρας φέρουσα τὸ Ἀμαλθείας. Παρὰ δὲ αὐτὴν Ἔρως πτερὰ ἔχων ἐστίν· ἐθέλει δὲ σημαίνειν, ὅτι ἀνθρώποις καὶ τὰ ἐς Ἔρωτα τύχη μᾶλλον ἢ ὑπὸ κάλλους κατορθοῦται. Ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ καὶ μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην, καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελ-*

φάς

φάς τι ἰσχύειν. *Aedicula etiam quaedam Aegirae est, in qua Fortunae signum sum conspicatus, Amaltheae cornu prae se gerens; cui adsistit volucer Cupido. Significat haec nimirum Amoris cum Fortuna conjunctio, plus fere in amore homines ope Fortunae, quam pulchritudine proficere. Facile autem mihi Pindarus in suis canticis quum alia multa persuadet, tum vero unam esse Parcarum Fortunam, et eam quidem potestate sororibus antecellere.* Add. *GORLAEVS P.II n.32.*

CCCCIII. SACRIFICANS.

Praeferens dextra lauri ramum, sinistra pateram effundens in focum accensum. Cui deo sacra faciat, difficile dictu est, quia iidem plane ritus observabantur in compluribus deorum sacrificiis. Laurum, quae et ipsa non in Apollinis solum, sed et Dianae aliorumque deorum sacris frequentabatur, seu quod sacrificantes, ut eam in capite et manibus gestarent, moris esset, (vid. *n. 52,*) seu vaticinii captandi fortasse caussa manu gerit; prorsus uti L. Cornelius Ianuarius Fanaticus, cujus imaginem dedit Cl. *SPONIVS Miscell. sect. 2 art. 6 p. 30.* Neque enim tantum ex lauri crepitu ad focum vaticinabantur; de qua daphnomantia *OVIDIVS lib. I Fastor.*

Et sonet in mediis laurus adusta focis.
Iterum: *Et tacet exstincto laurus adusta foco.*
Rursus: *Laurus uti bona signa dedit.*

Vid. gemmae typus ex Gorlaeo et Maffejo, apud laudatissimum *BERN. DE MONTFAVCON T. II P. I lib. III c. 18 n. 2.* Sed et vulgus persuasum habebat, illum, qui lauri ramum manibus teneret, futura praedicere. *IAMBLICHVS* de *Myster. Sect. III c. 12:* Καὶ μὴν ἥγε ἐν Βραγχίδαις γυνὴ χρησμῳδὸς εἴτε ῥάβδον ἔχουσα, τὴν πρώτως ὑπὸ θεοῦ τινος παραδοθεῖσαν, πληροῦται τῆς θείας αὐγῆς. Ad quem locum praestantissimus *TH. GALE p. 230* paucis multa, eaque eruditissima, affert. Etiam buxum et tamaricen herbam, quam Graeci myricem vocant, proditum est, vaticinandi vim tribuere. Hinc Nicander in *Theriacis* eam *divinatricem* vocat, ad quem locum vetus Scholiastes ait, magos et Scythas ad vaticinia sua myrices virgis uti solitos, eamque ob caussam tradit Herodotus, Apollinem Myricaeum quondam appellatum, qui myricae ramum teneret. Qua de re plura Io. Picus Mirandulanus in Commentariis Hymnorum. Vid. *DIONYSII SALVAGNII BOESSII Lusus Poëtici de VII Delphinatus Miraculis p. 141. GYRALDVS Synt. de Musis p. 560,* et *MEVRSIVS* ad *Lycophronis Cassandr. v. 6.*

ARAE rotundae, ad genu fere pertingentis, instar columellae, nullus est ornatus. *VITRVVIVS lib. IIII c. 8: Arae disparibus altitudinibus ad sui cujusque dei decorem componantur. Altitudines autem earum*

ſic ſunt explicandae, ut Iovi omnibusque caeleſtibus quam excelſiſſimae conſtituantur: Veſtae, Terrae Marique, humiles collocentur.

CCCCIIII. PASTOR.

Ex cilicio, ſeu diphthera vel pellito habitu agnoſcitur; isque vel umbram ſub arbore ſacra quaerit; vel in lagena, ut videtur, affert coloſtrum ſeu lac recens, quod diis fundat. *PLINIVS* in *praefat. ad Hiſt. Nat. Et diis lacte ruſtici multaeque gentes ſupplicant.* Vid. gemmae *L. AVGVSTINI n.189, GORLAEI P.I n.138, 166, P.II n.49, 53, BEGERI Th. Br. Vol.I p.166,* et *Vol.III p.207,* unde plura peti poſſunt. Frequentius viſuntur paſtores in gemmis, forte quia Romani initia ſua ad paſtores retulerunt, in cujus rei cauſſas inquirit *M. Z. BOXHORNIVS Qu. Rom. 19.* Vel quia reges antiquorum agricolae erant et pecuarii; Homero quoque et aliis vocantur ποιμένες λαῶν, uti ex Plinio, Columella, Varrone et Platone, docet *ABRAMIVS* ad Cicer. *Orat. pro R. Dejotaro c.9.*

CCCCV. SYMBOLA NEPTVNI MEDICI.

TRIDENS Neptuni ſceptrum, a Cyclopibus acceptum. *IVVENALIS Sat. XIII v.81:*

Perque tuum, pater Aegaei Neptune, tridentem.


Add. *VIRGILIVS Georg. lib.I v.13, Aen. lib.I v.142, OVIDIVS Metam. lib.II v.203, lib.VIII v.595, SILIVS lib.XV v.159,* et plures.


Tridenti SERPENS circumvolvitur, ſignum Aeſculapii. Similis typus eſt in numo Alexandri Severi, a Tenienſibus percuſſo, apud *PATINVM p.353.* Neptunus, cui urbs Tenos ſacra, celebratiſſimum in luco extra urbem fanum habebat. *STRABO Geogr. lib.X extr.* Sed et iidem Neptunum Medicum colebant. Philochorus apud *CLEMENTEM* in *Protrept. p.18,* ἐν Τήνῳ Ποσειδῶνά φησι τιμᾶσθαι ἰατρὸν, *dicit Medicum in Teno coli Neptunum.*

CCCVI. SIGNA APOLLINIS.

Oedipo conjectore opus eſt, qui ſigna haec ſatis explicet. Eorum fortaſſe perpetua fuiſſet ignoratio, niſi in numo Caracallae, a Nicomedenſibus percuſſo, ſed eo attrito, apud *PATINVM p.306,* pariter juncta eſſent tripus, cui ſerpens implexa, cortina, lauri ramus et ſertum. Summo, quem laudavi, antiquitatum aeſtimatori, numum quodammodo explicare viſus eſt *DIONIS* abbreviator: *Cum Caracalla hibernaret Nicomediae, exercuit phalangem Macedonicam, ibique ludos gladiatorios fecit ſuo natali die.* Anguem ſpectare credit ad Nicomedenſium originem, de qua alibi *p.215* dixerat; tripus, lauri ramus et corona, myſterium quoddam deſignare, Apollini tribuendum videntur.

Io.


Sarda.
Onyx.
Chalcedonius.
Sarda.
Sarda.
Amethystus.
405
406
407
408
409
410
Jaspis.
Sarda.
Sarda.
Sardonyx.
Achates niger.
411
412
413
414
415
Sarda.
Chalcedonius.
Jaspis.
Achates.
Jaspis.
Hyacinthus.
416
417
418
419
420
421
Lapis nephriticus.
Jaspis.
Onyx.
Sarda.
Lapis nephriticus.
422
423
424
425
426
Beryllus.
Achates.
Chalcedonius.
Achates.
Achates.
Sarda.
427
428
429
430
431
432
ANTINOOC
ANTINOOC



Io. VAILLANT, antiquarius consummatissimus, in *Num. Imp. Graec. p. 106*, meminit numi Nicomedensium, ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ibi celebrata ostendentis. Inde pronum est hariolari, Patini numisma de eodem certamine esse intelligendum, cujus praemium, quod erat corona ex lauru, imperatori fuerit adjudicatum. Si cui numum magis integrum manu tractare aliquando contigerit, is rectius rem omnem arbitrabitur. Interim sub hoc schemate altius quid latere, certum est.

Mihi in mentem venit, num Nicomedenses innuere voluerint, Apollinem eunti in militiam imperatori victoriam vaticinari, atque coronam triumphalem jam paratam spondere, eat modo in hostes; ita ut triumphum, quod dicitur, ante victoriam cecinerint. Corona etenim omen victoriae est apud *HEMELARIVM Num. Ducis Croy. in Othone tab. X p. 22.* Haec ut credam, persuadet ramus arboris fatidicae, coronae imminens, quae alias victoribus certaminum proposita erat, vel super mensa, vel super tripode. *PAVSANIAS Eliac. prior. lib. V c. 12:* In templo Olympii Iovis *κεῖται δὲ καὶ τρίπους ἐπίχαλκος· ἐφ᾽ οὗ πρὶν ἢ τὴν τράπεζαν ποιηθῆναι, προετίθεντο τοῖς νικῶσιν οἱ στέφανοι, aeneus item tripus est; super quo victoribus, priusquam mensa erigeretur, coronae proponebantur.* Imo tripodem legitime certantibus praemium dari solitum, ex Pindaro et Horatio asserunt Critici. Apud *PLVTARCHVM in Solone*, et *LAERTIVM in Thalete*, sapientissimo *τρίποδα* dari oraculum praecepit. *Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσου τρίπους, etiam in Bacchi certaminibus victoris praemium tripus*, ubi Bacchi poculum intelligitur; id quod obiter ex *ATHENAEI lib. II p. 37* observo.

De SERPENTE tripodi innexa, *SIDONIVS APOLLINARIS:*

Pendet per teretes tripodas Epidaurius anguis.

Tripodes autem ad imaginem ejus, qui in templo Apollinis Delphici servabatur, plerisque in numis facti censentur.

CCCCVII. SIGNA APOLLINIS.

Cornu copiae pomis ramisque fartum, inter aram, cui corvus seu cornix insidet, et lyram Apollinis *τρίχορδον*, bonorum affluentiam esse notat, si caelum arrideat terrenis, seu utraque inter se conspirent, ita ut pluvia solis aestu sitientem terram fecundet, et solis calor madentem imbre reficiat. Possemus quoque fecundi matrimonii symbola credere, et concordis: Sol enim *generat universa seminando, fovendo, producendo, alendo augendoque:* imo et mortalium vitam blando calore juvat.

LYRA, Mercurii inventum, ajente *PAVSANIA in Eliac. prior. c. 14*, quam ille, pace post furtum composita, Apollini dedit, caelestis harmoniae imaginem monstrat. *PLVTARCHVS* de *Iside* et *Osir. p. 369:*

Παλίντονος γὰρ ἁρμονίη κόσμου, ὥσπερ λύρης καὶ τόξου, καθ' Ἡράκλειτον· καὶ κατ' Εὐριπίδην,

'Ουκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,
ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς.

Etenim, Heraclito teste, ut lyrae et arcus, ita mundi quoque concinnitas contentionem et remissionem admittit: et, si Euripidem audimus,

Sejungier non possunt a bonis mala:
sed est eorum, ut res habeant satis bene,
commixtio quaedam.

Caeterum ποιητής τις ουκ ἄσημος γράφει, καὶ τὴν παλαιὰν λύραν ἑπτάφθογγον ἔιναι διδάσκων, apud *CLEMENTEM Strom. lib. VI p. 685.* De lyra accuratissime egit *Is. VOSSIVS* de *Poëmatum cantu et viribus rhythmi,* et *ALEANDER in Tab. Heliac. p. 35, 36.*

CORVVS aeque ac CORNIX, inter oscines Phoebo sacrata avis, futura, et cornix quidem imbres, praedicere credebatur. *HORATIVS lib. III od. 17:* *Cras foliis nemus*

multis et alga litus inutili
demissa tempestas ab Euro
sternet, aquae nisi fallit augur
annosa cornix. Et *od. 27:*
Antequam stantes repetat paludes
imbrium divina avis imminentum,
oscinem corvum prece suscitabo
solis ab ortu.

Cornix praeterea concordiae conjugalis symbolum erat. Et corvus illi deo consecratus est, quia, ut asserit *HYGINVS lib. I Mythol. solus contra rerum naturam in mediis ipsis aestivis fervoribus oviparos pullulet foetus.* Temperare mihi non possum, quin *CLEMENTIS* verbis ex ejus *Protrept. p. 65* ingemiscam: 'Οι δείλαιοι τῶν ἀνθρώπων καὶ ἄθλιοι, διὰ μὲν κόρακος καὶ κολοιοῦ νομίζουσι τὸν θεὸν ἐμβοᾶν, διὰ δὲ ἀνθρώπου σιωπᾶν· καὶ τὸν μὲν κόρακα τετιμήκασιν, ὡς ἄγγελον θεοῦ· τὸν δὲ ἄνθρωπον τοῦ θεοῦ διώκουσιν, ου κρώζοντα καὶ κλώζοντα. *Miseri et infelices homines, per corvum quidem et graculum existimant, deum clare eloqui, per hominem autem tacere: et honore quidem corvum afficiunt, ut Dei nuncium; Dei autem hominem persequuntur, non crocitantem, nec glocitantem.* Conf. *GRONOVIVS* ad Gorlaeum *n. 10.*

ARA lemnisco ornata est. *VIRGILIVS lib. IIII Georg. v. 276:*

Saepe deûm nexis ornatae torquibus arae.

PAVSANIAS lib. V c. 15 de Eleensium aris in templo Olympii Iovis: Τιθέασι δὲ καὶ κλῶνας ἐλαίας ἐπ' αὐτῶν, *et aras quidem oleagina fronde velant.* Verum hic habitus aris honor ad lemniscos, ex arte et ingenio opificis adnexos, nihil pertinet.

CCCCVIII.

CCCCVIII. GALLVS.

Gubernaculo insistens, posito ante illud cornu copiae. Quae symbola GRONOVIVS interpretatur, ut gallus sit praeco felicitatis publicae mari perinde ac terra. Vel indicat eum, qui maris est dominus, omnia habere in sua potestate, suamque remp. felicem reddere. Ita certe Minois, Lydorum, Pelasgorum, et reliquorum regna floruerunt, quamdiu mari valuerunt: uti ea vicissim brevi interiere, postquam vires maritimae vel attritae, vel prorsus consumtae. Conf. *Io. SELDENI Mare Clausf. lib. I c. 9, 10, 11.* GRYPHIANDER de *Insulis*, *CL. BARTH. MORISOTI Orbis maritimi, sive rerum mari et litoribus gestarum historia.* Si nesciremus, *PLINIVS lib. X c. 21,* nos moneret, gallos *imperitare suo generi, et regnum, in quacunque sunt domo, exercere.*

Si artificem gemmae ex Stoicorum genere fuisse suspicemur, et si φυσικῶς interpretari haec symbola liceat, solem notare ea poterunt, aqueos ex mari vapores evehentem, queis terram irrigans, fecundam reddat.

De GALLO *PAVSANIAS l. cit. c. 25:* Ἡλίου δὲ ἱερόν φασιν εἶναι τὸν ὄρνιθα, καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τοῦ ἡλίου. *Gallinaceum certe soli sacram avem celebrant, quod cantu solis ortum nunciet.*

CCCCVIIII. CADVCEVS INTER SPICAS.

Hic typus frequens est in numis, pacem atque fertilitatem indicans. *PLINIVS lib. XXVIIII c. 3 in fin. Hic complexus anguium et efferatorum concordia, caussa esse videtur, quare exterae gentes caduceum in pacis argumentis, circumdata effigie anguium fecerint. Neque cristatos esse in caduceo mos est;* quia videlicet crista iracundiae symbolum est.

CCCCX. CCCCXI. TRIPVS.

In tripode serpens surgit, symbolum Apollinis: hinc simpulum; inde lituus habetur. Fabula de SERPENTE Pythio, custode vel ministro oraculi Delphici, nota est ex *APOLLODORI lib. I, PAVSANIAE lib. X c. 6,* et aliis.

De TRIPODE, per quem significetur triplex temporis differentia, multa habent *GYRALDVS, TRISTANVS T. II p. 179, BONANNI* in *Musei Kircheriani Class. I p. 4 sqq. ALEANDER l. cit. p. 18, 19,* aliique innumeri. *ATHENAEVS Dipnosoph. lib. II p. m. 38:* Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀληθείας οἰκεῖος τρίπους· διὸ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος, διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν. *Est itaque tripus hic* (loquitur de quodam populi genere, hoc nomine veteribus cogniti,) *veritatis congruus index, Apollini ob certa oracula sua conveniens. LVCANVS lib. VI:*

Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra.

De SIMPVLO in Vesta *n. 1* egimus. Add. *PH. RVBENIVS Elect. lib. II c. 8,* et *BONANN.* modo laudatus *p. 11.*

CCCCXII. TROPAEVM.

Chlamyde, galea, coryto, telo et disco ornatum. *SERVIVS* ad *Aen. lib. X v. 775:*

Non exuvias pulsaeve tropaeum
virginis, aut spolia ulla peto.

De accisis hostibus, inquit, *triumphabant; de pulsis figebant tropaeum.* "Εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ τρέψαι καὶ διῶξαι τοὺς πολεμίους τὰ ἱστάμενα σύμβολα τῆς νίκης, quam tropaei finitionem auctor Etymologici M. voce Τρόπαιον affert, qui idem voce Τροπαῖα, illud non Iovi solum, sed et Iunoni sacrum esse perhibet, dicens: Τροπαῖα, ἡ Ἥρα. διὰ τὸ τὰ τρόπαια ὅ ἐστι τὰ νικητήρια, μὴ μόνον Διῒ ἀνατίθεσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ Ἥρᾳ. "CLAVDIANVS in Rufinum lib. I:*

Me de more tropaeis
ditat, et hostiles suspendit in arbore cristas.

PRVDENTIVS in Symmach. lib. II:

Et suspensa gravi telorum fragmina trunco.

Add. *VIRGILIVS Aeneid. lib. II,* et *Georg. lib. III v. 32. BVLENGERVS* de *Triumpho c. 3. IO. BAPT. CASALIVS* de *Vrbe et Imp. Rom. Part. II c. 1 p. 174,* ubi tropaea crucis formam imitari, columnas item, aras et turres, pro tropaeis fuisse, observat.

CAPVT

CAPUT VIII
AEGYPTIACA, ABRAXEA.

CCCCXIII. OSIRIS.

Antiquissimum Aegyptiis numen, teste *TACITO Hist. lib. IIII c. 84*, quo omne principium facultate humectandi praeditum intelligebant. Homo μελάγχρους, *niger*, Isidis maritus, frater ac filius, quibusdam fuisse perhibetur, a Typhone interemtus, corpore in partes discerpto, quas colligens Isis veretrum non reperit; ejus loco phallus ab illa fuit consecratus, et festa Pamylia instituta, quibus Aegyptii proponebant et circumferebant ἄγαλμα, οὗ τὸ αἰδοῖον τριπλάσιόν ἐστι, *PLUTARCHUS* de *Isid. et Osir. p. 365*. Hujus vero typum exstare in hac gemma sancivit *LAUR. PIGNORIUS Mens. Isiac. p. 4.* Idem Chaeronensis πανταχοῦ δὲ, ait, καὶ ἀνθρωπόμορφον Ὀσίριδος ἄγαλμα δεικνύουσιν, ἐξορθιάζον τῷ αἰδοίῳ, διὰ τὸ γόνιμον καὶ τὸ τρόφιμον.

Manus dextrae INDICE digito premit vocem, et silentia suadet, quae Ori et Harpocratis munia sunt; sed hi, et Osiris, quibusdam unum sunt idemque numen.

Sinistra quid tenet? Γραφή τις ξένη, καὶ μύθους ἔχουσα ἰδίους. Caulisne Loti est? an sceptrum cum oculo? uti Agyptii Osirin regem pingebant: an πολύφθογγος αὐλὸς ἐκ καλάμης κριθίνης, *multisona tibia e calamo hordeaceo*, cujus inventio Osiridi tribuitur. Sed hanc στρογγύλην, *rotundam*, et πλαγίαυλον, *obliquam* fuisse, docet vir summus, *GISB. CUPERUS in Harpocrate p. 142, 143.* Num βακτηρία, seu baculum, quo solem autumno inclinatum indigere fabulati sunt, ideo festos dies, quibus solis baculi nati sint, post aequinoctium autumnale d. 22 mensis Paophi celebrantes? *PLUTARCH.* de *Isid. et Osir. p. 372.*

VESTIS ad pedes defluit, zona lumbos praecingente. *TIBULLUS lib. I eleg. 7*, ubi Osiridis fabulam docte canit:

Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu.

Quam *luteam* is vocat *pallam*, *PLUTARCHO p. 371* est ἀμπεχόνη φλογοειδής· nullo dissensu, siquidem color flammeus, luteus, croceus et ruber, parum inter se differunt, aut nihil. Eo autem colore caelestem significabant calorem, qui seminibus, intra terrae viscera reconditis, vim tribuit ad producendum. Osirin enim, uti et Graecorum Bacchum, quos idem numen esse, Plutarcho persuasum erat, esse solem, ex Herodoto, Diodoro aliisque jam tralatitium est.

Alia

Alia Osiridis simulacra habes apud *CASALIVM* de *Vet. Aeg. Rit. c.13*, *SEGVINVM p.121*, *SANDRARTIVM T. II Sect. 1 tab.4*, *MONTFAVCON T. II P. II lib. I c.8.*

CCCCXIIII. OSIRIS.

Ἱερακόμορφος, ritu Aegyptiorum. ACCIPITER namque Osiridi et soli dicatus est, et secundum Horum atque Abenephium denotabat *animam solis*; quia εὐτονίᾳ ὄψεως ὑπερβάλλει, καὶ πτήσεως ὀξύτητι, acutum cernit, et alte perniciterque transvolat, eaque est natura, ut celerrime alimenta digerat. *PLVTARCHVS p. 371. ATH. KIRCHERVS Obelisc. Pamph. lib. IIII Hierogrammatismo X p. 308 sqq.*

In capite gerit CALATHVM, qui in gemma nostra fere instar lunae falcatae se habet, symbolum abundantiae, quam sol confert; nisi sit ἀγαλμάτιον μηνοειδὲς, quale Osiride invento effingebant. Et putabant quidam, Osiridem mundum esse lunarem. *PLVTARCH. p.366, 367.*

Manu dextra baculum seu SCEPTRVM, cucuphae capite insignitum, quo rerum, quas producit, varietas; sicut per LITVVM et GNOMONEM, sceptro junctos, harmonia rerumque congruentia, et aequalitas commoda significari creditur. Gnomones Syenae constituti erant, umbra carentes circa solstitium aestivum. *PLVTARCHVS* de *Orac. defect. p.411.*

CRVX ANSATA, quam sinistra tenet, spiritus solaris per omnia dispersionem significat. Ille enim CIRCVLVS, cruci additus, loco ansae κατὰ μίμησιν symbolum est disci solaris, uti annotat *CLEMENS Strom. lib. V p. 556*: Ἥλιον γοῦν γράψαι βουλόμενοι, κύκλον ποιοῦσι, *qui solem volunt scribere, faciunt circulum.* Apud alios quoque sol subinde δίσκος dicitur, satis audacter, tradente *EVSTATHIO*. Conf. *TH. GALE* ad Iamblich. *Sect. VII c.2. PIERIVS lib. XXXVIIII c.6* usque 20.

Vnum addo, non in eo substitisse Aegyptiorum δεισιδαιμονίαν, οὐδὲν ἔλαττον κακὸν ἀθεότητος, ut solem et reliqua corpora caelestia deos facerent, suamque hanc superstitionem aenigmatum involucro occultarent; sed ulterius progressi, *fidem commodabant simulacris divinitatis ac numinis*, ut *LACTANTIVS* loquitur *lib. II c. 16*, istis deorum suorum imaginibus praesentes adesse ipsos deos, illisque vim largiri aut nocendi, aut noxia propulsandi, balbutientes infantissimi. *MARSILIVS FICINVS* de *Vita caelitus comparanda lib. III c.13*: *Trismegistus ait, Aegyptios ex certis mundi materiis facere consuevisse (imagines, quae moverentur,) et in eas opportune animas daemonum inserere solitos, atque animam avi sui. Item Phoebi cujusdam, et Isidis Osiridisque sui in statuas descendisse, profuturas hominibus vel etiam nocituras.* Add. *LACTANTIVS lib. II cap. 2.*

CCCCXV.

CCCCXV. I S I S.

Aegyptium hoc numen ex Aegypto ad nos pertulit curioſus quidam peregrinator, qui ex urbe hac florentiſſima oriundus, diverſas orbis partes vidit et urbes, repertum in catacumba.

CIRRVS a mento dependet, ut ſit Iſis barbata, cujus imagines non paucae viſui exponuntur a *MONTFAVCONIO T. II tab. III, 112.*

Manus et BRACHIA exſerta habet, non alia de cauſſa, inquit *OCTAV. DE RVBEIS* de *Monumentis Brixianis p. 99,* niſi quia omnia, quae ſub caelo ſunt, fovet et amplectitur.

CCCCXVI. I S I S.

Iſidem, cum marito Oſiride, Aegypto tum imperaſſe, cum Moſes Dei populum inde educeret, diſerte narrant *TACITVS Hiſtor. lib. V c. 2,* et *PLVTARCHVS p. 363,* quorum hic quidem res Iudaicas perperam in hanc fabulam adſumi autumat. Ea apud Graecos Ceres eſt utplurimum, uti tum plurima veterum loca apud *LIPSIVM* de *Cruce lib. I c. 5* et alios, tum ea indicant, quod Melampus feſtum Cereris, quo luctum celebrant, ex Aegypto in Graeciam transtuliſſe dicatur apud *CLEMENTEM Protrept. p. 10.* Iſidis quoque ſimulachro ſpicae datae. *OVIDIVS:*

Inerant lunaria fronti
cornua, cum ſpicis nitido fulgentibus auro.

Plura de Iſide habet *SPONIVS Recherch. XXI p. 301 ſq.* et *XXVIII p. 467.* De Iſide apud Suevos culta, ejusque navigio, cujus et *LACTANTIVS* meminit *lib. I c. 11,* vid. *TACITVS* de *Mor. Germ. c. 9,* ibique *COLERVS* et *SCIOPPIVS.*

Gemma Iſidem turritam, ſeu Aegyptiam Cybelen refert, duobus ſtipatam ACCIPITRIBVS, ſoli ſacris, qui caput reſpiciunt. Dicitur autem accipiter librum, quo deorum ritus continebantur, detuliſſe olim ad ſacerdotes.

Ad pedes SERIPHIVM eſt ſeu abſinthium marinum, ſacra huic numini planta, quam Iſiacis ſacris initiati gerebant. *PLINIVS lib. XXVII c. 8: Eſt et abſinthium marinum, quod quidam ſeriphium vocant, probatiſſimum in Taphoſiri Aegypti. Hujus ramum Iſiaci praeferre ſolenne habent. DIOSCORIDES lib. III c. 25* ſimilia tradidit: Γεννᾶται δὲ ἐν Ταφουσίρει τῆς Αἰγύπτου· ᾧ ἀντὶ θαλλοῦ οἱ Ἰσιακοὶ χρῶνται· ἔστι δὲ ἡ πόα λεπτόκαρφος, ἐοικυῖα ἀβροτάνῳ μικρῷ, περιπληθὴς σπερματίων. *Naſcitur in Aegypti Taphoſiri, quo pro oleaginis ramis Iſiaci utuntur; fruticoſa herba eſt, minori abrotano ſimilis, ſemine onuſta* etc. In numo Melitenſium, quem *SPONIVS* protulit *p. 452,* ſimilis planta, niſi ſpica ſit, reperitur capiti Iſidis addita.

BRACHIA decuſſatim compoſita, de ſumma illius numinis capacitate cogitandum eſſe ſuadent, qua quicquid eſt in rerum natura reconditum, complectitur.

CCCCXVII. I S I S.

Sacra aſpide, quam in ejus templo vivam habebant, comitata, cum harmoniae et imperii inſignibus, lituo et baculo.

Iſidis pariter atque aſpidis capita CIRCVLO decorata ſunt, quem ſolis eſſe typum, modo innuebamus. Iſidi, ſive terram intelligamus, ſive lunam, ſol veluti βασίλειος, hoc eſt, exemplar, unde illa fecunditatem, haec lucem participet, appoſitus eſt. *APVLEIVS lib. XI* appoſite Iſidem deſcribit, habere *planam rotunditatem in modum ſpeculi, vel imo argumentum lunae, candidum lumen emicare, dextra laevaque ſulcis inſurgentium anguium cohibita, ſpicis etiam deſuper cerealibus porrectis.*

Idem Apulejus et Plutarchus PALLAM Iſidi nigerrimam, μελανοστόλον, tribuunt, et praetextam diſcolorem, ob lunae occultationes et obumbrationes; lucis item, tenebrarum; diei, noctis; vitae mortisque diſcrimina, quae omnia Iſis moderabatur. Huc pertinet inſcriptio, quae in fano Iſidis legebatur: Τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. Sacerdotum ejus veſtitus ſacer, a quo ἱερόστολοι dicebantur, albus fuiſſe videtur ex lino, nulloque colore infectus: illi enim fugiebant atra et umbroſa, ut qui ſacram ſplendidamque de deo doctrinam monſtrarent.

Eſt deae effigies in numo Caeciliae gentis apud *VRSINVM Fam. Rom. p. 40*, cum literis capiti adſcriptis: G. T. A. quas interpretatur ille: *Genius tutelaris Aegypti.* Add. *CASALIVS l. c. c. 13, 21* et *26*.

CCCCXVIII. ISIS, SERAPIS, HARPOCRATES.

Harpocrates digito os compeſcens, alatus, medius inter patrem Oſirin vel Serapin, et matrem Iſidem incedit, Aegyptiorum numinum perpetuus comes; ubicunque fere Serapis et Iſis aliive dii colebantur, ibi etiam Harpocratis ſignum erat, admonens, ne quis in vulgus efferret, eos homines fuiſſe, ut *AVGVSTINVS* de *Civ. D. lib. XVIII c. 5* concludit.

Ex ALIS ſol eſſe evincitur; Agyptii enim ſolis ſimulachra pinnata finxerunt, teſte *MACROBIO Saturn. lib. I c. 19.* Ita certe in gemma Baſilidianorum altera, cum inſcriptione: ΙΑΩ, alatus et corona radiata cinctus, equo inſidet; quae omnia fuſius perſequitur, vir rerum geſtarum gloria illuſtris, maximique in literato orbe nominis, *GISB. CVPERVS in Harpocr. p. 22, 33, 34.*

Iſis MODIVM habet in capite, ut dea frugum: hinc in ſacris Iſiacis tritici et hordei manipulus circumferebatur. Apud *DIODORVM SICVLVM* inter alia de ſe jactat: *Ego ſum prima frugum inventrix.* Atque

que ita in numo Iuliae Severi apud *SEGVINVM Sel. Num. p.160,* modium gerit in capite, et cornu copiae in brachio ſiniſtro, veluti terra vel natura rerum ſoli ſubjacens, ac frugum parens.

SITVLA, quam dextra retinet, oſtendit fluentiam omnium lacunarum. Hydriam igitur tectam, aqua plenam, ad Iſidis et Oſiridis templum aedemque caſta religione referebant, uti teſtatur, praeter Plutarchum, *VITRVVIVS* in *praef. lib. VIII.* Add. loca Apuleji *Metam. lib. XI,* et Servii *ad Aen. lib. VIII,* apud laudatiſſimum *CVPERVM p. 45, 46.* Illuſtris *BAVDELOT DE DAIRVAL* de *Vtilitate Itin. T. I p.224, 225,* non ſitulam, ſed lampadem eſſe contendit, niſus verbis Apuleji *loc. cit. Quorum primus lucernam praemicantem claro porrigebat lumine; non adeo noſtris illis conſimilem, quae veſpertinas illuminant epulas;ſed aureum cymbium in medio ſui patore flammulam ſuscitans largiorem.* Sed paucos habet, qui utroque pollice hanc conjecturam laudent.

Siniſtra manu, ſi Kircherum audimus, SISTRVM fert, qua forma idem tenet in eleganti typo Apollinis et Iſidis, ſeu CLATRAE, apud *SPONIVM Miſcell. Sect. 3 p. 87.* Quid vox ignota *Clatrae,* quam Etruſcam eſſe dicit Montfaucon, ſibi velit, non eſt hujus loci, ut inquiramus. De ſiſtro vid. idem antiquitatum promus, *T. II P. II lib. I c. 7,* itemque *PRICAEVS* in Apuleji *Apolog. p. 30.* *PH. BONANNI Muſ. Kircher. claſſ. V p. 179.* *LVCANVS lib. VIII v. 833:*

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,
ſemideosque canes, et ſiſtra jubentia luctus,
et quem tu plangens hominem teſtaris Oſirim.

Serapis, cujus in capite itidem eſt modius, dextra imperioſo geſtu neſcio quid imperat; in ſiniſtra radium meſſorium tenet. Vid. ſuperius dicta *n. 4.* Illius cultus recentior eſt, Ptolemaeorum tempore inductus; mox pro Nilo et Oſiride habitus eſt, atque Σωτὴρ τῆς Αἰγύπτου appellatus, teſte *ATHENAEO lib. VIIII.* Sed Oſiridis atque Serapidis uti nomen diverſum, ita et diſſimilis utriusque forma fuit. Poſt *PLVTARCHVM, CLEMENTEM* et reliquos tam veteres, quam recentiores, conſulas licet *FORTVN. LICETVM* de *Lucernis antiqq. lib. VI c. 87, PIERIVM lib. VI c. 19 ſqq.*

Modium eleganter delineatum ſpectabis in *part. ult. Architecturae Caeſareae IO. BERN. FISCHERI AB ERLACHEN,* quod opus plane egregium propediem lucem adſpiciet.

CCCCXVIIII. ORVS.

Filius Iſidis, qui et Harpocrates atque ſol, in baride jacens, virgata veſte indutus, pedibus indiſcretis, cui alatus ſcarabaeus ſupereminet. Caput et pedes obſidet upupa, ut Pignorius, vel accipiter, ut vult Kircherus, quod ſumme pius Oſiridem parentem, a Typhone interemptum, ultus fuerit.

ORVS mens mundi ſenſibilis eſt, vel tempeſtas ac temperies aëris ambientis omnia, ſervans et alens. In BARIDE vehitur, quia ſolis curſus ſi ſiſteretur, tota naturae ſalus impediretur. ACCIPITER juxta caput pedesque adſidens, motum ſolis notat, ab ortu in occaſum perpetuo currentis, quo calor in omnia mundi membra infunditur. Per SCARABAEVM alatum, ſolem indicant ſupramundanum, quem vocant Aegyptii, cujus abdita vi et influxu, adminiſtro Oro, omnia reguntur et adminiſtrantur in mundis tum aſtraeis, tum hylaeis.

VPVPA Aegyptiis ſingulari in veneratione erat, *ἄισιος καὶ πλέουσι καὶ ἐπὶ γῆς φανεὶς.* Vid. *HORAPOLLO lib. I c. 52*, et *lib. II c. 88, 89. ARISTOTELES Hiſt. Anim. lib. VIIII c. 15, AELIANVS lib. X c. 16. LEO ALLATIVS ad* Euſthatii *Hexaëmeron. SAM. BOCHARTVS Hierozoici Part. prior. lib. II c. 31, SALMASIVS Plin. Exercit. p. 168, 169. KIRCHERVS l. cit. hierogramm. XIIII p. 323 ſqq.*

BARIS navigium eſt fluviale ex ſpina, ſeu cymba, qua Aegyptii cadavera ad ſepulturam vehebant. *HERODOTVS* in *Euterpe lib. II c. 96.* Vel eſt *ἐφόλκιον*, navibus onerariis adhaerens. Auctor *Etymologici M.* ex Suida et Heſychio plures hujus vocis ſignificationes conjungit: *Βάρις, παρὰ τὸ βάρος, καὶ τροπῇ τοῦ βραχέος. σημαίνει δὲ τὸν πύργον, καὶ τὴν κλίνην, παρὰ τὸ μετὰ βίας πολλῆς ἀρηρέναι βάρεις, τείχη, πλοῖα, στοαὶ, αὐλαὶ, πῦργοι, σφαῖραι· τινὲς δὲ λέγουσιν, αἱ μεγάλαι καὶ ὑπόβαθροι πέτραι.* Conf. *MART. MARTINIVS* in *Lex. Etymol.* voc. *Barca* et *Baris. VOSSIVS* in *Etymol.* v. *Baris. SALMASIVS l. c. p. 640. IAMBLICHVS* de *Myſter. Sect. VI c. 5 p. 147*, *τὴν βάριν στήσειν*, inter minas recenſet impias, quas homines adverſus ſolem et lunam jaculantur; ubi *TH. GALE* more ſuo, id eſt, eruditiſſime commentatur.

CCCCXX. TYPHO.

Manu piſcem elevans ſupra caput, et crocodilo inſiſtens. Piſcis pariter atque crocodilus, violentiae, malitiaeque et odii, ſymbola ſunt. Typho enim, Oſiridis interfector, faſtus eſt, inſcitia, principium malum, (uti Oſiris bonum,) *σχῆμα* motuum animi inordinatorum, ideoque *ἄλογος* vocabatur. Hinc concinne ſatis dici poſſet, ſcalpturam hanc eſſe ſymbolum ſeu malitiae, probitatem triumphantis, ſeu duorum, quae veteres Philoſophi agnoverunt, principiorum, boni et mali.

Sed aurem mihi vellicat *MONTFAVCONIVS, T. II p. 292* dubitans, an genuina Typhonis haec imago ſit, quam in ullo antiquitatis eruditae monumento ſe unquam vidiſſe non recordatur; ut proinde in ſuſpectorum cenſu quoque putanda foret horrida adſpectu Typhonis figura, quae eſt apud *M. AVR. SEVERINVM* de *Vipera Py-*

thia

thia P. I c. 7 n. 4. Et in hac gemma alterius certe numinis ſimulachrum eſſe, facile credi poſſet. Sed cujusnam? Quid ſi Oſiris eſſet? *PLVTARCHVS* nos docuit, Oſirin et Bacchum eſſe eundem. *Βέλτιον δὲ τὸν Ὄσιριν εἰς ταυτὸ συνάγειν τῷ Διονύσῳ, τῷ τε Ὀσίριδι τὸν Σάραπιν, ὅτε τὴν Φύσιν μετέβαλε, ταύτης τύχοντα τῆς προσηγορίας.* Porro *HARPOCRATION* in *Lexic. p. 216* *κίσσας*, PISCES Baccho ſacros eſſe monet, (quem locum accurate perpendit *PH. IAC. MAVSSACVS* in *Diſſert. Crit. p. 377, 378,*) tum quod commune cum hedera et Ciſſo puero nomen habent, tum fortaſſe quod fecundi ſint. Hanc quippe ob cauſſam et pica ei dicata erat; docente *PHORNVTO.* Etymologicum M. *Κίσσα, ἐπειδὴ τὸ ὄρνεον λιχνότατόν ἐστιν, καὶ πρὸς τὰς συνουσίας, καὶ τὰς ἡδονὰς κατωφερές.* Denique et CROCODILVS laſciviae atque impudentiae ſignum deputatur. *PIERIVS l. cit. c. 7. CLEMENS l. c.* *Θεοῦ τε αὖ ὁ ἱέραξ. ὡς ὁ ἰχθὺς μίσους· καὶ κατ' ἄλλο πάλιν σημαινόμενον, ὁ κροκόδειλος, ἀναιδείας.* De crocodilo uberius egerunt *PIGNORIVS Menſ. Iſiac. p. 40, 41. SPANHEMIVS* de *Vſu et Praeſt. Num. diſſ. III p. 148 ſqq.* Sub hoc itaque ſchemate Oſiridis, ſeu Bacchi *κιττοφόρου*, vel ſolem, datorem omnis boni, vel Nilum fortaſſe coluerunt; Huc facit, quod Stoici docuere, ſolem ex humidis et mari accendi alique; et quod Bacchum nonnulli *Hyen* appellarunt, quaſi humidae dominum naturae, qui jam contra Typhonem, ſiccitatis omnia adurentis humoremque conſumentis auctorem, obtinuerit, ut Nilus, ſolita ratione auctus, fertilitatem Aegypto induxerit. Id vero crocodilus, in quem mutatus Typho, ſub pedibus ſignificare videtur. Conf. *PLVTARCHVS l. c. p. 355, 364, 366, 371. VOSSIVS* de *Idolol. lib. II c. 24* et *75, SAM. BOCHARTVS Hierozoic. Part. prior. lib. II c. 34.*

CCCCXXI. CANOPVS.

De hoc teleſmate Canopico, tutulo inſigni, fuſe agit *KIRCHERVS* in *Oedip. T. I Synt. 3 cap.* de Canopis, et *T. III Synt. 3 c. 1,* item *PH. BONANNI Muſ. Kircher. Claſſ. 1 p. 33. EVSEBIVS lib. II Hiſt. Eccleſ.* *Ipſius* (Canopi) *ſimulachrum pedibus perexiguis, attracto collo et quaſi ſugillato, ventre tumido, in modum hydriae, cum dorſo aequaliter tereti formabatur.*

Canopi fabula ex *SVIDA* et *RVFINO Hiſt. Eccl. lib. II c. 26*, decantata eſt, ob quam Aegyptii eum inter ſacra ſymbola collocarunt, atque phylacterii loco, contra ignis flammarumque violentiam uſi ſunt. *GRATIVS* in *Cynegetico:*

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
velatur ſonipes feſtivi turba Canopi.

CCCCXXII. SOL.

Solis caput ſcarabaeo impoſitum, quod ſerpens concludit caudam mordens, ut daretur intelligi fortaſſe, orbis hujus lucem a ſo-

le eſſe, qui ſapienti curſu vitam animantium moderetur. SCARABAEVS enim mundi ſpeciem et motum ſignificat, ſolarisque numinis ſymbolum eſt abſolutiſſimum, eo quod ille materiam ἀντιβάδην, ex adverſo, impellit, ſicuti et ſol ab occaſu verſus ortum proficiſcens, caelum in contrariam partem convertit. *PLVTARCHVS l. c. p. 381.* Horapollo lunae etiam ſacrum fuiſſe refert, quod in exuenda ſenecta lunae exemplar, et ut Porphyrius advertit, in partu formando 28 dierum periodum lunarem obſervat. Oculos quoque pro ſtatu lunae variat.

SERPENS in circulum contortus, mundus eſt, qui in ſe revolvitur. *CLAVDIANVS:*

> *Perpetuumque virens ſquamis, caudamque reducto*
> *ore vorans, tacito relegens exordia lapſu.*

Vel eſt caelum ſtellatum: aſtra enim ſerpentibus aſſimilabant. *CLEMENS Strom. lib. V p. 556:* Τὰ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἄστρων, διὰ τὴν πορείαν τὴν λοξὴν, ὄφεων σώμασιν ἀπείκαζον· τὸν δὲ ἥλιον, τῷ τοῦ κανθάρου. Ἐπειδὴ κυκλοτερὲς· ἐκ τῆς βοείας ὄνθου σχῆμα πλασάμενος ἀντιπρόσωπος κυλίνδει. Φασὶ δὲ καὶ ἑξάμηνον μὲν ὑπὸ γῆς· θάτερον δὲ τοῦ ἔτους τμῆμα, τὸ ζῶον τοῦτο ὑπὲρ γῆς διαιτᾶσθαι· σπερμαίνειν τε εἰς τὴν σφαῖραν, καὶ γεννᾷν· καὶ θῆλυν κάνθαρον μὴ γίνεσθαι. *Alia quidem aſtra propter obliquam converſionem, aſſimilabant corporibus ſerpentum: ſolem vero, ſcarabaei, quoniam cum rotundam ex bubulo ſtercore effinxit figuram, eam vultu adverſo convolvit. Ajunt autem hoc quoque animal, ſex quidem menſibus ſub terra; alteram vero partem anni vitam degere ſuper terram, et ſemen in globum emittere, et gignere, et non naſci feminam ſcarabaeum.* Conf. *NIC. CAVSSINVS* ad Hori Apollinis *lib. I n. 10 pag. 95. PIERIVS lib. VIII c. 14 ſqq. SALMASIVS l. c. p. 311. KIRCHERVS l. cit. Hierogramm. XVII p. 349.*

CCCCXXIII. SCARABAEVS.

Alis complicatis, opere anaglypho, ex jaſpide elaboratus. *Erant hi gemmei ſcarabaei,* inquit *IO. IAC. CHIFLETIVS* in *Anaſtaſi Childerici cap. 18 p. 268, geſtamina virorum militarium, quibus robur et animum addi congreſſuris exiſtimabant, quod negarent ſcarabaeos inter, feminam inveniri: unde per inſectum illud Aegyptii ſignificabant hominem bellicoſum et maſcula virtute praeditum, feminei neſcium conſortii.* Conf. *PLINIVS lib. XXX c. 11, PORPHYRIVS* apud Euſebium *lib. III c. 3, CASALIVS* de *Vrbe et Imp. Rom. P. II c. 10 p. 269,* ibique citati. *RAPH. FABRETTI Inſcript. c. VII p. 532, 533. BVONARROTI p. 225, MONTFAVCON T. II P. II l. I c. 18.*

Altera gemmae area emblematibus hieroglyphicis ſcalpta eſt. Accipiter nempe ſtans ante CRVCEM, cui CIRCVLVS impoſitus eſt; de quo ſchemate, in obeliſcis ſaepe conſpicuo, *LIPSIVS* de *Cruce lib. I*

c. 8

c. 8 p. 33 fatetur, *ſe nondum ſatis ſolide ſcire, ad quam rem aut uſum.* ATHANASIO KIRCHERO in *Obeliſc. Pamphil. lib. IIII Hierogrammatiſmo XX §. 1 p. 365 ſqq.* neque Rufinus, crucem anſatam de vita ventura, neque Gretſerus, de oculo et ſole explicantes, ſatisfaciunt. Ipſe proinde in origines hujus figurae inquirens, ex Abenepho docet, ab Adamo, Noacho, hujusque nepote Miſraimo, qui arborem Sephiroth, formatam ad arboris vitae, in horto Edenis plantatae, ſimilitudinem conſtituerint, perfecta crucis figura, illam Aegyptiis fuiſſe traditam, ejusque uſum maxime repetitum, quando in virga miraculoſa Moſis Tetragrammaton Dei nomen, forma crucis inciſum, notarunt: mox Zoroaſtrem vel Mercurium novis inventis ita auxiſſe, ut nunc vario ſchemate in monumentis Aegyptiacis reperiatur. Per *circulum* autem vult denotari *divinae mentis diffuſionem in mundum ſidereum, et per crucem, diffuſionem in elementa.* Denique Mercurii virgam ex eadem hac litera myſtica originem ſumſiſſe, argute conjicit. Add. idem in *Prodromo.* Ergo, Kircherum ſi ſequimur, accipiter adſiſtens indicaret, ſolis animam participare de mente divina, et ab hac veluti accendi; ſeu mentem divinam in ſolem quoque diffundi: de quo veterum quorundam philoſophorum placito hic uberius diſſerendi locus non eſt. Sin cui Rufini atque Gretſeri opiniones arriderent, dicendum eſſet, vitam et ſalutem futuram eſſe a ſole, quem deum magnum Aegyptii hoc ſchemate pinxiſſe, oſtendit NIC. CAVSSINVS ad Ori Apollinis *Hieroglyph. p. m. 100.* Conf. CASALIVS de *Vet. Aegypt. Ritib. c. 13.*

CCCCXXIIII. IBIS.

Mercurio in deliciis, Lunaeque ſacra avis, Aegyptum, cujus fines a venenatis animalibus liberare, eosque nunquam evolare credebatur, denotat, teſtibus AELIANO *Hiſt. Animal. lib. I c. 38, lib. II c. 38, et lib. X c. 29,* atque PLINIO *lib. X c. 23 et 28.* IVVENALIS *Sat. VI ſaturam ſerpentibus Ibin* dicit. Ibin nigram deſcribit P. BELLORIVS *Obſervat. lib. II c. 32.* Add. PHILE ſapiens *de Proprietatibus Animalium,* et VLYSSES ALDROVANDVS *Ornithol. lib. XX c. 3, p. 128, 129.* De ibidis hieroglyphica ſignificatione laudatiſſimus KIRCHERVS *l. cit. hierogramm. XIIII p. 323 ſqq.* qui in *Arithmologia P. IIII c. 3 p. 207* perhibet, gemmas, ibidis imagine ſcalptas, amuletum fuiſſe, morbis capitis medendis utile.

CCCCXXV. CCCCXXVI. ASPIS.

Inſurgit aſpis, caput extollens arduum, cervicibus late tumeſcentibus, quae APVLEII deſcriptio eſt, florem Iſidis ferens in capite, qualis et in numis Fauſtinae apud PATINVM *p. 251,* et in numis Nicomedenſium

ſium *p. 165, 229* et alibi occurrit. Aegyptiorum quippe imitatione etiam Romani ſacram ſibi aſpidem finxere; unde toties ejus fit mentio apud poëtas Latinos, quorum loca non pauca collegit *LAVR. PIGNORIVS Menſ. Iſiac. p. 26, 27.*

Aegyptum viperarum, earundemque non unius generis, eſſe feraciſſimam, Gesnerus, Matthiolus, et reliqui docuere. *PETR. BELLORIVS* in *Obſervationum libris* plures hinc inde deſcripſit: et dolendum eſt, *duos de Serpentibus libros,* quos aliquoties exſpectare jubet, in lucem, quod ſciam, non prodiiſſe.

CCCCXXVII. CCCCXXVIII. ANTINOI GENIVS.

Celeberrimus *PATINVS p. 209* ſimilem gemmam dedit cum Antinoi nomine, urna et ſerpente; quae ſymbola Antinoi cum Nicomedia conjunctionem ipſi probare videntur: ſerpentem ad Nicomedenſium originem refert, de qua alibi ex Libanii *Orat. VI* dixerat. Veriſimile nimirum eſt, uti aliae urbes Antinoum coluerunt jam ſub nomine et figura dei patrii, uti dictum eſt ſuperius *cap. IIII n. 197,* jam ſub animalibus, eidem numini dicatis; ita et Nicomedenſes, qui ſub ſerpente urbis ſuae genium placabant, Hadriani hunc amaſium in eundem transformaſſe: iidem quoque ut Harpocratem venerati ſunt. Conf. *FRANC. DE CAMPS Select. Num. p. 19.*

LVNA, cornua ſurſum vertens, et STELLAE appoſitae ad talismanos pertinere gemmam, et magicum quid referre, eruditis videntur, quibus contraire non libet. Certe *IVL. REICHELT* in docta *diſſert. de Amuletis tab. VIII n. 7* jaſpidem exhibet cum luna et ſtella, ſuppoſito fulmine. Quid autem vetat, et in his argutari. Poſſent itaque ſtellae orientem et occidentem notare: niſi ad nocturna ſacra referre malimus, de quibus *CLEMENS Protrept. p. 32:* Καὶ νύκτας ἱερὰς τὰς Ἀντινόου προσκυνοῦσιν ἄνθρωποι νῦν, ἃς αἰσχρὰς ἠπίστατο ὁ συναγρυπνήσας ἐραστής. *Et ſacras Antinoi noctes nunc adorant homines, quas turpes ſciebat amator, qui ſimul vigilaverat.*

CCCCXXVIIII. VESPA.

Fulmini advolans. *Io. CHIFLETIVS in Abraxa p. 132* fulmen ſupponi ſcarabaeo vult ideo, quod is non ſolis modo ſymbolum eſſet, ſed etiam lunae, cui cum aquis mira ſympathia, quae ſubinde, ut eleganter *PLINIVS lib. XXXI c. 1, ſcandunt in ſublime, et caelum quoque ſibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem ſpiritum ſtrangulant: quae cauſſa fulmina elidit,* et plurima mortalium mala, quibus avertendis magi, eodem teſte *lib. XXXVII c. 9, non ſine contemptu et irriſu generis humani, aquilas in ſmaragdis ſculpebant et ſcarabaeos.* Vid. *GORLAEVS P. I n. 73.*

Revocat

Revocat in mentem typus hic Iovem Ἀπόμυιον, cui Elei ſacrificabant ex Herculis inſtituto; qui Iovi porriciens, quum muſcas abigere non poſſet, Ἀπομυίῳ Διὶ hoſtiam mactavit. *PAVSANIAS lib. V c. 14, AELIANVS Hiſt. An. lib. V c. 17, lib. XI c. 8, lib. XVII c. 38. CLEMENS Protrept. p. 24.* Sed Iovem aeque impotentem fuiſſe in muſcis abigendis, atque eſt framea, contra easdem ex chalybe parata ab *THEOPHIL. PARACELSO Archidoxis Magicae lib. III p. 558,* certum eſt. In numis Boeotiorum, muſcae icone ſignatis, eundem celebrari videas. In hiſtoria ſacra *Geneſ. XV comm. 11,* volucrium impetus in ſancti Abrahami victimas deſcribitur, unde illas abigeret; quod calamitoſi quid illi portendiſſe, ab interpretibus ex eventu obſervatur. Plane uti et mali ominis erat inter gentes a fide alienas, ſi volucres peterent inſidiis hoſtias. *OVIDIVS Metamorph.*

Vt volucris viſis rapidiſſima milvius extis,
dum timet et denſi circumſtant ſacra miniſtri,
flectitur in gyrum, nec longius audet abire,
ſpemque ſuam motis avidus circumvolat alis.

Viciſſim bonum omen viſum eſt Ebraeis, in templo Salomonis muſcas nunquam repertas fuiſſe, quae ad ſacrificia Molochi, Aſtarot aliorumque idolorum, frequenti exercitu ſemper convenerint: uti ex Aug. Ezlero annotat *IO. CHRISTOPH. STEEBIVS Cael. Sephirot. Ebraeor. cap. VI Sect. I n. 1233.*

CCCCXXX. FIGVRA INCOGNITA.

Vtriusque areae typum huic ſimilem ſpectare licet apud *GORLAEVM Part. II n. 529, 530,* ubi *GRONOVIVS:* Sive fructus, ait, unde duae radices exeunt, ſive vas, unde infra prodeunt ſerpentes duo, ſuperne aliquot lineae neſcio quid exhibentes; cum literis ignotis ab altero latere. Imo potius VAS NILOTICVM eſt, quali Anubis inſiſtit, in gemma ſequenti *n. 435.*

CCCCXXXI. SOL TRICEPS.

Medium locum occupant LEONIS, dextrum latus GALLI, ſiniſtrum EQVI capita, voluminibus DRACONIS inter ſe connexa, aut in duos potius ſerpentes abeuntia. Quae *Io. CHIFLETIVS* in *Abraxa Proteo p. 38,* et *GISB. CVPERVS* in *Harpocrate p. 18,* illuſtrant verbis Macrobii ex *lib. I Saturn. c. 20,* atque Alberici Philoſophi ex *Imagg. deor. cap. 4* de *Apolline ſive Sole,* petitis, eſſe nimirum tricipitis animantis ſignum, quod Alexandrini Serapidis vel Solis imagini adjunxerunt, ſignificaturi leonis capite tempus praeſens; praeteritum, per caput lupi; et per canis blandientis effigiem, futuri temporis eventum, de quo nobis ſpes incerta blanditur: vel ex illuſtris Cuperi inter-

pretatione cursum solis diurnum indicant, leonis, meridiem; canis blandientis, ortum; et lupi rapacis, occasum: nisi quis malit, lupo ortum significari, quia prisci Graeci lucem, quae praecedit solis exortum, λύκην, et inde Apollinem Λύκιον, Macrobio teste, vocarunt, tuncque caput canis blandientis non incommode notabit occasum, quia ille blanditur et quasi arridet hominibus, labore fessis et defatigatis. *R. P. MONTFAUCON T. V Part. II lib. II tab. 157* ex BELLORIO profert lampadem, tricipiti ejusmodi monstro insignem, ad cujus declarationem Bellorius Macrobii locum superius citatum similiter in subsidium vocaverat: cui tamen alii, cum quibus et Montfauconius sentit, pollicem non premunt, pro Cerbero habentes effigiem, in lucerna effictam. Sed neque gemmae explicatio satisfacit *GRONOVIO*, qui in Gorlaei *Dactylioth. P. I n. 110* fascinum esse declarat; dissensus tamen sui rationem non addit. Mihi Gronovius non tam pugnam ciere viris summis, quam conjunctis prope sententiis decernere videtur, triceps istud monstrum, quod ad solem adeo commode refertur, fascini seu amuleti loco, ut dementatae sunt quorundam hominum opiniones, fuisse adoptatum.

CCCCXXXII. FACIES SOLIS RADIATA.


Cum planetarum notis. Nempe Basilidiani, aliique eorum sectatores, confidunt se programmata siderum, et eorum vires gemmis et metallis insculpere posse. Ἀποτελέσματα γλύψεως vocant, seu *effectus scalptionis* ac *sigilli*; de quibus ex Petro Arlensi de Scudalupis prolixum adscripsit locum *CHIFLETIUS c. 11 p. 125.* Omnia autem sidera, quorum singulis sua sors adscripta erat a Chaldaeis, *Saturno* Νέμεσις, *Iovi* victoria, *Marti* audacia, *Veneri* amor, *Mercurio* necessitas, *Soli* felicitas, *Lunae* prosper successus, ut habet Hermes Aegyptius apud *Io. PICUM*, Mirandulae comitem, *adv. Astrologos lib. VI c. 18,* hic coalita conspirasse in unum videntur, ut possessorem bearent omni felicitate, bona fortuna, bonave gratia. Sed esto, omnia mundi idola, omnesque fortunae flores ac thesauri, implere possent animum divinitatis capacem: itane ad manum florentem fortunam, omniumque planetarum conjunctionem, siderumque militiam pro vobis pugnantem inveneritis? ut habet nervosissimus scriptor I. Velazquetz apud *GREG. MICHAELEM* in Gaffarelli *Curiositates inauditas, not. 89 p. 383.*

CCCCXXXIII. SERPENS.

Λεοντόμορφος, cujus caput radioso nimbo circumdatum, inter hieroglyphica frequens, monstrat numen mercuriale, uti ex inversis literis apparet, ubi legitur: ΑΝΟΥΒΕΙ, *Anubis*, et ΧΝΟΥ-

MIC

Achates. 433 — *Jaspis.* 434 — *Jaspis.* 435 — *Chalcedonius.* 436 — *Achates.* 437



Jaspis. 438 — *Onyx.* 439



Smaragdus. 440 — *Sarda.* 441 — *Achates.* 442 — *Achates.* 443




Achates. 444 — *Achates.* 445 — *Onyx.* 446 — *Achates.* 447



Achates. 448 — *Achates.* 449. — *Jaspis.* 450.





X	600	X	600
P	100	N	50
I	10	O	70
C	200	Y	400
T	300	M	40
O	70	I	10
C	200	C	200
		P	100
		I	10
	1480		1480

MIC vel XNOYMICPI, quod nomen κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν resolutum in numeros, facit 1480, et totidem nomen XPICTOC facit. Fascinum et hic lapillus erat contra vim serpentum, quale Apollonius Tyaneus Byzantii fabricasse memoratur *Io. Iac. Boissardo* de *Divinatione p. 343.* Et rex Nechepsos XIII libro sculpere docuit in viridi jaspide contra stomachi et ventriculi dolores; uti ex Galeno habet *Macarius in Abraxa Apistopisto n. 21.*

XNOVBIS vel KNOVBIS erat unus ex triginta sex decanis, *qui omnem Zodiaci possident circulum, et per duodecim signa extenduntur,* teste *Ivlio Firmico lib. IIII c. 16.* Conf. *Chifletivs cap. 11. Fabrett. Inscript. cap. VII n. 46 p. 535.*

CCCCXXXIIII. ANVBIS.

Σωματοφύλαξ Osiridis et Isidis, sedens in sella, cruribus junctis, manibus elatis: ante eum homo nudus se abjicit, interposito fulmine trisulco, et supposito cancro. Amuletum erat, quod sole in cancro versante, hora Iovis incisum, gestantibus ingenii subtilitatem et honores largiri credebatur.

Anubis quibusdam Horizon esse, et cani forma adsimilari creditur, quia canis visu perinde noctu utitur atque interdiu: aliis Saturnus; uti legimus apud *Plvtarchvm* de *Isid. et Osir. p. 368.* Hinc *Avienvs: Cura latrantis Anubis,* quem salse exagitat *Lvcianvs* in *Deorum Concilio circa fin.* Σὺ δὲ, ὦ κυνοπρόσωπε, καὶ σινδόσιν ἐσταλμένε αἰγύπτιε, τίς εἶ, ὦ βέλτιστε, ἢ πῶς ἀξιοῖς θεὸς εἶναι ὑλακτῶν; *Tu canino vultu Aegyptie, qui sindone es amictus, quisnam es, o optime, aut quomodo dignum te censes, qui sis deus, cum latres?* Sed gemmae illustrationem juvat *Sedvlivs,* interpretis fungens munere *lib. I Carm. v. 228:*

Quis furor est? quae tanta animos dementia ludit?
ut volucrem, (Ibin) *turpemque bovem,* (Apin) *tortumque draconem* (Aesculapium)
semihominemque canem (Anubin) *supplex homo pronus adoret?*

Tangit Basilidianos, qui nudi, ac manibus pollutione sua contaminatis orabant. *Epiphanivs Haeresi 26: Cum insaniam in se ipsis conceperint, imbutis manibus turpitudinis suae surgunt, et manus inquinatas habentes, nudi toto corpore precantur.*

PAGVRVS seu CANCER in numis prudentiae symbolum est, quod vere, quum crustam exuit, et aculeis armisque suis se spoliatum sentit, lateat, viribusque suis diffisus, nullos aggrediatur, donec novam testam, eamque jam induratam recuperarit. Dianae sacer

 putatur,

putatur, quod vim lunae ſentiat, eaque creſcente ſucculentior fiat et melior. Golzius ad numos Cumanorum apud *BEGERVM Theſ. Palat. p.183.* Aberrarem a ſcopo, ſi pluribus ediſſererem, ut Nilus, ſole cancrum transeunte, ſenſim modiceque incrementum capiat; ideoque haec praetereo; et potius, quod ſit diſcrimen inter cancros, repeto ex *ARISTOTELE Hiſt. Anim. lib. IIII c.2:* Ὁ δὲ καρκίνος, inquiente, μόνος τῶν τοιούτων ἀνορροπύγιον, καὶ τὸ σῶμα, τὸ μὲν τῶν καράβων καὶ καρίδων πρόμηκες, τὸ δὲ τῶν καρκίνων στρογγύλον. *Cancris e cruſtaceis ſolis cauda deeſt, et corpus rotundum eſt, cum locuſtis ſquillisque longum ſit.*

CCCCXXXV. ANVBIS.

Κυνόμορφος, biceps, mercuriale numen, interpres deorum caeleſtium ac terreſtrium, cum duobus geniis ſupra canales binos vaſis Nilotici ſtantibus, et manus ad illum elevantibus, ſubjectis literis ΙΑΩ. Cingit haec omnia ſerpens, caudam mordens.

Literae ΙΑΩ Baſilidianorum deum notant, qui in ſupremo orbe reſideat. Ita nempe gentes, verum deum non cognoſcentes, Dei nomen יהוה corruperant. *DIODORVS SICVLVS Bibl. Hiſt. lib. I: Deum Moſis,* ait, *appellatum* ΙΑΩ, *unde vox Iovis.* Iidem Baſilidiani venerandum hoc nomen interdum quoque occultarunt ſub ſeptem vocalibus Graecis: ΑΕΗΙΟΥΩ. Sed nolo caedere vineta Theologorum, qui de hac voce uberrime commentati ſunt.

Vaſis Nilotici, ſeu HYDRIAE CANOPICAE aut Niliacae delineationem exſpectare nos jubet muſa *IO. BERN. FISCHERI AB ERLACHEN,* in ſplendidiſſimo opere *Architecturae Caeſareae Part. ult.*

CCCCXXXVI. PRIAPVS ET ANVBIS.

Vnius ejusdemque gemmae vel amuleti divulſae facies; in quarum priori Priapus figura nuda, alata, modio in capite conſpicua, quatuor baculis fulta, cum infra ſcripto nomine ΙΑΩ, literis inverſis. Inter baculos hinc inde diſperſae ſunt literae vocis ΜΝΗCΤΗΑ, hoc eſt, *recordare,* uti et *KIRCHERVS Part. alt. T. II Oedip. Aegypt. Claſſ. II c. 6* eas legit; qui in *Arithmol. p. 200* habet ΜΝΗΞΙΗΑ, *Mnexiel,* hoc eſt, *genius ubertatis.*

Non aliunde magis, quam ex ALIS, motus velocitatem indicantibus, conſtare poteſt, Priapum hunc eſſe ipſum ſolem. *SVIDAS* certe et *CODINVS* Priapo alas affingunt: Τὰ δὲ πτερὰ τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως δηλοῖ· ὁ δὲ κύκλος τοῦ δίσκου τὴν περιφέρειαν· ταυτὸν γὰρ τῷ Ἡλίου δοξάζουσι. *Alae vero motus celeritatem ſignificant; orbis vero diſci rotunditatem; eundem enim cum ſole exiſtimant.* Porro NVDVS eſt, ad ſimplicitatem ejus; MODIVM in capite gerit, ad abundantiam,

tiam, quam confert, indicandam. Quatuor BACVLIS fulcitur, ad dominium in quatuor mundi elementa innuendum. SERPENS omnia concludens, caelum ſtellatum, vel ſtellas inerrantes, deſignat.

Poſtulant igitur ab hoc numine, ut memor ſit eorum, qui id invocaverint. *MACARIVS* in *Abraxa p. 17* ita de hac gemma diſſerit: *Huic monſtro nomen libens dedero Phaëthontis, ſeu Protogeni, ejus praeſertim, in quem Orpheus hymnum conſcripſit. Alae forte referendae ad anni tempora, quae praetervolant, et primaria diviſione duae ſunt, aeſtas et hiems; ſecundaria quatuor, ver, aeſtas, autumnus, hiems. Pudendum appoſitum, ad notandam generationem; nam* deus et ſol, *teſte philoſopho,* omnia generat. Animalcula is porro ſub pedibus appoſita credit, ad res a ſole productas indicandum. Sed haec in gemma noſtra non comparent: ubi potius ex natibus exeunt tres caudae, et inferior veluti equina πλεκτός. Pars haec corporis extrema eſt, et oſtendit, ſolem, longum quaſi bonorum ſyrma poſt ſe trahere, et in futurum quoque hominibus prodeſſe.

In altera gemmae area figura humana eſt, non quidem duobus capitibus caninis, ſed capite humano, ex cujus cervicibus caninum prodit, palmam in manu dextra tenens, ſiniſtra facem, ſeu aſpergillum, ſtellis circumdata; infra eam veluti homo e tumulo ſurgens conſpicitur, cujus gutturi objicitur culter ſeu gladiolus. Illa indigetari Anubin ſeu Mercurium, qui, teſte *PLVTARCHO*, utriusque horizontis, inferi et ſuperi, cuſtos, dubium non eſt. Senſum hujus gemmae divinavit *CHIFLETIVS p. 101, 102,* praeeunte *MACARIO p. 12, 13,* eſſe videlicet imaginem quandam ſacri Mithriaci, et ſolis, arietem permeare incipientis; unde illi a fronte cornua naſcentia. *STATIVS Thebaid. lib. I:*

Phoebe parens,
adſis, o memor hoſpitii, Iunoniaque arva
dexter ames, ſeu te roſeum Titana vocari
gentis Achemeniae ritu, ſeu praeſtat Oſirin
frugiferum, ſeu Perſei ſub rupibus antri
indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Sed et in Mercurio ſolem coli, ex Macrobio et aliis notum eſt. Non flammam, ut viſum erat Kirchero, ſed aſpergillum, quale in numis inter pontificatus inſignia, geſtare videtur Mithras. Et Tertullianus, Lampridius, Suidas, aliique memorant, intinctos aqua Mithrae initiandos: mimicum etiam referunt eorundem martyrium, redemptionem coronae ſub gladio, eandem coronam oblatam ac rejectam, interpoſito item gladio. *IVLIANVS* Imp. *Orat. 5* de ſole, cum in arietem intrat, animas ſurſum evehente, ut in gemma, deque illius ejusmodi arcanis ſacris: *Quod,* inquit, *e terra* ſol *trahat*

omnia, quod ea velut fomento quodam et admirabili calore ſuscitet ac vegetet, cum, ut opinor, ad exquiſitam ſubtilitatem ſegregando excernendoque corpora producit; tum quod ea, quae deorſum vergunt, attollat ac ſublevet, ex iis occultarum illius virium argumenta capere licet. Nam qui corporeo calore talia in corporibus efficit, nonne per arcanam, corporisque prorſus expertem, ac divinam ſinceramque radiis illius inſidentem naturam, multo magis ad ſe felices animas *attrahet et extollet? Quocirca cum ex iis, quae dicta ſunt hactenus, conſtet, lumen iſtud diis immortalibus, iisque qui* attollere *ſeſe cupiunt, eſſe cognatum, idem vero hoc in mundo noſtro creſcere tum ſoleat, et dies eſſe nocte longior, quando* arietem *permeare* ſol *rex incipit: una illud oſtendimus, ejusdem dei radios vim quandam habere* ſubvehendi, *non manifeſta ſolum efficacitate, ſed etiam occulta: qua quidem* innumerabiles animae in ſublime provectae *ſunt, ſplendidiſſimum e ſenſibus,* ſolique *maxime ſimilem ſecutae. Iam vero ſi arcana illa et myſtica perſequi velim, quae circa ſeptem radiis inſignem deum Chaldaeus celebravit, ut per illum* animas in ſublime *provehat, obſcura quaedam eloquar, et in vulgus ignota maxime; tametſi beatis illius hominibus, qui Theurgicis ſacris operantur, probe ſint cognita.* Tertullianus *lib. de Praeſcriptionib.* de aquae intinctione, et ficto martyrio in ejusmodi ſacris: Tingit *et ipſe* (diabolus) *quosdam utique credentes et fideles ſuos; expiationes delictorum* de lavacro *repromittit, et ſic* initiat Mithrae, *ſignat illic in frontibus* milites ſuos, *celebrat et panis oblationem, et* imaginem reſurrectionis *inducit, et* ſub gladio *redimit* coronam. Idem alibi *lib. de Corona militis,* de Mithrae milite: *Cum initiatur in ſpelaeo, in caſtris nempe tenebrarum,* coronam interpoſito gladio *ſibi oblatam quaſi mimum martyrii, dehinc capiti ſuo accomodatam, monetur obvia manu capite depellere.*

CCCCXXXVII. ABRAXAS.

Monſtrum, accipitris capite foedatum, in duos angues deſinit, vel *a crure ſerpentes ſunt,* uti loquitur *TERTVLLIANVS* in *Apologet.* Manu altera clypeum, altera flagellum tenet; quae omnia ad ſolem referuntur. Serpens quoque et accipiter ſoli dicata ſunt animalia.

Videmus turpia prorſus, et abjecta, deo tribui; quod ideo factum videri volebant impii homines, *ἵνα διὰ τῆς φαινομένης ἀτοπίας εὐθὺς ἡ ψυχὴ τοὺς μὲν λόγους ἡγήσηται προκαλύμματα, τὸ δὲ ἀληθὲς ἀπόῤῥητον εἶναι νομίσῃ, ut ex illa, quae apparet, abſurditate ſtatim animus involucra eſſe, quae dicuntur, intelligat: quod autem verum eſt, id arcanum eſſe ac latens, exiſtimet,* uti loquitur *IAMBLICHVS* de *Myſteriis.* Sed nefaria excuſatione utentes turpiter ſe dant.

Cauſſa patrocinio non bona pejor erit.

Quo pertinet, quod Mithriacis ſacris initiatos animalium nominibus interſtinguere conſueverunt; *adeo ut eos, qui jam initiati partici-*

pes

pes ſunt eorundem ſacrorum, leones *vocent, ipſasque feminas* hyaenas, *famulantes autem* corvos. *Itidem in patribus;* aquilae *enim et* accipitres *hi appellantur. Et qui* leonina *aſſumit, circumponit ſibi* omnigenas animalium formas: ajente Porphyrio *de Abſtinentia;* qui et alibi docet, monſtroſa hac hominum cum beſtiarum formis conjunctione ſignificari, *deorum ipſorum voluntate conſilioque fieri, ut illa inter ſe mutuo degant, nec ſine eorundem numine evenire, ut ferae immanesque belluae non cicurentur modo, ſed nobiscum etiam aliqua vitae ſocietate conjungantur.*

In altera gemmae area, leguntur nomina potentium angelorum, *Michaël, Gabriel, Vriel, Raphaël, Ananaël, Proſaraël, Chabſaël;* de quibus ad *gemmam 442* dicendi occaſio erit.

CCCCXXXVIII. ABRAXEA MITHRIACA.

Homo galli criſtati facie, ſcuto et ſcutica probe inſtructus, qui tandem in pedes ſerpentinos abit. Notat KIRCHERVS, nomen IAΩ, quod ſub pedibus ponitur, in plerisque hujusmodi amuletis vel vitio ſculptoris inverſum ſpectari, vel quia ſigillum erat, cujus literae neceſſario inverſae ſunt, ut impreſſae rectae ſpectentur. Et illo quidem nomine potentiam, galli facie criſtaque ſolaris numinis poteſtatem, ſcuto et ſcutica, omnium contrariorum abactionem denotabant. Manum imponit ſtatuae geniculatae, quo influxus martialis numinis in geſtantem hoc amuletum indicatur. Literae IABAΩΔΔE corruptae, videntur legi debere: CABAΩΘ ΘΕΟΣ.

LEO in altera parte ſeptem STELLIS circumdatus, una cum figura lunae ſextilis conſpicitur, quo innuitur, confici debere amuletum, ſole in leone exiſtente, ut effectum, ſeptem in unum conſpirantibus planetis, ſortiatur. Leones autem ſacramenta fuiſſe Mithrae, docet Tertullianus adv. Marcionem: *Sicut aridae et ardentis,* inquiens, *naturae ſacramenta* Leones Mithrae *philoſophantur.* Et Aegyptii, quando ſol leonis ſignum intrabat, Nilum putabant adſcendere ὑπὸ τῆς θερμότητος τούτου τοῦ θεοῦ, uti HORVS APOLLO docuit, et PLVTARCHVS de *Iſide.* Conf. idem HORVS *lib. I c. 17,* et MACROBIVS *lib. I Saturn. c.* quorum loca CHIFLETIVS excerpſit *c. 5 p. 78,* qui et *p. 81* ex MS. bibliothecae Chriſtinae tradidit, ſuperſtitioſis perſuaſum fuiſſe, hoc ſigillum calculoſis mederi.

CCCCXXXVIIII. ABRAXAS.

Monſtrum capite galli, trunco corporis humano, pedibus in ſerpentes duos deſinentibus, qui ſe reflectunt, ſcutum habens una manu, ſignatum literis IAΩ, altera flagellum, virtutem habere creditum eſt contra inimicos, geſtantemque reddere victorem; ad venena valere, et ſanguinem ſtringere; uti apud CAMILLVM LEONARDVM legimus.

GAL-

Gallvm ἱερὸν ἡλίου ὄρνιθα esse, et nuntiare solis ortum, testatur *Pavsanias lib. V*, et *Plvtarchvs* de *Pythiae oraculis*.

Scvtvm et flagellvm significat, Abraxam suos credulos defensurum esse, et scuto protecturum, et adversantes flagello castigaturum; et ideo illi pectus thorace tectum.

Pedes angvinos Macarius refert ad ortum indicandum; quia nempe Mithras, sicut et Erichthonius, vel in lapide, vel in terra, de solo aestu libidinis sunt generati. Gigantes etiam serpentipedes fingebantur a veteribus, ut diis insultantium miserabilem insolentiam deriderent. Conf. Macrobius *lib. 1 Saturn.* apud *Chifletivm* in *Abraxa Proteo p. 38.*

Verba Aegyptiaca, alteri lateri inscripta, ΤΑΑΑ ΑΡΑΙΩ ΩΑΡΑΘΡΟΝΤΟΚΟΝΒΑΙ, explicantur: *Summo marti omnia vincenti.*

CCCCXXXX. ABRAXAS.

Figurae addita vox ΩΦΕΟΝ, mere Graeca est, sed vitiis scripturae corrupta. Posterior gemmae area habet literas ZACA vel ACAZ; quas ex nomine ΑΒΡΑCΑΞ decurtatas intelligimus. Ita nimirum voces notissimae significationis, interdum superstitioni suae admiscuere, sed neque tunc integras et incorruptas, verum quacunque ratione ita inflexas, ut barbari quid habeant. Interdum gemmis adscripserunt literas, quae in dictionem et vocem unam coalescere nequeant; aut si coalescant, significatione tamen cassae sint, nisi quam ipsi, qui fecerunt, affinxere. Et teste *Iamblicho* de *Mysteriis Sect. VII c. 4*, nomina ἄσημα seu nihil significantia, et barbara, hoc est, Aegyptiaca et Assyria, reliquis antetulerunt significantibus, quia illa ἄσημα, nobis tantum sint ἄγνωστα, τοῖς δὲ θεοῖς πάντα σημαντικά, et involvant σεμνότατον, καὶ κρεῖττόν τι ἢ ὥστε διαιρεῖσθαι εἰς γνῶσιν· Aegyptiaca vero magnifecere, quia, quae vana magorum erat superstitio, sacrarum illarum gentium sermonem dii sacrum judicaverint, et cum Aegyptii primi didicerint deorum nomina, haec suo proprio sermone mixta, ad posteros propagarint. Hanc hominis nequitiam redarguit Porphyrius, in eo magis ingenuus, barbara illa nihil significare fassus. Vberius haec persequitur *Ivl. Reichelt* de *Amuletis n. 68 p. 89.*

CCCCXXXXI. ABRAXAS.

Circa Abraxam legitur ΙΟΥΙΟΥ ΩΙΟΥΝΥ ΥΟΟΥΩ ΩΝΙΟΥ, quas voces significare ajunt: *Domini fortitudo aeterna.* Sub pedibus est nomen angeli, ΙΑΩΑΗΛ, *Iaaliel*, id est, *angelus domini.*

Latus

Latus alterum monſtrat ibin habitu volantis, ſerpente divaricatis pedibus implicata; de quo ſchemate dictum eſt. Adſtat Anubis, veretrum manu ſiniſtra palpans, cum inſtrumento quodam in dextra: quae ſigna denotaſſe volunt vim mercurialem nocivorum omnium abactivam, et ſolis fecunditatem.

Inſtrumentum illud *Kirchero* eſſe videtur *ſiſtrum*; *Sponio Recherch. XXVIII p. 466 inſtrumentum muſicum*, quale et Iſidis ſiſtrum eſt. Alii *ſcuticam* ſeu *flagellum* dicunt, quo et ſol armatur in numis Auguſtorum, et Oſiris, quem ſolem putabant, in monumentis Aegyptiacis, cui et ideo convenit ſcutica, quia mortuis praeſidet; uti imperii in eos ſignum ſit, quod Furiis quoque in manus datur.

CCCCXXXXII. A B R A X A S.

Martis ſtatua in capite, operum martiorum effectum denotans, revocat in memoriam Abraxam ſeu Mithram militem, quem inter reliqua portentoſa ſimulachra, ſubvertit, fregit, exuſſit, Gracchus, praefectus urbi. Erant illa, corax, niphus, miles, leo, perſes, helios, bromius pater, ſeu bacchus, uti ex Hieronymi *epiſtola ad Laetam* docuit doctiſſimus Canonicus Arienſis, *Io. Macarivs p. 15, 16*.

Facies gemmae poſterior inſcripta habet dei Abraxae nomina, ΙΑΩ ΑΒΡΑCΑΣ.

Conſtat Baſilidem Alexandrinum, qui ſubtili ingenii acumine abuſus, ſaeculum a nato Chriſto ſecundum praeſtigiis infamavit, cum aliis ſequacibus ſanam fidei doctrinam profana myſteriorum ſimulatione horrendum in modum ita interpolaſſe, ut plura ex Ebraeorum, Perſarum, Aegyptiorum, Graecorum, theologia in ſuos rivulos impuros inſigni furto derivarent, ἐντέχνῳ τινὶ γοητείᾳ δαιμονῶντες, in qua denudanda, plures viri docti operam navarunt. Superſtitionis ſuae baſin conſtituiſſe videtur Baſilides Perſarum figmenta de Mithra ſeu ſole, quem Abraxam nuncupavit, et ex Iudaeorum Kabbala mirifico ἐμβολίῳ interpunxit. Vti enim ex myſterio quadrigae, ſeu currus decem numerationum, Chaldaeos, Mercurium Triſmegiſtum, Platonem et reliquos, ſua habere demonſtrarunt *Avgvstinvs Stevchvs, de Perenni Philoſophia*, et *Christianvs Knorrivs a Roſenroth*, in *Kabbala denudata*; ita ex iisdem fontibus fluxere Baſilidis deliramenta; ſed per varios canales, ut ita dicam, derivata: id quod nemini mirum videbitur, qui horum dogmata Baſilidianorumque, item Damaſceni et aliorum placita, ab *Ioanne Pico* Mirandulano *in Heptaplo* repetita, inter ſe comparaverit. Abraxas, quem ſummum eſſe deum, dixit impius homo, reſpondet Ebraeorum כ״ת *Kether* ſeu *coronae ſummae*, quam is novo nomine, conſtante ſeptem

literis, occultavit. In eo nomine ter repetiit literam *α*, respondentem Ebraeorum א, quae forma אלף, si Iudaeos audimus, forma est omnium literarum divini nominis, eique insunt omnes semitae, sed per modum universalem; quae latius explicat *KNORRIVS P. I p. 3 sqq.* Ex Abraxa perhibet *νοῦν* natum, qui Platonicis *σοφία, λόγος*, et patris innominati primogenitus dicitur; inde *verbum*, quod iisdem philosophis *ἡ θεία ψυχὴ* appellatur: veteres Ebraeorum theologi חכמה *sapientiam*, et בינה *intelligentiam*, dicunt enti seu coronae summae jungi modo ineffabili, atque ista tria unum constituere et perfectissimum, nec ullam in se ipsis pati divisionem. Vnde patet, Begerum, qui Trinitatem Abraxae effigie adumbratam conjicit, non aberrasse, ita ut pedes serpentini, ut et hoc addam, respiciant Christum Servatorem, aeneo serpente praefiguratum, quae Lactantii vox est; et Simonem Cyrenaeum, quem ei vicarium passum esse, commentus est Basilides, uti ex Epiphanio constat. Porro Ebraeorum theologi, quadrigae mysterium explicantes, ajunt, per בינה esse exitum in omnes numerationes, deque illius virtute fidem emanare: septem vero numerationes inferiores מדות proprietates seu attributa esse coronae summae, quae sint גדולה magnificentia seu misericordia; גבורה fortitudo seu severitas; תפארת pulchritudo seu ornatus; נצח victoria seu aeternitas; הוד decus; יסוד fundamentum, et מלכות regnum; per has dixerunt tres superiores operari, sicuti anima per corporis sui membra. Hinc varios ordines cognominum, quae nominibus divinis adderent, excogitarunt; quorum rationem reddere aggressus est laudatus *KNORRIVS P. II p. 14 sqq.* Atque in istis singulis tum numerationibus, tum cognominum ordinibus, angeli, exinde nomen sortientes, se amiciunt, et quidem *Zechariel* se amicit in זכור: *Schamriel* in שמור: *Chasdiel* in חסד: *Gabriel* in גבורה: *Zedekiel* in צדק, quod cognomen est numerationis decimae: *Raphael* in תפארת: *Malkiel* in מלכות: ut adeo radicem et fundamentum in numerationibus, ac praeterea nomina iisdem respondentia, qui Ebraeorum canon est, habeant. Vid. Auctor MSti Theologici, quem trecentos annos ante destructionem templi vixisse, credunt orientales, apud *Io. STEPH. RITTANGELIVM ad librum Iezirah p. 16.* Consentit *R. MOSES de Fundamentis lib. II c. 9* docens, attributa divina, quae sunt nomina angelorum, substantiam divinam denominare, quemadmodum animal et rationale denominant hominem. His fere consona deliravit Basilides, ex verbo fluxisse providentiam, virtutem et sapientiam, principatus, potestates et angelos, quorum septem ponit primarios, septem caelorum praesides, qui sive ipsi, sive ipsorum nomina, sint Abraxas, seu deus summus, habitans in septem stellis. Postremus illorum praesidum, nomine *Sabaoth*, ipsi est Iudaeorum

deus,

deus, longe reliquis praefractior, utpote qui virium ſuarum audacia fretus, Iſraëlitas ex Aegypto liberaverit, ad audendum paratus et pervicax: unde rationem thoracis, quo Abraxas munitus eſt, non male deſumit *BEGERVS Theſaur. Brand. Vol. I p. 85, 86*. Illius vero filium eſſe diabolum, turpiſſime maledixit bipedum nequiſſimus, (vid. *MACARIVS n. 19, 20, 21.*) abuſus Damaſceni doctrina, qui credidit, angelum, qui peccavit, fuiſſe ex infimo ordine eorum, qui terrae praeſint, tradente *Io. Pico in Heptaplo*. Porro ab iſtis ſeptem angelis ait Baſilides, caelos 365 eſſe inſtitutos, quot nimirum ſunt dies in anno. Auctor *libri Iezirah c. 4 ſect. 3* de literis ſeptem duplicibus, praeivit his verbis: *Septem duplices* בגד כפרת *exaravit et exſculpſit et combinavit, et formavit iis ſtellas in mundo, et dies in anno, et portas in anima; et ex illis exſculpſit ſeptem expanſa, ſeptem terras, ſeptem ſabbatha; propterea dilexit ſeptimum ſub omnibus caelis.* Et *ſect. 4: Et hae ſunt ſeptem ſtellae in mundo: Sol, Venus, Mercurius, Luna, Saturnus, Iupiter, Mars. Et hae ſunt dies in anno.* Hinc alteram patere cauſſam, puto, cur vafer ille nomini Mithrae ſubſtituerit nomen Abraxae, quod totidem literis exaratum, per Gematriam eundem numerum 365 dierum complet. Pariter et iſtud inde diſcimus, cur a ſtellis vim atque virtutem in amuleta derivari aſſeruerit; (de qua vanitate videſis ſcriptores *TH. BANGIO* memoratos in *Caeli Orientis Exercit. II p. 193,*) quia nimirum angeli ſiderum praeſides, cum ſint inviſibiles, inviſibilem etiam terram illuminent, ſubſtantiam ſcilicet animi noſtri, uti ex Damaſceno idem *PICVS* philoſophatur *lib. III c. 5*, quod gentium dogma ita gratum reddere ſtuduit Iudaeis, qui iſtud alias horrent, Tephillim tamen magnifaciunt. Vid. R. Moſes *lib. IIII c. 16*, apud *Ioſeph. de Voiſin Theol. Iudaeorum lib. I c. 5 p. 69* et *101*. In nominibus quidem angelorum, quos *TRITHEMIVS* intelligentias vocat in *tractatu de Septem Secundeis*, non conveniunt, annotante diſcrimen laudatiſſimo *IVL. REICHELT n. 39 p. 48, 49:* quod mirum nemini videbitur; ſiquidem nec Saturnilo cum Baſilide condiſcipulo conveniebat, qui apud Epiphanium *haereſi 23*, angelos, ajebat, a ſuperiori virtute deſciviſſe: ex quibus ſeptem mundum, et quae in mundo ſunt comprehenſa, condiderint, ejusque mundi ſuam quemque angelum partem diviſione ſortitum, *Caſſiel*, orbem Saturni; *Sachreel*, Iovis; *Samuel*, Martis; *Michaël*, Solis; *Ananeel*, Veneris; *Raphaël*, Mercurii; Lunae, itidem *Michaël*. Atque horum genios ſub avium ſpecie occultarunt; uti Alexander Hales notavit; quas in duabus ſardis ſpectamus apud *SPONIVM Miſcell. ſect. I art. 5 n. 25* et *28*, et *MONTFAVCON T. II P. II lib. I c. 13 n. ult.* qui aërem hoc ſchemate indicari credit, in quo ſol curſum ſuum emetiri exiſtimabatur. Ita nimis intelligendo Baſilides fecit, ut nihil intelligeret. Sed opus eſt face et viatico, ut ait Comicus, priusquam ad extremum perveneris.

Vt vero, quae diſputavimus, eo magis forent perſpicua, et ut quilibet ea oculis judicare poſſit, repeto ex Chifletio veterum loca, quibus impietatis Baſilidianae capita ἐν συνόψει recenſentur. Ita *Tertvllianvs de Praeſcriptionibus: Baſilides eſſe dicit ſummum deum nomine Abraxam, a quo mentem creatam, quam Graece* νοῦν *appellat. Inde verbum, ex illo providentia, ex providentia virtutem, et ſapientiam; ex ipſis deinde principatus, et poteſtates, et angelos factos: deinde infinitas angelorum editiones et probolas: ab iſtis angelis trecentos ſexaginta quinque caelos inſtitutos. In ultimis quidem angelis, et qui hunc fecerunt mundum, noviſſimum ponit Iudaeorum deum, id eſt, deum legis et prophetarum, quem deum negat, ſed angelum dicit.* Hieronymus: *Baſilides omnipotentem deum portentoſo nomine appellat* Abraxas, *et eundem ſecundum Graecas literas, et annui curſus numerum, dicit in ſolis circulo contineri, quem ethnici ſub eodem numero aliarum literarum vocant* Mithram, *et Iberae ineptiae in Balſamo Barbeloque mirantur.* Auguſtinus: *Baſilides trecentos ſexaginta quinque caelos eſſe dicebat, quo dierum numero annus includitur. Vnde etiam quaſi ſanctum nomen commendabat, quod eſt* Ἀβϱάξας, *cujus nominis literae, ſecundum Graecam ſupputationem, eundem numerum complent.* Irenaei verba *lib. I c. 23,* quia pluſcula ſunt, omitto. Legi autem poterunt apud *Baronivm Annal. T. II ad a. 120 n. 8.*

A	1	M	40
B	2	E	5
P	100	I	10
A	1	Θ	9
Ξ	60	P	100
A	1	A	1
Σ	200	Σ	200
	365		365

CCCCXXXXIII. ABRAXAS.

Cum capite galli gallinacei; ſed pro criſta ſunt cornua cervina; quae non probat Salmaſius, reputans, in archetypo eſſe criſtam, vel apicem plumeum. Verum ramos cervi appoſitos Chifletius non male cenſet, ut ſolis ſymbola omnia in unum cogerent Baſilidiani. Cervus enim vivaciſſimum in primis animal, ob id ſoli, vitae principia excitanti, ſacrum. Clypeo inſcriptum eſt IAΩ. Subjectae ſeptem ſtellae ex anterius dictis intelliguntur. Literae adſcriptae RAIN XIOIOIOX, mihi quidem, ſunt ἄγνωστοι.

CCCCXXXXIIII. ABRAXAS.

Λεοντόμορφος cum gladio et clypeo nudo. Clypeus eſt diſcus ſolis, cujus orbem *Ivlianvs in Oratt.* δίσκον appellat, *Ovidivs clypeum ſolis.* Et *Martianvs Capella* ſolis imagini tribuit *clypeum coruſcantem.* Obiter hic ineptam Grammaticorum κρίσιν noto, quibus *clypeum*, vel potius *clupeum, imago, clypeus aſpis* eſt. Haec vero alterius ſunt loci, et praeterea a multis jam ſunt dicta.

A gemmae tergo vox eſt, ΓΙΓΑΝΤΟΡΗΚΤΑ, *fortitudinis martiae et giganteae* eſſe Abraxam indicans. In alia gemma eſt ΓΙΓΑΝ-

ΓΙΓΑΝΤΟΛΕΤΟΡ, id eſt, *gigantum perditor*, quod inſtar Iovis cujusdam perderet adverſus ſe inſurgentes gigantes et adverſarios.

CCCCXXXXV. MARS.

Haſta ſcutoque munitus, ſupra lotum ſtat, loto radices ſuas in cymbae medio firmante, ut veluti malus ſit. Poteſt autem hic effictus eſſe vel miles aliquis mithriacus, ſoli initiatus, vel ipſe ſol militis habitu. Mars enim ſol eſt Macrobio, Iuliano et aliis.

Naviculae inſiſtit, quia ſolenne Aegyptiis, omnes daemones non ἐπὶ στερεοῦ, *in ſolido* ſtabilique, verum ἐπὶ πλοίου, *ſuper navigium*, ſtatuere, uti docet *Porphyrius de Antro Nymph.* quia nimirum daemones humore procreatos eſſe, eodemque ali credebant. Imo Manichaei ſolem et lunam naves eſſe docuerunt, uti eſt apud *Epiphanium*. Sol itaque ἐπὶ πλοίου ναυτιλλόμενος oſtendit potentiam mundi gubernatricem, quum ignea vis miſta humido, omnium generationem promoveat.

CCCCXXXXVI. HARPOCRATES.

Loto inſidet: Aegyptii enim ortum ſolis exprimebant puerulo, qui loto inſideret. *Iamblichus de Myſter. ſect. VII c. 2:* Τὸ γὰρ ἐπὶ λωτῷ καθέζεσθαι, ὑπεροχήν τε καὶ τὴν ἰσχὺν αἰνίττεται μὴ ψαύουσαν μηδαμῶς τῆς ἰλύος· καὶ ἡγεμονίαν νοερὰν καὶ ἐμπύριον ἐπιδείκνυται· κυκλοτερῆ γὰρ πάντα ὁρᾶται τὰ τοῦ λωτοῦ, καὶ τὰ ἐν τοῖς φύλλοις εἴδη, καὶ τὰ ἐν τοῖς καρποῖς φαινόμενα, ἥπερ δὴ μόνῃ κινήσει τοῦ κατὰ κύκλον νοῦ ἐνέργειά ἐστι συγγενὴς, τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὁσαύτως καὶ ἐν μιᾷ τάξει καὶ καθ᾽ ἕνα λόγον ἐμφαίνουσα. Αὐτὰς δὲ δὴ ὁ θεὸς ἵδρυται καθ᾽ ἑαυτὸν, καὶ ὑπὲρ τὴν ταύτην ὑγεμονίαν καὶ ἐνέργειαν σεμνὸς καὶ ἅγιος ὑπερηπλωμένος καὶ μένων ἐν ἑαυτῷ, ὥσπερ δὴ τὸ καθέζεσθαι βούλεται σημαίνειν. *Quod ſuper lotum deus ſedeat, hoc obſcure ſignificat ejus eminentiam et potentiam, quae ne quidem tangat lutum; etiam et praeſidentiam ejus intellectualem denotat, et plane empyriam: omnia enim in loto circularia ſunt, tum folia, tum fructus, cui ſola mentis operatio (ut quae circulariter moveatur,) reſpondet, per eadem videlicet, et eodem pacto, ordine, ratione ſe ſemper habens. Deus autem ipſe per ſe ſolus ſedet, expanſus ſuper hoc imperium et operationem, venerabilis, ſanctus, in ſe ipſo penitus quieſcens, quod quidem ſedendo ſignificatur. Ovidius* Metamorph. lib. VIIII v. 343:

In ſpem baccarum florebat aquatica lotos.

Et *Epiſt. XV v. 159:*

Quem ſupra ramos expandit aquatica lotos,
una nemus.

Digito ſecundo, qui ſalutaris dicitur, os premit, et ſilentia ſuadet. *Apuleius lib. VIII.* Add. *Spon. Recherch. VII p. 126.*

Adſcriptum eſt nomen divinum ΣΑΒΑΩ, id eſt, *Sabaoth;* et a tergo

tergo gemmae, ΙΑΩ, quae omnia ſolare numen ἀποτροπαῖον, et magnae eſſe efficaciae deſignant.

CCCCXXXXVII. HARPOCRATES.

Cur ſilentia ſuadeat, ex *CVPERO p. 22 ſqq.* et *MONTFAVCONII T. II P. II lib. I c. 12 p. 300* diſcas licet. De Valentinianorum aliorumque haereticorum *Sige*, videri poſſunt eruditione praeſtantes viri, qui in Ignatii epiſtolas ſcripſerunt. Harpocratem ſuis amuletis Baſilides indidit, qui et ipſe, ut teſtatur *NICEPH. l. IIII c. 2*, Pythagoricum ſilentium induxit; ejus quippe erat placitum: *Tu omnes cognoſce, te autem nemo.*

Inſcriptio Aegyptiaca, inverſis literis exarata ΤωΥ ΙΑω, ſignificat *magnus Iao.*

CCCCXXXXVIII. HARPOCRATES ET HECATE.

Literae circa Harpocratem ΙΑω̃ CΑΒΑC vel *Sabao*, ſignificant principes primi et ſeptimi caeli.

Ecce procul ternas Hecate *variata figuras*
exoritur,

Graecorum, maxime Boeotorum et Carum, numen, ſepulchrale, *caelo ereboque potens.* Οὐρανίαν, χθονίαν τε τυμβειδίαν τε, *ORPHEVS* vocat. Cujus ſtatuae, qualis et Athenis erat ab Alcamene facta, frequenter in triviis collocabantur, in antris, locisque procul ab hominum celebritate remotis, ubi et fana habebat

Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes.

Venefica fuit et ſanguinaria, quae aconitum, a ſe inventum, patri Perſeo, cujus Titanis et Aſteries filia habebatur, miſcuerit; quam fabulam narrat *DIODORVS.* Τρίμορφος ſeu τρισσοκέφαλος audit ob tria capita, equi dextrum, canis ſiniſtrum, et hominis agreſtis medium. In gemma unicum corpus, *tria virginis ora Dianae,* ἑξαβράχιον comparet, brachiorum duo ſuprema facibus, media flagellis, infima pugionibus inſtructa ſunt. Facibus Hecaten fuiſſe armatam, Eratoſthenes quoque tradidit. Et Byzantii, quum noctu detegerent foſſores Philippi, urbem oppugnantis, λαμπαδηφόρον Ἑκάτης ἄγαλμα poſuerunt. *HESYCHIVS de Origg. Conſtantinop.* Atque talis in Byzantiorum numis ſpectatur. *L. HOLSTENIVS* ad Stephanum *de Vrbibus p. 71.* Similis fere typus eſt trium Furiarum in numo Philippi junioris, ab Antiochenſibus cuſo, quem proferunt et explicant *P. SEGVINVS p.* et *PATINVS p. 388.* Hecate autem ſeu Iſis tergemina, Luna eſt, propter varias corporis ejus formas et formarum virtutem; ideo virtus ejus eſt triformis; novilunia, ferens albam veſtem auro diſtinctam, et lampades ardentes; calathum autem ſuperne fert, quia cum eſt dividua creſcente lumine, fruges

maturat;

maturat; plenilunii ſignum eſt ferrugineum ſandalium. *EVSEBIVS lib. III Praepar. cap. 3. MACARIVS n. 17.*

CCCCXXXXVIIII. HARPOCRATES.

Ad radicem loti leo conſpicitur currens, cum hac inſcriptione: ΑΒΡΑΞΑΣ ΞΙΞΙΡΙΜ, id eſt, *Abraxas omnia ciens;* quo ſolis vis indicatur. Leo enim ſoli dicatum eſt animal, et ab Aſtrologis Aegyptiis domicilium ſolis conſtitutus, quia ἄγαν πυρώδης ἐστί. Vid. *MACROBIVS Saturn. lib. I c. 21.* Per leonem, *Momphta*, nilotici incrementi praeſidem, intelligunt, quod per ſtellam Siothis ſeu caniculae, capiti leonis impoſitam, notant: ad ortum enim caniculae, ſole in leonem intrante, fit inundatio Nili, ſolari numine harpocratico flagello omnem beboniam vim aduſtivam repellente. Nota hic, CICIPIM retrogrado ordine lectum, MIPICIC, idem eſſe ac ſi dicas *Matrem Iſidem,* ſeu lunam, quae in hoc amuleto tacite innuitur, et genius Nili, et cooperatrix Harpocratis, ſolaris numinis.

Poſtica amuleti pars haec nomina inſcripta tenet: ΑΡΧΕΟΙΑΩ ΜΕΡΜΕΝΝΗ, *principium Iao omnis fecunditatis.*

CCCCL. ACCIPITER.

Loto inſidens, binis cornibus copiae ſtipatus, beneficium fertilitatis et abundantiae, quae a ſole promanat, indicantibus.

De ACCIPITRE fabula eſt apud *ANTONINVM LIBERALEM n. 3.* Falconis genus eſſe, obſervat *BELLONIVS Obſ. 17 lib. II.* Dictis a *PIERIO lib. XXI, CHIFLETIO p. 67, CAVSSINO ad* Hori Apollinis *Hierogl. 6 lib. I,* addo obiter, *IAMBLICHVM de Myſter. ſect. VI c. 3,* docere, quomodo per ſacra animalia, ὥσπερ τῶν ἱεράκων, dentur vaticinia, interveniente ſcilicet anima mortui cujusdam animalis: Αὐτὴ γὰρ ἔχει τινὰ οἰκειότητα πρὸς ἀνθρώπους μὲν, διὰ τὸ ὁμογενὲς τῆς ζωῆς· πρὸς δαίμονας δὲ, διότι σωμάτων ἀπολυθεῖσα, χωριστή πως ὑπάρχει· μέση δὲ οὖσα ἀμφοτέρων ὑπηρετεῖ μὲν τῷ ἐφεστηκότι· ἐξαγγέλλει δὲ τοῖς ἔτι κατεχομένοις ἐν σώματι, ἅπερ ὁ ἐπιβεβηκὼς προστάττει· κοινὸν δὲ σύνδεσμον ἀμφοτέροις τούτοις πρὸς ἀλλήλους δίδωσι. *Anima quippe iſta quandam ad nos habet cognationem, propter vitae conſortium; ad daemonas autem, quoniam a corpore libera eſt, et ſeparata jam exiſtit; igitur media inter utrumque ſubminiſtrat daemoni praeſidenti, enunciatque hominibus adhuc in corpore detentis mandata daemonis praefecti: adeoque vinculum mutuum inter hos nectit.* Ad quem locum *TH. GALE* plura congeſſit, non cuivis cognita. Atque ſic denique

Iam ſatis humanis erroribus addita monſtra
riſimus, aut tales potius deflevimus actus.

ADDEN-

ADDENDA ET EMENDANDA.

Dum ſubitaneae hae obſervationes praela exercent, quaedam inter legendum notavi, quae limam poſtulabant: eam autem quia ſingulis adhibere non licebat, pauca tamen iſtaec nequaquam omittenda eſſe duxi, Benevolum Lectorem ſerio rogans, ut tum haec, tum reliqua, quae fortaſſe irrepſerunt feſtinanti παροράματα, aequi bonique conſulat, et pro ſua humanitate emendet.

p. 2 lin. ult. adde: Ad barbam Iovis alludit PRVDENTIVS *in hiſtoria* Romani *martyris:*

Barbam rigentem dum Iovis circumplicat,
dum defluentem leniter deflectit comam,
liniat capillos.

p. 3 lin. 24 poſt, *nemo fere ambigit*, adde: Sed ambigunt BVONARROTI *p. 273*, et MONTFAVCON *T. II Part. II lib. I c. 10.* Caeterum SPONII obſervatio, quam habet *Recherch. VI p. 113*, erudita eſt, Iuliani tam barbati, quam imberbis, effigiem ſub Serapidis figura latere.

p. 4 lin. 11 pro, *n. 24* lege: *n. 105.*

p. 6 lin. 23 pro, *peracta*, lege: *inſtante.*

p. 9 lin. 7 poſt, *a gallo gallinaceo*, adde: Videndus eſt BEGERVS *Theſ. Palat. p. 190, 191.*

p. 9 lin. 27 poſt, *merae fabulae*, adde: BELLONIVS *Obſervat. lib. II c. 46*, ſphingis originem arceſſit a Nili incremento. Sole in leonis et virginis ſignis exiſtente, Nilus Aegypti regionem irrigat: itaque Aegyptii ſuas opes ſignificare volentes, monſtrum ſculptura expreſſerunt, anteriore parte virginis formam, poſteriore leonis referens, ſphingemque appellarunt: et quoniam pro hominis arbitrio ſculptae ſunt, ideo earum forma adeo eſt varia. Add. CVPERVS *in Harpocrate p. 34.* KIRCHERVS *in Oedipo T. III Synt. I c. 5 p. 115*, et potiſſimum *Synt. XV de Sphingibus Niloticis p. 454 ſqq.* quem librum aliosque nonnullos utendos dederat ornamentum et gloria aetatis noſtrae, illuſtris GODOFREDVS THOMASIVS, quem virum multijuga eruditione praeditum, artemque ſalutarem felici connubio cum humanitate conjungentem, honoris amplitudinisque cauſſa nomino, fautoremque optimum gratus veneror.

p. 13 lin. 13 poſt, *introduxit in ſcenam*, adde: Σφιγγὸς πράγματα παρήχων πολλά. Quod ſi cui iſtae nugae displicerent, perſuaſo, auctorem gemmae neque ſapientiam illam altiorem, quam philoſophi profitentur, neque ignorantiam ſecum eſſe commentatum; me non invito, Minervam dicet typum eſſe ſapientiae ſeu prudentiae civilis, quae respubl. moderatur. Regendi quippe artes ex hoc ſchemate elicere, non erit adeo difficile, praeeunte BEGERO *Theſ. Palat. p. 42.* SYNESIVS *lib. I de Provident.* ſphinges in ſacrarum aedium veſtibulis collocatas explicat, ut docerent per partem, qua beſtia, vires corporis, et

per

per partem, qua homo est, prudentiam conjungi debere. Ita SPHINX, galeae Minervae insidens, denotat, principem viros debere fovere et arte et Marte claros: *Petere honoris scirent ut cuncti viam,*
nec generi tribui, sed virtuti gloriam,
uti loquitur PHAEDRVS *lib. II fab. 39.* Vel sphinx, prudentiae imago, innuit, hanc sine virtute calliditatem esse et malitiam, et quidlibet potius, quam prudentiam: cujus clavus etsi proprie vitam civilem dirigat, non tamen sine usu et auxilio illius magnetis: quae verba sunt LIPSII *Polit. lib. I c. 1 n. 5.* PANES ac FAVNI in galea indicant, hostibus saepe quodam stratagemate, quasi divinitus immitti pavorem, uti pulchre docet *Io. CAR. SCHOTTVS* in den Haubt-Tugenden eines Landes-Herren, *p. 32 seqq.*

p. ead. l. 32 Imagini Palladis in numis adscribitur ΑΘΗΝΑΙ. Athenarum enim symbolum erat. Vid. *VVOLFG. LAZIVS Rer. Graecar. lib. II p. m. 94.*

p. 20 l. 21 post, *tecta petisti,* adde: Plura dabit SPONIVS *Recherch. XXXI p. 529 seqq.*

p. 21 lin. 22 post, *in Gemmis sigillaribus,* adde: Alii non filiae Minervae, Hygejae puta, sed ipsius Minervae effigiem agnoscunt; in quibus est vir summus, saepius a nobis laudatus MONTFAVCON *T. I Tab. 83.*

p. 30 lin. antep. adde: Fortasse bacchans est, coronatus serpentibus.

p 32 lin. 16 post, *ricula,* adde: vel *infula* potius. Vid. BVONARROTI *p. 408.* De Vestalibus nonnulla etiam habet LAZIVS *Reip. Rom. lib. III c. 11 p. 334 seqq.* Constitueram, Vestalium, quarum in historia facta est mentio, indicem subnectere: sed quia copiosior est, quam pro instituto nostro, alia, si fors tulerit, occasione earum nomina recensebo.

p. 33 lin. 15 post, *de Luxu Romanorum c. 3,* adde: Exempla peti possunt ex CLEMENTIS *Protrept. p. 9.* HARPOCRATIONE *in Lexic.* voc. Σαβοῖ *p. 313* et aliis.

p. 34 lin. 10 post, *Saubertus,* adde: GREG. MICHAELIS ad Gaffarelli *Curiosit. inaudit. not. 9 p. 36.*

p. 38 lin. 20 post, *in Num. urb. et popul. p. 105,* adde: Eumque spectandum exhibet BAVDEL. DE DAIRVAL *de Vtilit. Itiner. T. II p. 633 n. 2.*

p. 46 lin. 13 pro, *Lydas,* lege, *Lydos.*

p. 59 lin. 11 Versus ex Ennio: *Ille vir haud magna cum re, sed plenu' fidei,* non Flaminini elogium est, sed Aelii Paeti, qui illius in consulatu collega erat.

p. ead. lin. 27 post, *Merula ad Ennium p. 102, 103,* adde: Et Altorfinae Academiae sidus quondam clarissimum, CHRISTOPH. AD. RVPERTVS *ad Enchiridion* Pomponii *p. 323.*

p. 60 lin. 34 post, *violentissima,* adde: De THORACE, qui et *thoracides* atque *lorica* dicebatur, luculentus est locus SERVII *in Aeneid. lib. VIII v. 415* scribentis: *Aegis proprie est munimentum pectoris aereum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit,*

aegis *vocatur; ſi in pectore hominis, ſicut in antiquis Imperatorum ſtatuis videmus,* lorica *dicitur.*

p. 62 lin. 19 pro, *elogio,* lege: *elogiis.*

p. 71 lin. 14 adde: *Rubenius Elect. lib. II c. 25.*

p. 73 lin. 24 adde: de Viriolis idem *Rubenius lib. I c. 38.*

p. 82 lin. 10 lege: tacitum et cogitabundum.

p. 87 lin. 27 pro, *ſubmonuiſſe,* lege: *ſubmonuiſſet.*

p. 89 lin. 20 Quae ibi de Aemiliae morte dicuntur, non de hac, ſed de Druſi conjuge, enunciat Tacitus. Dum, in quo ipſe aberraverim, detego, ſignificare licebit, neque Glandorpium ab omni labe immunem videri, qui Lepidam, de qua nobis ſermo erat, Appio Iunio Syllano ait nupſiſſe, eique M. et L. Iunios Syllanos peperiſſe, eſſeque Neronis amitam. Neronis enim amita fuit ſoror Cn. Domitii Aenobarbi; adeoque non erat filia L. Aemilii Paulli. Omnis haec Lepidarum, plures enim fuerunt, hiſtoria tenebris adhuc involuta eſt, necdum ad liquidum perducta; eam, praelucentibus ſcriptorum monumentis, illuſtrare aggrederer, niſi alia me vocarent. Vid. interim quae p. 96, 97 disputavi de Lepida, Galbae uxore.

p. 107 lin. 7 pro, FILAM, leg. FILIAM.

p. 125 lin. 10 leg. FLAVIA MAXIMA HELENA.

p. 128 lin. 9 poſt, *margaritis,* adde: et laurea.

p. 129 lin. 31 pro, *Conſtantini VI,* lege: Conſtantini VII.

p. 143 lin. 34 adde: Philetaeri quoque imaginem habes apud *Baudelot l. cit. p. 633 n. 7.*

p. 146 lin. 27 poſt, *imperaſſe,* adde: Modo laudatus *Baudelot p. 619* hujus etiam reginae effigiem in aes incidi curavit, eamque Aeacidae conjugem inter Epiri reginas numerat.

p. 176 lin. 22 pro, *propior,* leg. *propius.*

p. 190 lin. 2 poſt, *Chorogr. Aeg.* adde: *Synt. I c. 3 p. 26,* ubi ex Strabone et Suida de Mende quaedam tradidit. Cui nomo Nyſa fuerit adſcripta, nunc quidem accurate disquirere non vacat. Mendeſio ſi non adjectam, certe vicinam fuiſſe, diſco ex Scholiaſte *Apollonii Rhodii,* qui ex Herodoro ad *lib. II* ſcribit fuiſſe illam, ligno abundantem, in extremo angulo (lacus ut puto Serbonidos) procul a Phoenicia ſitam, prope Aegypti fluenta, h. e. prope Nilum et prope Peluſium. Verba ipſa ſubjungo: *Διήκει δὲ ἅυτη (Σερβωνὶς λίμνη) ἀπὸ Συρίας μέχρι Πηλουσίου· τὰ δ᾽ αὐτὰ περὶ τοῦ Τυφῶνος καὶ Ἡρόδωρός φασιν· ἔνθα καὶ περὶ Νύσης ἱστορεῖ λέγων: ἔστι δέ τις Νύση ὕπατον κέρας ἀνθέον ὕλῃ. Τηλοῦ Φοινίκης σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων. Ὁ δὲ Καύκασος διήκει ἀπὸ τῆς Ἀρμενίων χώρας ἕως Κόλχων. ἡ δὲ Σερβωνὶς λίμνη διάκειται περὶ τὸ Πηλούσιον τῆς Αἰγύπτου.*

p. 195 lin. 2 ſupple: Numi Nicomedenſium, qui in honorem Caracallae cuſus, ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ibi celebrata oſtendit.

p. 201 lin. ult. adde: De ſeriphio legi etiam meretur *Kircherus Oedip. Aeg. T. III p. 77.*

Index

INDEX RERVM.

A.

quando

Milonia

B.

BRV-

Caracal-

D.

laurea-

E.

Gellius

I.

ejus

LIVIL-

M.

Regulus

N.

Mendes

Q.

R.

S.

fax

ut

X.

Z.

FINIS.

Le 1er vol
complet ds 30 planches
Le 2e vol
complet ds 17 planch

fiché voor BAIERUS

Coll. [illegible]